



7/7/1982

S 1301 A













ACTA  
PHYSICO-MEDICA  
ACADEMIAE CAESAREAE  
NATVRAE CVRIOSORVM

T. G. Pintz, sc.

# ACTA PHYSICO-MEDICA

ACADEMIÆ CÆSAREÆ  
LEOPOLDINO-CAROLINÆ  
NATVRÆ CVRIOSORVM  
EXHIBENTIA

# EPHEMERIDES

SIVE  
OBSERVATIONES HISTORIAS  
ET EXPERIMENTA

A  
CELEBERRIMIS GERMANIÆ  
ET EXTERARVM REGIONVM

## VIRIS

HABITA ET COMMVNICATA SINGVLARI STUDIO  
COLLECTA.

## VOLVMEN NONVM

ACCEDVNT APPENDIX ET TABB. ÆN. XIII.  
CVM PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS.

---

NORIMBERGÆ,

Impensis B. W. M. ENDTERI CONSORTIVM,  
ET VID. B. ENGELBRECHTI.  
TYPIS FLEISCHMANNIANIS ANNO MDCLII.





SACRATISSIMO ET POTENTISSIMO  
INVICTISSIMOQUE PRINCIPI  
DOMINO DOMINO  
**FRANCISCO**  
ROMANORVM IMPERATORI  
SEMPER AVGVSTO  
PIO. FORTI. FELICI  
GERMANIAE HIEROSOLYMORVMQUE  
**R E G I**



LOTHARINGIAE BARRIQVE  
D V C I  
MAGNO DVCI ETRVRIAЕ  
ET RELIQA  
PATRIAЕ PATRI DIVINITVS DATO  
CAESARI OPTIMO INDVLGENTISSIMO QVE  
SVMMO  
RERVM SACRARVM ET LITTERARIARVM  
TVTORI ET CONSERVATORI  
PIGNVS HOC PIETATIS EXIGVVM  
SVBIECTISSIMO ANIMO  
D. D.  
SACRAE CAESAREAE REGIAEQVE MAIESTATI  
DE VOTISSIMI  
NATVRAE CVRIOUSORVM ACADEMIAE  
PRAESES. DIRECTOR. ADIVNCTI.  
COLLEGAE.

# AVGVSTISSIME IMPERATOR

Quum ad TVAE SACRATISSIMAE MAIESTATIS puluinar, AVGVSTISSIME CAESAR, nouum hoc Actorum

DEDICATIO

rum suorum Volumen demississimo reuerentissimoque cultu deponit Academia nostra: post DEVVM rerum vniuersarum arbitrum rectoremque nulli prius abundantiusque felicitatem hanc et salutem pacatamque suae fortis conditionem in acceptis refert, quam TIBI, PATER PATRIAЕ IN SPEM SAECVLORVM DATE, qui post sedatas bellorum funestissimorum perturbationes felicior AVGVSTO TRAIANOQUE melior pacem triumphis innumeralibus pretiosiorem concordiamque et securitatem Germaniae

D E D I C A T I O

---

niae rerum cultiorum parenti et  
nutrici auspicatissime prouiden-  
tissimeque restituisti et vindica-  
sti. Vti ergo tam exoptatam  
rei medicae fortunam TIBI,  
PRINCIPVM CLEMENTISSIME , tan-  
quam DEO TVTELARI et SALVTARI  
debere se religiosissimo animo  
fatetur : ita etiam communi  
omnium ciuium et subditorum  
applausu consensuque vnanimi  
flagrantissime ardentissimeque  
vouet, vt TVAM, CAESAR AVGV-  
STISSIME , qui pro incolumitate  
totius imperii prouehenda sub-  
iectarumque gentium commo-

## DEDICATIO

---

dis vtilitatibusque amplificandis  
excubas, TVAM omnino vitam  
et salutem ceu sacram omnium  
anchoram tutissimumque praefi-  
dium serissimos in annos longos-  
que aetatis humanae decursus  
**SVPREMVM ALTISSIMVMQUE NVMEN**  
stabilitat corroboretque largissi-  
misque etiam rerum optatissi-  
marum accessionibus frequen-  
ter affluenterque intra fortunae  
fine ulla offensione perennis  
cursum TE, CAESAR AVGVSTO-  
RVM MAXIME, cum AVGVSTISSIMA  
**CONIVGE** et SOBOLE cu-  
mulatum mactatumque reddat  
prae-

DEDICATIO

---

praesertimque in maiores im-  
pensiioresque Academiae no-  
straे progressus saluum incola-  
memque seruet ac tueatur. Ne-  
que est, si vota haec NVMEN OPTI-  
MVM MAXIMVMQUE pro TVA,  
CAESAR INDVLGENTISSIME, vita et  
salute conceptis omnium bono-  
rum verbis nuncupata in optatos  
deduxerit effectus, cur nos de  
felicitate Academiae nostrae per  
TE indies augenda et confir-  
manda vlli vnquam dubitemus et  
ambigamus: quum TE non mo-  
do ab antiquissimis PROGENITORI-  
BVS cum augustissima CAESARVM

DEDICATIO.

---

HABSBVRGICORVM et AVSTRIACO-  
RVM Stirpe confociatum sed et-  
iam a Diuo CAROLO SEXTO  
sanctissimae memoriae AVGVSTO  
ad gloriam STIRPIS AVSTRIACAE  
propagandam adoptatum feli-  
cissimoque PRINCIPIS ET  
REGINAE incomparabilis  
MARIAE THERESIAE con-  
nubio iunctum CAESARVM-  
que AVGVSTISSIMORVM  
praesertimque LEOPOLDI et  
CAROLI VI gloriosissimorum  
IMPERATORVM successorem fa-  
ctum cernamus et veneremur;  
qui multis Academiam nostram  
felici

D E D I C A T I O

---

felici augurio conditam et fundatam gratiae singularis indulgentiaeque munificentissimae generibus affecerunt largisque priuilegiorum honoribus mactarunt et amplificarunt efficacissimoque ipsius conatus et labores protexerunt ac vindicarunt praesidio eamque indies clariorrem et ornatiorem reddiderunt. Vti igitur tam exoptatam rerum suarum felicitatem et salutem ab ANTECESSORIBVS TVIS gloriofissimis clementissimisque IMPERATORIBVS post singularem diuinae gratiae pro-

## DEDICATIO

---

pensionem bene auspicateque  
inchoatam longiusque indies  
propagatam abundantiusque  
cumulatam Academiae nostrae  
cum omnibus , qui de pro-  
gressu rei medicae bene cor-  
dateque sentiant , impensis-  
sime prolixissimeque gratula-  
mur TANTOSQUE diuae memo-  
riæ FVNDATORES , ASSERTORES et  
AMPLIFICATORES , beneficentissi-  
mos AVGVSTOS deuotissimo  
pietatis obsequio , dum nostra  
vigebit Societas , colimus et ve-  
neramur : ita etiam , CAESAR  
INDVLGENTISSIME , qui  
re-

DEDICATIO.

---

rerum publicarum arduam ingentemque molem summa fortitudine prudentiaque sustines omniaque imperii negotia singulari animi magnitudine iustitiaque et moderatione gubernas benignissimeque liberalia doctrinarum utilissimarum studia foues, TVAM nunc supplices litantesque flagrantissimis ardentiissimisque notis imploramus et exoramus MAIESTATEM, vt institutas nostrae Academiae rationes, quae sub tuo auspicatissimo fortunatissimoque imperio prima post DEI voluntatem sae-

cu-

## DEDICATIO

---

cularia celebrat, inter laetissima  
temporum felicius instaurando-  
rum auguria maioribus incre-  
mentorum viribus largioribus-  
que efficacissimae indulgentiae  
beneficiis cumulatas instructas-  
que reddas praesentissimoque  
augustae voluntatis nutu contra  
omnium iniuriarum offensiones  
et inuidiae conatus firmatas cor-  
roboratasque in seram vsque  
posteritatem clementissi-  
me reserues.



SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE  
PRINCIPI AC DOMINO  
**MAXIMILIANO**  
**IOSEPHO**  
S. R. I. ELECTORI  
ET  
ARCHIDAPIFERO  
*VTRIVSQVE BAVARIAE ET PALATI-  
NATVS SVPERIORIS*  
**D V C I**

COMITI PALATINO  
AD  
RHENVM  
LANDGRAVIO  
LEVCHTENBERGENSI  
ET CETERA  
*PRINCIPI AC DOMINO CLEMENTISSIMO*  
PROTECTORI SVO GRATIOSISSIMO  
BENE FELICITERQUE  
ACCLAMAT  
*NATVRAE CVRIOSORVM ACADEMIA*

# SERENISSIME PRINCEPS

Quantum animi dolorem ex im-  
prouiso festinatoque obitu RE-  
VERENDISSIMI CELSISSIMIQUE PRINCIPIS  
EPISCOPI BAMBERGENSIS ET WIRCEBVR-

XX 2

GEN-

## DEDICATIO

GENSIS, DOMINI FRIDERICI CAROLI &c. PROTECTORIS SVI DESIDERATISSIMI Academia nostra grauiter efficaciterque sensit percepitque: tantum e contrario gaudium ex TVA, PRINCEPS INDVLGENTISSIME, singulari paternaque clementia largiter abundeque haurit; qua factum est diuinitus, vt excelsum benignissimi PROTECTORIS munus humillimo religionis cultu oblatum TIBI deuotissimeque traditum gratiofissime prolixissimeque susciperes litterisque humanissime datis Academiam nostram omnino persuasam esse velles, TE, PRINCEPS SERENISSIME ac POTENTISSIME, semper eo adhibiturum esse singularem curam, ut studia nostra non modo sarta tecta que conseruentur, verum etiam

DEDICATIO

---

iam magis magisque indies indiesque  
amplificentur. Vti igitur pro TVA  
nobis largissime indulgentissimeque  
promissa clementia et propensione  
summas pro ea, qua par est, deuotis-  
simi animi religione gratias TIBI, be-  
nignissime PROTECTOR, publice  
priuatimque agimus habemusque: ita  
etiam gnauiter confidenterque spera-  
mus, fore, vt non modo PARENTIS  
AVGVSTISSIMI, DIVI CAROLI  
VII, gloriofissimi Imperatoris, qui  
priuilegia Academiae nostrae ab an-  
tecedentibus Romanorum Caesaribus  
largissime vberrimeque indulta post  
susceptum cultioris orbis imperium  
gratiosè confirmauit ac stabiliuit gra-  
tiosiusque amplificauit et extendit  
gratiosissimeque ampliora et vberio-  
ra promisit, singulari admirabilique

## DEDICATIO

---

exemplo concitatus, verum etiam  
TVA IPSIVS, SERENISSIME  
PRINCEPS, incredibili feruentissi-  
maque propensione, qua egregias hu-  
manasque artium optimarum scientias  
earumque cultores et indagatores li-  
beralissime benevolentissimeque pro-  
sequeris, commotus et inflammatus  
post NVMINIS aeterni gratiam auxi-  
liatricem conatus et labores Acade-  
miae nostrae ad supremam diuini no-  
minis gloriam publicamque humani  
generis salutem primarie vnicque de-  
stinatos eumque in finem per orbem  
cultiorem diuulgatos totis, vt aiunt,  
neruis et viribus totaque animi con-  
tentione, quantum potes, qui tamen  
multum potes, summo Principis E-  
lectorisque sanctioris fastigio consti-  
tutus, tanquam alter Hercules, firmis-  
sime

D E D I C A T I O

sime tuteris et conserues largissime-  
que augeas et amplifices maioribusque  
subinde clementissimae protectionis  
et propensionis beneficiis mactes et  
ornes. Tanta igitur rerum optimarum  
spe freti eo semper nos omni stu-  
dio allaboraturos esse sancte fideliter-  
que promittimus, vt, quicquid post  
**DEVM IMMORTALEM CAESA-**  
**REMque AVGVSTISSIMVM A-**  
**cademia nostra TVO, PRINCEPS**  
**ET ELECTOR POTENTISSIME,**  
benignissimae protectionis firmamen-  
to vel incrementi vel ornamenti ad  
publicam humani generis salutem fel-  
licius prouehendam acceperit, pro ea,  
qua par est, grati deuotissimique animi  
pietate et submissione publice priua-  
timque collaudemus et praedicemus  
**TIBI**que etiam vnanimi votorum ar-  
den-

## DEDICATIO

dentissimorum consensu vitam et sa-  
lutem perpetuis bonorum optatissi-  
morum accessionibus duraturam o-  
mniaque felicitatis nunquam intermo-  
riturae genera voweamus et ap-  
precemur.



PRÆ-



# PRAEFATIO

Iusto quidem tardius seriusque in lucem  
produisse nouum hoc Actorum nostrorum  
Volumen nulli sane negamus et inficia-  
mur: sed tamen iustas etiam necessariasque vel  
omnino excusandi rationes proferre in medium  
valemus, cur ista nostrarum Ephemeridum au-  
gendarum typisque exscribendarum voluntas  
hucusque præpedita et sufflaminata fuerit.  
Prius est, quod parce nimis lentoque successu  
debitum sufficientemque Observationum uti-  
lium et rariorū apparatum a Collegis nostris  
honoratissimis accepimus: deinde etiam, quod  
magnam sane Virorum experientissimorum so-  
lertissimorumque iacturam moesti lugentesque  
)( )( ) feci-

## PRAEFATIO

---

fecimus, qui partim Academiae nostrae multo adiumento et subsidio, partim etiam singulari ornamento patrocinioque fuerunt. Hinc autem vel maxime deploramus ac desideramus Maecenatem illum gratiosum, fato nobis acerbo eruptum, qui se chori nostri Patronum ac Ducem inscribi nomineque **APOLLINIS MVSAGETAE** insigniri passus est, Illustrissimum atque Excellentissimum Dominum Dominum IOANNEM GEORGIVM IOSEPHVM COMITEM de KOENIGSFELD, S. R. I. **CANCELLARIVM VICARIVM** &c. &c. cuius erga nos singulari gratiae et propensioni supremum hic pietatis obseruantiaeque cultum praestamus et exhibemus. Post tantas autem rerum humanarum vices, quæ diuinatus Academiae nostrae contigerunt, praesertim quum nonnullis abhinc annis Clementissimum graui luctu amisisset **PROTECTOREM**, Reuerendissimum Celsissimumque S. R. I. Principem ac Dominum Dominum FRIDERICVM CAROLVM Episcopum Bambergensem & VVircebburgensem &c. &c: miro per DEI gratiam solatio incredibilique gaudio recreata et confirmata est, quod Serenissimus Potentissimusque Princeps ac Dominus Dominus MAXIMILIANVS IOSEPHVS, S. R. I. Elector, Vtriusque Bauariae et Palatinatus Superioris Dux &c. &c. sumum

## PRAEFATIO

mum benignissimi PROTECTORIS munus liberalissime indulgentissimeque suscepit; qui pro sua in artes scientiasque cultiores admirabili propensione largiter abundeque, ut speramus, commodis Academiae nostrae prouidebit paternisque insistens vestigiis eam nobis sartam te&tamque conseruabit. Neque etiam non solatio gaudioque affecta et exhilarata est Academia nostra, quod grauis membrorum vtilissimorum iactura aliis nunc Virorum experientissimorum doctissimorumque accessionibus feliciter abundeque completa est, qui pro augendis exornandisque Actis nostris, quantum omnino confidimus expectamusque, suas conferent symbolas obseruationibusque rite legitimeque institutis maius rei medicae et physicae lumen affudent. Tandem autem, quum anno proxime elapso primum effluxit saeculum, ex quo fundatae et ordinatae fuerunt Academiae nostrae rationes primusque constitutus illius Praeses: deliberatum animo habemus, debitam huius felicitatis memoriam recolere et conseruare illincque primam Volumen Decuriam proxime edendo Volumine finire et completere. Vnde etiam Collegas nostros amicissimos gnauiter vehementerque hortamur et excitamus, vt intra hoc exigui temporis spatium tanto festinantius studiosiusque obseruatio-

## PRAEFATIO

---

nes, historias et experimenta transmittant; quanto ardentius flagrantiusque propositum nostrum de publicando Volumine decimo explere et absoluere contendimus allaboramusque. Quod reliquum est, beneuolo eruditioque Lectori, pro ea, qua par est, animi contentione laborum nostrorum in augmenta rei medicae physicaeque conditorum institutum iam ultra saeculum durans enixe prolixequemendamus.



I. Con-

---

I.

Continuatio

# CATALOGI

DNN. Collegarum Academiæ Cæsareæ  
Leopoldino - Carolinæ Naturæ  
Curiosorum

ab anno 1748. usque ad annum 1750. in  
eandem receptorum.

Anno 1748.

Ordo  
receptionis.

551. Dn. D. Abraham BAECK, Sereniss. ac Potentiss.  
Regis Sueciæ Archiater. *Critodemus II.*
552. Dn. D. Rudolphus Joannes Fridericus SCHMIDT,  
Sereniss. Landgravii Haffo-Darmstadini Consiliar.  
& Archiater, Praetorius Hamburgensis. *Morienus.*
553. Dn. D. Christophorus Gottlieb KRATZENSTEIN,  
Imperialis Academ. Scientiar. Petropolitanæ Profes-  
sor Mathematum. *Dædalus III.*
554. Dn. D. Joannes Gottschalk WALLERIUS, Chy-  
miae Prof. Publ. in Regia Academia Upsaliensi &  
Regii Collegii Medici Stockholmiensis Adsestor.  
*Philetes II.*

Anno 1749.

555. Dn. Caspar Leopoldus KIRCHSCHLAGER, Philos.  
& Me-

---

Ordo  
receptionis.

& Medicin. Doct. Augustiss. Imperatricis Viduæ,  
ELISABETHÆ CHRISTINÆ, Consiliarius & Ar-  
chiater. *Demetrius II.*

556. Dn. *Georgius Leonhart HUTH*, Med. Doct. & Pract.  
ac Reipubl. Norimbergens. Phys. Ordinar. *Hygie-  
nus II.*
557. Dn. *D. Xaverius MANETTI*, Medicinæ & Botani-  
ces Prof. Publ. & Horti botanici Cæsarei Florentini  
Custos. *Theophrastus Eresius III.*
558. Dn. *Joannes Guilielmus WIDMANN*, Medicin. Doct.  
& Pract. ac Reipubl. Norimbergens. Phys. Ordinar.  
*Dieuches III.*
559. Dn. *D. Cromwell MORTIMER*, Regiæ Societatis  
Scientiarum Londinensis Secretarius & Collegii Mc-  
dici Socius. *Nigidius Figulus II.*

Anno 1750.

560. Dn. *Albertus de HALLER*, Philos. & Medic. Doct.  
Botan. Anatom. & Chirurg. in Regia Göttingensi  
Academ. Prof. Publ. Ordin. Consiliar. Aulic. & Ar-  
chiat. Potentiss. Reg. Magn. Britann. Suprem. Senat.  
Reipubl. Bernens. Ducentumvir, Societat. Scien-  
tiar. Anglic. Berolinens. Stockholm. & Upsal. Soda-  
lis. *Herophilus III.*
561. Dn. *D. Casimir Christophorus SCHMIEDEL*, Sereniss.  
Marggr. Brandenb. Culmbac, a Consil. Aul. Médi-  
cin. Anatom. & Botan. in Academ. Fridericana Er-  
langensi Prof. Publ. Ordin. *Oribasius II.*
562. Dn. *Fridericus BOERNER*, Medicin. Doct. & Pra-  
cticus Guelpherbytanus. *Cineas II.*

Ordo  
receptionis.

563. Dn. *Gottlob Carolus SPRINGSFELD*, Medicus Ducalis Aulicus & Physicus Civitatis Leucopetrensis ac Societatis Teutonicæ Lipsiensis Sodalis. *Stantius II.*
564. Dn. *Ludovicus Michael DIETERICHS*, Philosoph. & Medicin. Doct. & Practicus Ratisponensis. *Iidorus II.*
565. Dn. *Henricus HEISENIUS*, Medicin. Doct. & Practicus Vachensis. *Hicesius II.*
566. Dn. *Joannes Ambrosius BEURER*, Xenodochii Norimbergensis ad Spiritum Sanctum Pharmacopœus ordinarius. *Apollonius II.*
567. Dn. *Joannes Ernestus STIEFF*, Philosoph. & Medicin. Doct. & Practicus Wratislaviensis. *Solon II.*

## II.

# CATALOGUS

Dominorum Collegarum hujus Academiæ, hactenus, quoad quidem nobis constat, demortuorum.

Ordo  
receptionis.

316. Dn. *Joannes Gabriel DOPPELMAYER*, Mathematicum Prof. Publ. in Gymnasio Ægidiano Norimbergensi, Imperial. Academ. Petropolit. itemque Regiar. Societatum Scientiar. Anglic. & Pruss. Sodalis, † d. 1. Decembr. 1750. ann. ætat. 73.

Ordo  
receptionis.

320. Dn. D. *Joann. Georgius LIEBKNECHT*, Prof. Theol. Primar. Senior Facult. Theol. & universæ Academiæ Gieffenæ & Superintendentens Circuli Marpurgens. † d. 17. Septembris 1749. ann. ætat. 71.
376. Dn. D. *Rudolph. August. BEHRENS*, Consiliar. Aulic. Sereniss. Ducis Brunsuic. & Lüneb. Decanus Collegii Med. & Poliater Brunsuicensis, † d. 12. Octobr. 1748.
393. Dn. *Joannes Godofredus BüCHNER*, Illustrissimor. Comitum Ruthenor. Consiliar. & ab Archiv. Secretior. † d. 8. Maj. 1749. ann. ætat. 54.
410. Dn. D. *Joannes Philippus WOLFF*, Illustriss. Comit. regnant. de Castell-Rüdenhausen Consiliar. Aulic. & Archiater, † d. 11. April. 1749.
485. Dn. D. *Joannes STORCH*, Comes Palatin. Cæsar. Sereniss. Ducis Saxo-Gothani & Principis Schwartzburgo-Rudolphopolitani Consiliar. & Archiat. Præsid. militar. & Præfectoriae Gothanæ Medicus ordinarius, † d. 9. Januar. 1751.
489. Dn. D. *Joann. Conradus TRUMPH*, Practicus Goslariensis & Metallicolarum sylvæ Hercyniæ Medicus ordinarius, † d. 8. Mart. 1750.
520. Dn. D. *Christophorus Conradus SICELIUS*, Practicus Nordhusanus, d. 15. Junii 1748. ann. ætat. 52.
523. Dn. *Christianus Gottlieb FREGE*, Med. Doct. & Practicus Lipsiensis, † Mens. Jun. 1748.
525. Dn. D. *Joann. Georgius LOECHL*, utriusque Nosocomii aulici Monachiensis St. Josephi & Elisabethæ Physician, Sacr. Cæs. Majest. CAROLI VII. gloriosiss. memor. Consiliar. & Medicus cubicularis, † Ann. 1745.  
(*Hujus Mors justo serius nobis annunciata fuit.*)

Ordo  
receptionis.

526. Illustrissimus ac Excellentissimus Dn. *Georgius Josephus Antonius Maria S. R. I. Comes de KOENIGSFELD*, Augustiss. Imperator. CAROLI VII. & Sereniss. Elektor. Bavar. Consiliar. intim. actual. & respective Minister Conferentiarum, supremusque Camerarius, † d. 16. Novembr. ann. ætat. 72.

### III.

## CATALOGUS alphabeticus

Excellentissimorum Virorum, qui pro  
IX. hoc Volumine observationes physico-  
medicas communicarunt.

Dn. D. *Joannes Sebastian ALBRECHT*, Gymnasii Casimiri-  
ani Academicus, quod Coburgi floret, Philosoph.  
natural. Prof. Publ. Ordin. Physicus Ducalis Provin-  
cialis, Acad. N.C. Adjunctus, d. *Panthemus*. pag.

I. 187. 401.

Dn. D. *Eberhard. Frideric. BLANCHOT*, Med. Licent.  
& Practicus Stutgardiensis. pag. 350.

Dn. D. *Philippus Adolphus BOEHMER*, Medicinæ &  
Anatomiae in Regia Fridericiana Hallensi Academia  
Prof.



Prof. Publ. Ordinar. Acad. N. C. *Herophilus II.*  
Append. pag. 59.

Dn. D. *Jo. Philippus BREYNIUS*, Medicus Gedanensis,  
Acad. N. C. *Collimachus* Soc. Reg. Lond. Socius.  
Append. pag. 173.

Dn. D. *Joannes Martinus BREHM*, Reg. Suecicus & Has-  
siacus, itemque Ducal. Hildburghusanus Medicus  
resp. aulicus & Provincialis, Practicus Smalcalden-  
sis. Acad. N. C. *Sethus II.* pag. 345.

D. D. *Francisc. Ernestus BRÜCKMANN*, Poliater Guel-  
pherbytanus, Adseffor Collegii Medici Brunsuicens.  
Societat. Reg. Berolinens. Scientiar. Sodalis. Acad.  
N. C. *Mnemon.* pag. 156.

Dn. D. *Salentinus Ernestus Eugenius COHAUSEN*, Ar-  
chidiaeces. Trevirens. Proto- Physicus, Præsidii E-  
lectoral. Medicus ordinar. & Poliater Confluenti-  
nus. Acad. N. C. *Cleombrotus II.* p. 27. App. p. 33.

Dn. D. *Christianus Andreas COTHENIUS*, Potentiss. Regi  
Boruss. a Consil. aul. & t. t. Sereniss. Duci Viduæ  
Ducique Filiq Megapolit. a tutela Corp. Physicus  
Prov. Prignicens. Consul. Civitat. Havelbergens. A-  
cad. N. C. *Callimachus II.* Append. pag. 108.

Dn. D. *Joannes Fridericus CRELLIUS*, Anatomiæ, Phy-  
siolog. & Pharmaciæ Prof. Publ. Ordinar. in Aca-  
demia Helmstadiensi. Acad. N. C. *Sostratus III.*  
pag. 223.  
Dn.

- 
- ❧      ❧
- Dn. D. *Henricus Fridericus DELIUS*, Medicinæ in Fridericana Erlangensi Prof. Publ. Ordinar. Acad. N. C. *Democedes II.* pag. 388. App. p. 123.
- Dn. M. *Bonifacius Henricus EHRENBERGER*, Mathes. & Metaphys. Prof. Publ. in Illustri Gymnasio Coburgensi, & Alumnorum Inspector. Acad. N. C. *Euclides III.* pag. 58. 135.
- Dn. D. *Joann. Balthasar EHRHART*, Reipubl. Memmingens. & diversorum S. R. I. Statuum Archiater. A. N. C. *Lysias.* pag. 128.
- Dn. D. *Joannes Bernhardus de FISCHER*, quondam Russiarum Magnæ Imperatricis, ANNÆ, gloriose memoriae, Personæ Medicus, & per Russias, medicas res dirigens, Archiater. Acad. N. C. *Olympus.* pag. 256. 335.
- Dn. D. *Joann. Hermannus FÜRSTENAU*, Prof. Medicinæ primarius & Oeconomiæ Ordinarius in Academia Rintelensi. pag. 16. 144. 279. 367.
- Dn. D. *Joann. Fridericus FÜRSTENAU*, utriusque Medicinæ Doct. Anatom. & Chirurg. in Academ. Rintelensi Prof. Publ. Ordin. Acad. N. C. *Faustinus.* pag. 54. 197. 329.
- Dn. D. *Joannes de GORTER*, Medicin. Prof. Publ. Ordin. & Archiater in Academ. Duc. Geldr. & Comit. Zutphan, quæ est Harderovici. pag. 316.



- Dn. D. Joann. Godofredus de HAHN, Potentiss. Reg. Boruss. Consiliar. aulic. Poliater Wratislaviensis. Acad. N. C. Dexius. Append. pag. I.
- Dn. Henricus HEISENIUS, Medicin. Doct. & Practicus Vachenfis. Acad. N. C. Hicesius II. pag. 211.
- Dn. D. Joann. Jacobus HUBER, Collegii Medico-Chirurgici, quod Cassellis floret, Prof. Chirurg. & Anatom. practicæ, Potentiss. Reg. Sueciæ atque Landgravii Hassiæ Consiliar. aulicus & Archiat. Aulæ Badena-Durlacensi Medicus Acad. N. C. Areteus II. pag. 382.
- Dn. Lic. Christian. Frider. JOERDENS, Physicus ordinarius & Scholarcha Illustris Gymnasii Curiensis in Variscia. Acad. N. C. Micon. pag. 157.
- Dn. D. Carolus Frider. KALTSCHMIED, Anatom. Chirurg. & Botan. in Jenensi Academ. Prof. Publ. ordin. Sereniss. Ducis Saxo-Vintar. & Isenacens. ac Sereniss. Marchion. Brandenb. Culmbac. Consil. aulicus, prioris Medicus ac Physicus, Comes Palatin. Cæsar. Acad. N. C. Protarchus II. pag. 12.
- Dn. Andreas Jacobus KIRSTEN, Med. Doct. & Practicus Græfenbergæ Noricorum. pag. 24.
- Dn. D. Georgius Christianus MATERNUS de CILANO, Director Gymnasii academicí Altonensis & Philosoph. natural. ac Medicin. in eodem Prof. Publ. Ordin.



- din. Comitatus Pinneberg. & Rantzoviens. Med. Provincialis, Altonensium Poliater, & Collegii anatomici Director. Acad. N. C. *Menander.* pag 357.
- Dn. D. *Georgius Fridericus MOHR*, Liberæ S.R.I. Civitatis Giengensis Physicus ordinarius. Acad. N. C. *Archimedes III.* pag. 120.
- Dn. D. *Rüdiger Frider. OVELGÜN*, Comes Palatin. Cæsar. Medic. Provincial. Moguntin. Archiater Waldeccensis, Reverend, Capitul. & Civitat. Fritzlariens. Medicus Ordinar. Acad. N. C. *Diophantus II.* pag. 297.
- Dn. D. *Joann. Christophorus POHL*, Medicin. Prof. Publ: Extraord. in Academ. Lipsiensi, Facultat. Med. Adseffor, Collegii B. M. V. ibidem Collegiatus. Acad. N. C. *Philadelphia.* pag. 288.
- Dn. D. *Wolfgang Thomas RAU*, Physicus Provincialis Geislingensis, & Collegii Medici Ulmensis Adseffor. pag. 150.
- Dn. D. *Joann. Adam. RAYMANN*, Physicus Eperiesinus in Hungaria. Acad. N.C. *Aristophanes.* pag. 87. 307.
- Dn. *Christianus Fidejustus SILBERSCHLAG*, Medicus Aulicus & Poliater Ohrdruffiensis. pag. 342.
- Dn. D. *Christophorus Jacobus TREW*, Sacr. Cæf. Majest. ut & Sereniss. March. Onoldino- Brandenb. Consiliarius & Archiater, Reip. Nor. Phys. Ord. Sen. Co-

in loco affecto vulnere, seu alio signo, præter tumorem. Tunc enim plerumque symptomata illa ab ægroto malitiose simulata, a Medico vero ex mera suppositione judicata clamant adversæ partis patroni, ut Judici, si quidem fieri possit, fucum faciant & a recte sentiendi via ad devia abducant suis dubitationibus. Immo in subsidium nonnunquam vocantur Chirurgi, uti plerumque imperitiores, sic in primis arduorum ejusmodi casuum plane ignari, ut per sua testimonia, Medici relationi contraria, fidem hujus, si possint, infringant, quamquam bene alias noverint, in foro legali fidem & autoritatem Medici periti præ Chirurgo barbitonfore semper prævalere (a). Recensione dignum judicio ejusmodi casum, per quatuor fere annos in foro acautarum patronis agitatum, tribus tamen conformibus JCTorum sententiis rite judicatum. Lanionis cujusdam servo, ætatis 19. annorum, oves d. 12. mensis Septembris anno 1741. circa meridiem pascenti lis movebatur a rusticis quibusdam, & de flagello quodam amisso, & de inconvenienti pa-

(a) Vid celeberr. *Mich. ALBERTI Jurispr. med. Tom. I. cap. I. §. XXVIII. Herm. Frid. TEICHMEYERI Institut. med. legal. Cap. XXI. p. m. 179.* Chirurgis solis vix creditur; in primis vero celeberr. BOHNIVS de dupl. Offic. Med. Part. I. Cap. III. p. 43. Tertium, quo muneric auctoritati Medicorum detrahunt Chirurgi, non horum, sed Legislatorum potius quorundam, culpa sit, qui horum in deponendo super vulnerum lethalitate similibusque fidem ac peritiam Medicorum peritiæ parem, nedum hac majorem, voluerunt, &c. quamvis nonnullios JCTorum ab hac sententia recessisse, in propatulo sit. Conf. Part. II. Cap. III. pag. 558. Celeberr. *Mich. ALBERTI Commentat. in Constitution. Criminal. Carolin. artic. CXXXVI. p. 330. seqq.*

pascuorum seu jure pascendi in illo loco. A verbis mox ventum est ad jurgia, a jurgiis ad verbera. Alter rusticorum juvenum lanionis servum capite prehensum declinavit, alter vero pedo ex manibus opilionis extorso duobus tantum i<sup>t</sup>ibus regionem hypochondriacam & lumbarem dextram, propter declinatum caput nunc eminentiorem, graviter percussit. Quo facto commorantem adhuc ad vesperam usque læsum in illo loco vehementes invasere dolores, ut erectus progredi non potuerit, paulo post sanguis copiosus per nares, per os profluxit. Domum ductus circa vesperam, Chirurgi cujusdam curæ se commisit, qui, explorata contusionis perpetuae conditione, in tumentem regionem sacculos ex herbis resolventibus, cum vino decoctos, calide applicavit rite. Sed tertio die accendentibus gravioribus symptomatibus, motibus in primis convulsivis, id denunciavit. Jussu itaque illustr. Regiminis ad ægrotum missus, vi di illum sinistro lateri incubantem, contracto corpore, debilem, anhelum, & paucis tantum verbis, ob difficultatem loquendi ex dolorum augmento, de summis doloribus, uti in toto abdomen sic in primis in affectis & contusis locis querulum. Præter tumorem nihil quidem reperiebam in affecto latere, & excretiones tam alvinam, quam urinariam, successisse legitime referebant adstantes, convulsum tamen aliquoties hoc die esse Chirurgus præsens addebat. Ex conditione situs corporis, quo verbera exceperat æger, ex instrumenti læsionis conditione, ex symptomatibus præsentibus, summis doloribus, respirandi, loquendi, ob dolorum augmentum, difficultate, convulsivis motibus, ab aliis observatis, ex viscerum natura & situ, quæ hæc loca intus occupant, ex decubitu contracto in sinistrum latus, ex impotentia reclinandi corpus ad latus dextrum, ex harum circumstantiarum omnium non sane ex suppositione mera, sed rationali computatione, non poteram non judicare, ejusmodi

symptomata non oriri a sola externa contusione, sed duorum illorum ictuum, baculo tereti infiectorum, vim altius penetrasse & viscera in his regionibus sita, hepar, diaphragma, forsan etiam renem dextrum, inde laesa esse graviter, ideoque statum ægri tanto minus vili esse pendendum, quanto graviores contusiones nobiliorum internarum partium, ipsis vulneribus sæpe magis periculosiores esse soleant (b). Licet alias Chirurgus, juratus quidem, sed parum expertus & harum rerum minime gnarus, in externis tantum hæren, nullo respectu habito ad partes sub istis regionibus contentas, denuo, de nihili esse læsionem, denunciaverit, ut sic novam tantummodo, ex ignorantia notam, dubitandi rationem, causæ adversæ patronis suggesserit impudens, eventus in ulteriori morbi progressu satis docuit, illas partes a me indicatas a labe non fuisse immunes. Nam postquam interalia resolventia etiam Arnicæ infusum propinaveram, undecimo morbi die sanguis coagulatus seu grumescens, cum fecibus mixtus, & cum urina, post aliquam mingendi difficultatem, tanquam vias propiores, sed etiam subinde per os rubicundus quidem, non tamen spumosus, ex longinquo repetitus, post anxios & repetitos dolores, immo post iteratos motus convulsivos perpeffos, fuit excretus. Continuavit hæc excretionio per os ad decimam usque septimanam & ultra, diversis modis mutata, adparente interdum tumore livido, brevi transeunte & redeunte circa mammam dextram. Ipsam vero hanc excretionem non ex pulmone, sed hepate potius.

b) Conf. *Commerc. litter. phys. techn. med. Noric. 1745. Hebd. XXIX. p. 228.* ubi percussione vis probatur exemplo; quod nuper demum Stuttgardiaæ accidit, ubi a pernicissima impulsione baculi teretis, non acuti, ad abdomen citra ullam continui solutionem, ex opposito rea medius crepuit.

potius, ortam esse, per vias præternaturales non æque notas, quæ abscessuum plurium est natura, sequentes me persuasere rationes: 1) *Læsionis locus*, nam non peñtus, sed hypochondrium dextrum primario affixit contusio baculo tereti facta. 2) *Sanguinis excreti conditio*, non spumosæ, sed crassioris, pituita remixti. 3) *Excretionis ratio*, non tussi, sed vehementibus spastico-convulsivis motibus, periodice, vespertino plerumque tempore hora quinta factæ, ubi dolores ingravescebant, quando diaphragmatis tensio renitebatur. 4) *Dolorum subjectum*, non peñtus dolebat, sed illi ardentes dolores in hypochondrio dextro percipiebantur & altius surgebant usque ad jugulum, serpentino quasi, & morsicante motu, donec ipsa excretio actu fieret post motus iteratos convulsivos. 5) Quin cum ipso cruento modo fluxiliore, modo spissiore coagulato aliquoties solidioris quasi vasculosæ substantiæ, in aqua tepida non resolubilis, aliquid excretum est, quod adhuc in spiritu vini asservo. 6) Quia sanguinis excretio non statim primis diebus, sed undecimo demum die, Arnicæ usu contigit. 7) Auctoritas CELSI, qui *Libr. V. de Medicina, Cap. XXVI. §. 10.* inter signa læsi hepatis refert: punctiones doloresque usque ad jugulum, juncatumque ei latum scapularum os, intensos. Hæc mea de subiecto læsionis speciali sententia confirmata est ulteriori morbi progressu. Nam I<sup>mo</sup> Novembris excretio ita mutabatur, ut una cum sanguine aliquid puris, sub levitussicula, excerneretur ad vigesimum usque hujus mensis diem, ab eo tempore minor puris, major vero lymphæ glutinosæ, tenacioris, loturæ carnis instar coloratæ, copia spem consolidationis faceret. Accidit vero ut proximis diebus per animi pathemata vehementiora, iram inprimis, fortius agitaretur humorum motus, unde difficilius respirabat æger, & vigesimo secundo hujus mensis die major iterum sanguinis & puris copia proveniebat, doloribus iterum auctis ab hy-

pochondrio læso usque adjugulum. Hæc igitur mitigabantur adhibitis medicamentis contemperantibus ; & resolventibus externe hypochondrio læso applicatis ; nova enim lymphæ nunc minus coloratæ copiosa excretio fuit observata. Proximo die vigesimo septimo æger de amaricie oris, ventriculi inflatione & inde orta nova dyspnea querebatur, quæ tamen symptomata, nova læsi hepatis indicia, multum remittebant, interno usu rhabarbarinorum & cichorii infuso, externe autem cum resolventibus etiam paregoricis applicatis. Vigesimo nono hujus mensis die contigit, ut nasutulus ille Chirurgus temerariam manum violenter inter costas spurias & hepatis situm adigeret, & verbis contumeliosis incongruis animum ægri denuo incenderet ira, unde denuo orti convulsivi motus vehementes etiam ad brachium dextrum usque progrediebantur. Delenito ægri animo & exhibita Mixtura ex aquis diapnoicis cum pulveribus cinnabarinis & antepilepticis specificis consopiebantur illi motus, aucta interim tertio & quarto Decembris dyspnœa. Postquam vero ab usu Mixturæ resolventis major iterum copia coaguli viscidí, pituitosi, cruore & pure mixti, excrene-  
retur, illa remittebat, manente adhuc dolore magis nunc tensivo, quam morsicante in hypochondrio dextro, qui ad-  
huc impediebat, quo minus æger nec sedere erectus, nec dextro lateri incumbere potuerit. Novam itaque instituebam corporis explorationem, advocato simul in testimonium rei beato nostro Consiliario atque Archiatro BüCHELMANNO, tertio quoque simul Chirurgo admisso. Denudatum ægrum prone super mensam, quantum dolores id permittebant, prostratum, omnes ac singuli curiose inspeximus & statim, præter tumentem regionem hypochondriacam dextram, observabatur, ob maciem summam, contraetiam per morbum diuturnum dolorosum, curvatura spinæ dorsi circa in-  
feriores thoracis & superiores lumborum vertebraes, detra-  
ctis

Etsi simul & elevatis costis spuriis, ex situ in sinistrum latus continuo, supposita manu sinistra capiti, per tres menses, ob dolorum vehementiam, si in latus oppositum & affectum corpus reclinare volebat, nata, & per inæqualem ligamentorum tensionem nec non cartilaginum intervertebralium inæqualem pressionem confirmata & habitualis. Prospiciendum nunc erat etiam huic curvaturæ. Fasciis omnis generis adhibitis, sed nullis satis validis repertis ad restituendam rectitudinem, thorax tandem applicandus erat, ex solidiori corio confectus, quo successive arctius constricto ex parte voti compotes facti ulteriore applicationis continuationem ordinavimus. Medicamentis interim aperientibus; abstergentibus & tandem etiam traumaticis lenioribus in usum vocatis, sub congrua diæta per Dei gratiam tandem eluctatus est, per varios casus per tot discrimina rerum, æger morbum tam gravem & chronicum, valetudinarius licet mansurus per omnem ætatem. Hactenus ventum erat, & res extra omnem dubitationis rationem posita videbatur: sed nondum cessit litigandi libido, quæ novas contradictionses suggestis, quin dubitavit, annon servus æger a domino hospitio exceptus, ubi sanguinis ex laniena quotidiana copia, ad fallendum Medicum ore non exceperit sanguinem, miscuerit alvinis fecibus renalique excreto, & quæ hujus farinæ alia? annon jam ante laboraverit spinæ dorsi curvatura? &c. Sed qui in ægroto tale quid ante hunc casum observaverit, licet diu apud nos in urbe versatus sit, nemo erat qui testimonium poterat dare. Quis docuerit ægrotum plebeium Arnicæ efficaciam, ut post ejus usum demum simulaverit cruentas excretiones? quis docuit inexpertum naturæ methodum in sanandis fibris divulsis, cruorem excipere pus, hoc lympham glutinantem, sanantem. Fateor quidem, me nunquam ipsum excretionis actum oculis vidisse, sed a me visitante tantum producta excreta esse perlustrata;

lustrata; sed quis hoc requirat a Medico famulitium, ut non  
etu dieque lecto ægroti adstet & excubias quasi agat, donec  
ejusmodi quid contingat, nisi qui officia Medici cum mini-  
sterio ancillari confundere in contumeliam artis velit. Et  
quod rem tandem ab omni dubitatione liberat, & æger ipse &  
ancilla, cui ministerium quotidianum in cura ægroti deman-  
datum erat, juramento judiciali asseruerunt, rem ita ne-  
que aliter accidisse, nec quicquam vel commentitii, vel fi-  
cti, vel simulati subfuisse unquam. Sic tandem veritas, odii  
fœcunda mater, triumphat, mendacium ruit, solo relicto pu-  
dore. *O magna itaque, ut cum CICERONE (e) loquar,*  
*vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem,*  
*solertiam, facile se per se ipsam defendit.* Nec ego quidem  
ornatus causam hanc dicere volui, quam simplex ratio veri-  
tatis ferebat.

## OBSERVATIO II.

Dn. D. JOANN. SEBAST. ALBRECHT.

*Ruptura ilei a subita & violenta corporis disten-  
sione, intestinis flatibus repletis.*

Fibram omnem determinatum tantum admittere tensio-  
nis gradum, quo, ex quacunque causa, velocitate inpri-  
mis accidente, nimis aucto, rumpi eam, in physicis per ex-  
perimenta & observationes comperta res est. Accidente  
inde varia pathemata omnibus corporibus, tam naturalibus,  
quam artificialibus, quorum structura ex fibris, tam rigidio-  
ribus, quam mollioribus, est composita, vegetabilium æque  
ac animalium. Robustissimæ arbores violentiæ ventorum  
omni

omni resistere nequeunt, quin in medio s<sup>e</sup>pe frangantur. Multo minus vero ejusmodi improportionatam, impetuosa in primis, tensionem sustinere valent membranose animallium partes, quin lacerentur, & s<sup>e</sup>pius, pro conditione situs & actionis dignitate, subitam universae machinae minentur, immo inferant, ruinam. Novum hujus rei nunc quidem exhibebimus exemplum, quod nuper demum tristi sane fato observavimus.

Rusticus quidam, sexaginta annorum, robustæ, pro ætatis ratione, naturæ, staturæ mediocris, habitus corporis carnosæ, hernia inguinali pluribus retro annis laborans, bene a meridie pastus cibis nutrientibus flatulenter, globulis nempe farinaceis & brassica alba capitata muriatica, largo insuper potu assumto, post meridiem in item venit cum aliis rusticis ex vicinia, qui equis curruque limites agrorum transgressi erant. Inter jurgia, contumeliosa verba & rixas prehendit ille dextra sua frenum equi anterioris, ut progressum inhibeat. Subsultans velociter equus alacris, subita tensione attollit simul rusticum, violenter manum detrahere nescium; sentit hic rupturam aliquam in corpore, rumpuntur Ilia Codro. Ob dolorum vim subito ortam manibus pedibusque lente ad lares revertitur, nam erectus neque stare neque gressus facere poterat. Unicum dolorum levamen aliquod ex compressione abdominis sentit. In gravescentibus doloribus statim altero die, suborto sudore frigido, extintus est summo mane. Refertur casus ad Magistratum, qui judiciale corporis inspectionem, præsentibus Scabinis suscipiendam mihi Physico provinciali demandat, ut corpus delicti, quod vocant, h. e. veritatem & conditio nem læsionis, ante oculos ponerem ad Judicis decisionem. Suscepta illa est eodem adhuc die, ubi statim externe inflationem tumidam in superiori & inferiori dextri oculi palpebra, absque tamen omni inflammatione aut suggillatione

observavi, qui tumor, scalpello facta incisione, audito sibili flatulento, statim in utraque palpebra subsidebat, sine ullius humoris cujusdam extravasati effluxu aut indicio grumescientiae. In reliquo universo corpore nulla violentiae externae, vel contusionis, vel vulneris apparebant indicia, cutis saltem, quod tantum non in omnibus demortuis observatur, in tergo, regione lumbari & iliaca lividula erat. Totum abdomen flatibus, instar tympanitici, mire erat expansum. In inguinali regione, versus pubem, in conspectum veniebat tumor parvus, herniosus, detraicto emplastro contra rupturam imposito a Chirurgo. Scrotum vero sine omni tumore, flaccidum potius & rugosum, a compressis statim post mortem femoribus lividulum reperiebatur.

Post peractam integumentorum communium musculorumque abdominalium separationem, prima incisione in peritonæum facta cum intolerabili foetore copia flatuum erumppebat, subsidente multum abdominis tumore. Ulteriori facta sectione omentum corrugatum sursumque retrahitum, scirrhosum simul & ex parte corruptum observabamus. In pelvem vero sentina seu colluvies excrementorum, multo liquamine dilutorum, causa foetoris, mephitim spirantis, confluxerat. In perlustrationis ulteriori progressu ventriculus æque ac intestina, tam tenuia, quam crassa flatibus & copiose assūmtis corruptis turgida, in situ naturali videbantur. Diligenti adhibita cura tandem in regione iliaca dextra, in intestino Ileo ruptum vulnus, unius digiti transversi magnitudine, labiis, quemadmodum in rupturis fieri solet, inæqualibus, laceris, secundum longitudinalem tractum, veniebat sub conspectum. Ipsum vero intestinum Ileum a vulnere proxime erat sphacelo corruptum, remotius vero inflammatum. Præter hæc illud quoque evidensissimum nunc videbatur, tumorem ilium herniosum, externe in inguine observatum, hoc quidem tempore, non a de-

delapsu & ingressu intestinorum, sed relaxato antea fibra-  
rum processus peritonæi tono, a distensione flatulenta ab-  
dominis, fuisse natum. In hac ipsius processus tunica vasa  
venosa admodum erant varicosa, per eum autem transeun-  
tia ad testiculos vasa, cum ipsis testiculis & vesica urinaria  
ab omni labe reperiebantur immunia. Nulla circa cordis  
flaccidi auriculas aderant polyposa concrementa, quæ subi-  
taneæ mortis poterant accusari causæ. Pulmones videba-  
mus ab infarctu sanguinis spissioris lividos gravesque, quo-  
rum sinister lobus pleuræ firmiter erat annexus.

Nulla itaque alia causa, magis evidens, mortis subitæ  
poterat detegi, quam crepatura ilei, orta a veloci & violenta  
corporis sursum facta extensione. Neque hæc est sine ex-  
emplo. Celebris enim quondam Job. Jac. WEPFERVS re-  
liquit nobis duas Observationes de Ilei atque intestinorum  
crepatura, sine abdominis læsione externe conspicua, in  
*Ephemeridibus Nat. Cur. Dec. II. Ann. X. Obs. CLXXI. p.  
297.* & *ibid. Observ. proxima p. 331.* ubi in Scholiis erudi-  
tissimis annotavit, id facile fieri posse, si intestina flatibus  
fuerint distenta, quemadmodum & in hoc subiecto illud ob-  
servavimus, immo flatus ad ipsas palpebras oculi dextri pe-  
netrasse, ex natura & vi aëris elastica, quæ, uti notum, per-  
quam insignis est.

(Coburgo Halam missæ d. 16. Maii, 1747.)

*OBSERVATIO III.*

Dn. D. CAROLI FRIDER. KALTSCHMIEDII.

De

*Ileo in Hernia incarcerata Gangræna affecto,  
ægra tamen superstite.*

Mulier sexaginta & octo annorum, jam per multos annos tumorem in dextro inguine senserat, magnitudine ovum gallinaceum excedentem, levique manus pressioni per multos annos cedentem, sponte etiam ut plurimum per femnum disparentem, interdiu vero, motu in primis corporis vehementiori denuo ad parentem, herniam itaque inguinalem prodentem. Die vero hujus anni XIX. Aprilis, tumor induratus admodum dolere, nullamque admittere repositionem cœpit. Doloribus in dies auctis, quartoque die calore accedente præternaturali, ad petitiue prostrato, alvi obstructione vexatur pertinaci. Quibus symptomatibus frustra per remedia, quæ vocant domestica, tentatis, octavodie, XXVI. Aprilis, auxilium meum implorabat, ubi, præter antea memorata symptomata, vomitu fatigata, dolores sentiebat acutissimos. Jam etiam rubor herniæ incarceratedæ, admodum induratæ, splendens, inflammationem intestini ilei, doloribus late ac profunde abdomen occupantibus, testibatur, omniaque emollientia ac lenientia per noctem adhibita eludebat. Nulla itaque nec internis, nec externis remedii relicta spe, ægra cultello chirurgico se submisit. Die igitur sequenti XXVII. ejusdem integumentis dissectis intestinum ileum satis denudatum maculam nigram, nummi argentei magnitudine, ostendebat, & circa circum musculis abdominis & in primis rupto peritonæo firmissime

missime cohærens, omnem repositionem renuebat. Nec ausus aperturam muscularum abdominis dilatare, veritus, ne partes intestini ilei gangrænosæ, abdomini immissæ, an- ceps jam vitæ periculum cum sphacelo & morte commu- tarent. Admota igitur intestinis denudatis Essentia Opobal- sami & balsami Peruviani probe saturata, cataplasma emol- lientia diligentissime adhibenda curavi, a quibus per 24. horas admotis, internis temperantibus ac bezoardicis mediis superadditis, partes gangrænosæ intestini ilei multum fundebant ichorem cum foetore fere intolerabili, fæcesque re- clusas ruptæ dimittebant. Admoto aperturæ ilei balsamo de Copaiwa, pus benignum adparebat, foetorque imminutus quarto die disparebat. Apertura intestini ilei, pollicem ad- mittens, colore rubro muscularum abdominis vulneris la- biis similis, doloribus & calore febrili fugatis adpetituque redeunte, spem vitæ protrahendæ dabant. Nec spes vana; subsequentibus enim XIV. diebus reliquæ ilei partes integræ, cute antea remota testæ, vulneris consolidationem admis- runt, nisi, quod aperturam ilei occludere doloribus denuo accendentibus prohiberer. Cluso itaque circum circa vul- nere, aperturam ilei intactam relinquebam, fundentem as- sumta saepius immutata. Omnes interim actiones, & vita- les, & naturales, a statu sano non abhorrent, nisi quod al- vus debito modo non semper respondeat, quando fortior excretio per aperturam ilei fit, lubricantibus autem adhibi- tis medelam admittit. Adpetitus vero hactenus præsens eum superat, qui ante accessum supra memoratorum sym- ptomatum adfuit. Nec ullum postea adparuit symptomæ, nisi quod vulnus intestini die XIV. Junii uncias circiter duas, & die XXIX. ejusdem unam sanguinis funderet. Status au- tem præsens ipsi negotiis domesticis interesse permittit.

## OBSERVATIO IV.

Dn. D. CAROLI FRIDER. KALTSCHMIEDII.

De

*Ileo a Scrupulis pirorum mespilaceorum eroſo  
& perforato.*

**O**pifex quidam XXV. annorum præteriti mensis initio ingentem avellanarum pirorumque mespilaceorum devorat copiam. Passione iliaca correptus per 14. dies a Medico satis perito frustra opem fert. XIV. mensis præteriti die ego vocatus, ac quævis emollientia, diluentia & draſtica,  $\alpha\mu\alpha$  &  $\kappa\alpha\tau\omega$  immissa, frustra adhibita a circumstantibus edocetus, ægroto Mercurii vivi libram I. in oleo amygdal. dulc. propino, clysteribusque emollientibus continuandum suadeo, additis jufculis lubricantibus. Omnibus autem irritis æger die sequenti moritur.

Sectione die XVI. instituta, totus intestinorum tractus inflamatus apparebat. Imprimis autem ileum in parte inferiore in tribus locis perforatum, prope valvulam Bauhini, ubi corrugatum & mire contortum tres quasi separatas cavitates, fæcibus duris repletas, efficiebat, ita erosum erat, ut ab intestino colo quasi abruptum videretur, non nisi paucis fibris cum intestino colo adhuc cohærentibus. In fæcibus in cavitatem abdominis effusis, in vicinia partis ilei dilaceratae quiescentibus, aqua dilutis, unciam dimidiām scrupulorum ex pisces mespilaceis inveni, quorum quantitas etiam fere æqualis adhuc partim in fæcibus prope rupturam antea memoratam ilei intus, partim circa reliquas partes ilei erosas deprehendebatur. Intestinis ex abdome remotis, mercurii vivi propinati portionem in cavitate abdominis fruſtra

stra quærebam, quod tamen ex perforato ileo conjicere licet, quippe qui ad partes erosas non penetraverat, fæcibus induratis ilei partem, ad ulnæ longitudinem a colo remotam, adeo occludentibus, ut ne granum quidem ulterius penetrare potuerit. Corrugationem igitur ilei circa connectionem cum colo præternaturalem, fæcibus induratis ejusmodique scrupulis pirorum, duritie ac superficie aspera ad vitri contusi figuram proxime accendentibus, obstructionem, irritationem, inflammationem ac erosionem præstantibus, morbo incunabula struxisse, ut ingurgitati scrupuli erosionem funestam præstiterint, in aprico est; tristissimo simul exemplo, scrupulos ex piris ejusmodi mespilaceis non temere esse deglutiendos, monente. Præter autem modo memorata jucundum erat, quod multis Dominis Commilitonibus sequentia in cadavere hoc commonistrare possem: 1.) in posteriori enim hepatis parte lobus præter naturam adparebat, linguæ humanæ figuram & longitudinem exacte representans; 2.) vesicula fellea duplo major admodum inflata adparebat; 3.) intestinum duodenum amplitudine sua colon fere æquabat, ita quidem, ut in eadem amplitudine a pyloro statim pergereret, pylorus quoque duplo amplior, quam vulgo videmus, conspiceretur. Cumque voracitatis id signum Auditoribus exhiberem, a circumstantibus familiaribus defuncti testimonium sequebatur, fame ipsum saepius præternaturali vexatum fuisse. Symbolam suam quoque contulit ad obstructions alvi in hoc subiecto hæc mala conformatio; cibis ventriculo propter nimium dilatatum pylorum assumitis remoram & digestionem sufficientem denegante, crudiorem & minus subactam massam eorum in intestina prudente, ac potu non sufficienti superingesto, devoratis in primis cibis minus resolubilibus, & sic obstructionibus alvi passionique iliacæ pabulum præbente.

(*Jena Halam missæ d. 5. Julii 1747.*)

OBSER-

*OBSERVATIO V.*

Dn. D. JOANN. HERMANNI FÜRSTENAU.

*Foramen in fundo ventriculi aliaque præternaturalia in cadavere sectione judiciali  
deprehensa.*

Juvenis rusticus 30. fere annorum, non maritatus, respiratione diffcili, flatulentia & similibus symptomatibus, diu multumque vexatus, varia undique conquisita, maxime empirica, usurpavit auxilia, absque omni salutari effectu. Tandem is mane in lecto, in quo duo simul socii cubaverant, subito exanimatus & triduo abhinc legali inspectioni adjudicatus, habitum corporis externum maculis variis & striis, staseos sphacelosæ testibus, refertum, pudendum cum scroto tumidum & lividum, incisione facta collapsum, & pollices in manibus pedibusque incurvatos, circulum vero rubicundum in collo, quiprius adfuisse fertur, fere evanidum ostendit. Abdomine lege artis aperto, omentum parvum & lacerum, intestina inflammata, & cœco cum appendice vermiciformi & valvula *Baughini* plane destituta, transitu extenuibus in crassa sollicite, sed frustra, quæsito, apparuerunt. Ventriculi vero fundus, pariter inflammatus, foramen obtulit semifloreni magnitudine, non tamen contentis plane destitutus fuit, quæ, facta ejusdem elutriatione, ignis ope evaporata, colorem nigricantem, foetorem vero abominandum, præ se tulerunt. In pelvi sanguis, loturæ carnis similis, libræ unius fere pondere, visus est, vesica urinaria & partibus vicinis illæsis; fellea vero vesicula cum hepate examinata, plane flaccida & bile omni destituta apparuit. In pectori pulmones suggillati & lobis suis mediante diaphragmate,

mate, quod perforarunt, hepati adnati, cor vero situ plane perverso & quasi horizontali, atque notabilis pariter sanguinis feroci extravasati quantitas, diaphragmati incumbens, deprehendebatur. In capite præter sinum duræ matris falciformem, sanguine extravasato repletum, nihil fere p. n. adparuit.

Ex hisce phænomenis tale formavi judicium: Licet ex constitutione variarum partium præternaturali vitæ & valedudini defuncti notabile damnum illatum sine dubio sit; nullum tamen vitium præterquam foramen illud in fundo ventriculi notatum, morti subitæ inducendæ sufficere, illud vero non aliunde, quam a materia acri caustica & venenata, sive alimenti, medicamenti, aut veneni forma brevi aut longius abhinc adsumta, sive ab alio propinata, derivandum esse, id quod & contentorum ventriculi conditio confirmare videtur, quæ, prædicto modo examinata, nullas ciborum reliquias eidem admixtas ostendit, nullis in abdominis cavitate & pelvi quoque deprehensis. Similem febre casum celeberr. Dn. Mich. ALBERTI, Jurisprud. med. p. 268. annotatum reliquit.

## OBSERVATIO VI.

Dn. D. JOAN. HERMANNI FÜRSTENAU.

*Phtisis absque notabilioribus symptomatibus  
lethalis.*

**V**ir biliosus, 40. annorum, prævia animi ægritudine febre catarrhalis cum purpura correptus, per æstatem male habet, variisque medicamentis in primis chinatis & purgantibus tractatus, autumno ingruente pejus in dies habet, & respiratione valde difficili cum virium decremento in dies

majore laborare cœpit, tussi non tam humida, quam sicca, nec nisi certis intervallis, molesta Hæmoptysis nulla per totum morbi decursum adfuit, pedum tumor non nisi per breve temporis spatium circa talos, isque valde mediocris, fuit visus; maxima saltem de nausea, ciborum fastidio, flatulentia, oris siccitate, alvique segnitie querela fuit: quibus congruis auxiliis cum ἐνθερα ægroti itum est obviam. Sed non obstante ciborum, qui rediit, appetitu, vires, cum alvi tarditate persistente, in dies sunt imminutæ, febre lenta & vix sensibili circa meridiem ingruente & sudoribus colliquatibus, nec non capillorum & unguium defluvio, corpusculum marcidum depascente, atque sub urinæ haetenus flammeæ & purpureæ in turbidam & hinc coctam mutatione, cum aliis signis bonis per aliquot dies licet adparentibus, circa solstitium hybernum, mente integra, letho ægrum tradente.

### OBSERVATIO VII.

Dn. D. JOAN. HERMANNI FÜRSTENAU.

*Puerpera cum singularibus & extraordinariis  
symptomatibus defuncta.*

Fœmina juvencula 28. annorum, recens maritata mox a nuptiis imprægnata, marito peregre hinc profecto, toto gestationis tempore de doloribus dorsi acerbis fudit querelas, V. Sne semel atque iterum administrata. Ingruente partus tempore, accedentibus consuetis doloribus, aquis mox profusis, ægra triduo elapsa non nisi V. Sne in pede repetita & balneis, fotibus, inunctionibus aliisque internis & externis remediis simul adhibitis, difficillimo labore puellam tandem mortuam enixa est, primis post partum horis belle, imo

imo pancratice sibi valere visa , altero abhinc die mola ex-clusa , lochia per sex continuos dies satis larga profudit . Hinc vero eorum fluxu sensim remittente neque arte ulla revocabili , febris , quæ ante partum invasit , brevi eodem exantlato recruduit & accedente purpura alba , in pectore saltem & collo conspicua , cum delirio per intervalla exacerbato , risu & vigiliis perpetuis , siti inextinguibili , alvi duritie , urina flammea & cruda & similibus symptomatibus , variis licet remedii , temperuntibus , absorbentibus , paregoricis , demulcentibus , diaphoreticis , laxantibus roborantibus varia sub forma , ipsisque vesicatoriis iterato applicatis , ægram nihil conquerentem , hilarem & usque ridentem ; adeoque quid secum ageretur fere nesciam , die morbi primo & vigesimo e medio sustulit .

Trimestri hinc elapso defunctæ soror , vix duos annos major natu & ipsa primipara , filium sanum vegetumque enixa , purpura pariter alba , anxietate præcordiali , hinc & delirio accedente , circa septimum a partu die extincta est .

### *OBSERVATIO VIII.*

Dn. D. JOAN. HERMANNI FÜRSTENAU.

*Hæmorrhagia uteri gravidæ & fœtui noxia.*

**M**enses gravidarum fœtui innoxios Vir Clariss. J. H. SLEVOGTIVS peculiari Dissertatione demonstravit . Hujus ut passim occurrunt exempla omni dubio carentia , maxime si priores gestationis menses , si plethoram , hæreditariam dispositionem , consuetudinem & similes attendamus circumstantias ; ita vicissim uterina hæc excretio præter naturæ ordinem & consuetudinem , ultimis præcipue mensibus contingens , aut matri , aut fœtui fausti nihil omisi-  
nari ,

nari, quin potius subinde utriusque funesta esse solet, cuius quidem rei notabile nuper exemplum videre licuit in fœmina honesta plusquam quadragenaria, post aliquot annorum intercapedinem iterum, & octavo quidem mense, grava, quæ ructibus acidis & nausea, cum sanguinis ex ute-  
ro stillicidiis, laborans, vix aliquot Tincturæ fuliginis satu-  
ratæ dosibus adsumtis belle ad se rediit, versus sacra natali-  
tia puerperium lætum exspectans; sed paucō dierum in-  
tervallo, redeunte hæmorrhagia uterina, doloribus partus si-  
mul mussitantibus, & V. Sæ in brachio, & analepticis aliis-  
que congruis auxiliis adhibitis, inter ipsos partus dolores,  
fœtu neutiquam excluso, animam exhalavit. Aliam novi  
fœminam fœcundam prole matrem, quæ non aliud certius  
graviditatis propriæ adfirmat esse criterium, quam mensium  
fluxum sæpius & extra ordinem redeuntem. Sed & illa  
loco fœtus vivi & sani, aut abortus, aut fœtus mortuös,  
aut molas hactenus plus simplice vice exclusit, ex tot tamen  
periculis interim eluctata, vegeta adhuc & alacris in hunc  
usque diem degens.

(Rintelio Halam missæ d. 12. Jul. 1750.)

### OBSERVATIO IX.

Dn. D. JOAN. JACOBI TREYLING.

*Mola carnoſo - ſcirrhoſo - ſcrophuloſa ſtupenda  
magnitudinis & ponderis, poſt XV. an-  
nos tandem lethalis.*

Civis & lanionis Neoburgi ad Danubium relicta vidua,  
prope sexagenaria, ſtaturæ mediocris, duodecim libe-  
rorum mater, quorum ultimum, & quidem maſculum, sep-  
tendecim abhinc annis feliciter, uti ceteros, enixa eſt, a quin-  
decim

decim circiter annis abdomen in dies sine alio sanitatis incommodo, niſi, quod obtuſum dorsi dolorem accusaret, augeri ſenſit, uſque dum illud in eam, quam *Tab. I. Fig. 1.* ſiſtit, omnibus intuentibus ſtupendam, excreverit molem, ipsi tamen adeo non moleſtam, quin, quod oppido mirum, omnia ſua negotia conſuetuſo ante a more perficere, & pariuſ cum aliis grefſu per ſcalas & civitatis clivum, (quem vix non quotidie e suburbio, in quo habitabat, ad macellum, quod in medio foro eſt, ſuperare debuit,) ſine querela incedere potuerit. Hac tandem ex inflammatoriā febre XVI. April. 1741. extincta, cadaver jufſu excelsi Regiminis Neoburgo - Palatini a clarissimo Dn. D. FISCHERO, Aulae & urbiſ Physico, (qui hanc relationem mecum communicavit,) præſentibus Pharmacopola civico, quatuor Chirurgis, & tribus Obstetricibus, cultro anatomico fuit ſubiectum, priuſ tamen ab uno lumbo ad alterum ſupra convexitatē abdominis filum circumductum, quod unam cum duabus tertiiſ ulnam Neoburgensem, id eſt, digitos pedis Bavarii, ſeu quod fere idem Parifiensis, quinquaginta duos; in diametro autem (vid. Figura citata cum regula geometrica) duos pedes æquavit. Fili, a ſterni mucrone ſuper convexitate abdominis ad pubem uſque duci, longitudo erat ulnæ unius cum parte quarta, id eſt pedum trium totidemque digitorum: a ſterni mucrone ad umbilicum, duorum pedum & totidem digitorum. Remotis integumentis & ſolutis laciuiis, ſeu, uti ſuſpicor, ligamentis uteri latis, ſimul præter naturam coextensis, quibus uterus ex anteriore parte peritonaeo firmiter cohærebat, uteri moles cum ſuo contento quaquaversum libere moveri poterat. Mola autem ipsa ope duarum appendicularum acuminatarum, haud dubie vascuſolarum, quarum ope ſuum nutrimentum hauriebat, veruſ diaphragma fundo uteri adnata erat. Exemptæ poſteamolæ, quam *Fig. 2. Tab. I.* monſtrat, hæc erat facies & conſtitu-

stitutio: Figura quadantenus ad ovalem accedebat; substantia vero compacta sua carnosa, & quasi glandulosa, succo lymphatico-nutritio tamen satis irrorata, & hinc inde vasculis sanguiferis intertexta, itemque spissitudine & colore exakte substantiam uberis vaccini, per medium secti, æmulabatur, cuius tamen limbis, seu peripheria, in latitudine digitii auricularis spissior adhuc, & velut lardaceæ substantiæ erat. Longitudo molæ, prout ex figura adparet, adscenderat ad pedes duos cum totidem digitis: profunditas, seu densitas (ubi maxima fuit) ad pedem unum & dimidium: latitudo ad unum pedem & undecim digitos. Pondus denique LXXXII. libras civilis ponderis, seu CXXV. libras medicinales accurate adæquabat: qualem monstrosum magnitudinem huic analogam, an unquam habuerit aliqua molarum, passim jam jam in Ephemeridibus & Actis nostris descriptorum, jure meritoque dubito, eoque magis miror, quod viscera abdominis a tanta mole, quaqua versum ea premente & angustante, tanto temporis intervallo salva in officio suo conservari potuerint, & monstrosum pondus expeditum foeminæ gressum non impediverit, quod ultimum quidem minus mirandum esse judico, si Milonis Crotoniatæ exemplum in subsidium voco, qui, dum juniores vitulum, ad naturaliter terminandam usque magnitudinem, quotidie suis humeris impositum gestavit, hoc exercitio viribus musculorum cum vix sensibili ponderis incremento audauætis, huic oneri pedetentim ferendo fuit assuefactus. Pari ratione ista foemina, cum singulis diebus per XV. annorum decursum non plura, quam ad summum XXXIV. grana nutrimenti suæ molipræternaturali adjecerit, usque dum ad LXXXII. libras adscenderit, utique nullo unquam die augmentum sensit.

## OBSERVATIO X.

Dn. D. JOAN. JACOBI TREYLING.

De

*Hydrocephalo post primum ætatis annum  
lethifero.*

Dum aliquot abhinc mensibus exiguum meum librorum adparatum, tempore obsessionis fortalitii nostri, ignibus tunc vehementissime angustati, in cellario subterraneo reconditum, in ordinem rursus redigerem, fortuito mihi in manus venerunt notata, tempore, quo Viennæ studio medico & praxi operam darem, a me consarcinata, & a multis jam annis non inspecta, ex quibus obiter iustratis sequentem observationem memoratu haud indignam, communicare licebit. Viennæ Austriae in suburbio (*auf der Wieden* dicitur) anno 1730. natus fuit infans cum hydrocephalo, cetera bene & naturaliter constitutus. Vid. *Figura 3. Tab. I.* Vixit autem, si hæc miseria vita est, a matre ob pondus capitatis, ægre lactatus, per annum unum diemque unum, quo tandem febre, haud dubie inflammatoria, (quod ex macula livido-rubra supra frontem suspicari licuit,) interiit. Aperito post mortem capite, cranium in superiore parte patulum deprehendebatur, hujusque margines ad modum cartilaginis tenuis molles erant & flexiles. Longitudo capitatis, a mento usque ad calvariam, erat 16. digitorum, seu dimidiæ ulnae Viennensis. Dura meninx coextensa erat supra totum saccum aquiferum in circuitu. Sub dura vero meninge, id est, inter hanc & piam matrem, quæ cerebrum proxime ambiebat, naturalem amplitudinem vix excedebat. Saccus erat tenuissimus, sex aquæ libras medicinales complectens, ar-

arachnoideæ forsan membranæ, præternaturaliter extensæ & ampliatæ, soboles. Aqua subviscidula, turbida, pallido - citrina fuit. Oculi profundius latitabant in suis cavitatibus, ob tumorem superincumbentem, & pressionem atque hinc inductam abbreviationem nervorum opticorum. Tandem & id omnino admiratione adhuc dignum est, quod serum hoc, omni motu circulatorio prorsus destitutum, tamdiu incorruptum, salva vita, manere potuerit.

(*Ingolstadio Norimbergam missæ d. 24. Jul. 1747.*)

## OBSERVATIO XI.

Dn. D. ANDREÆ JACOBI KIRSTENII.

De

*Puella cum manibus monstrosis & sine ano nata,  
fecesque per genitalia reddente.*

Rustici uxor, viginti sex annorum, primipara, legitimo partus tempore enixa erat puellam, omnibus aliis partibus corporis externis perfectam integreque constitutam, præterquam quod brachiis inferioribus & ano destruuntur, nec non in sinistra manu saltem quatuor digitos habet. Sicuti enim alias ordinarie extremitas inferior ossis humeri, ope trium capitulorum & duarum cavitatum cum ossibus cubiti, articulationem constituit, ita hic, in ambobus brachiis, carpi ossa, ulnæ & radii loco, miram quandam, cum ossis humeri inferiore extremitate articulationem subierunt. Utraque manus equidem introrsum flectebatur; attamen vario modo infans illas movebat. Sinistra manus pollice destruta erat, reliquis autem quatuor digitis gaudebat. Dextra vero manus pollice quidem prædita erat, ast hic a sede sua

sua ordinaria remotus & pendulus cuti adhæſit, nec moveſe eundem infans potuit. Statim quidem hancce deformitatem externam parentes & obstetrix animadverterunt; ignorarunt tamen per aliquot dies filiolam ano carere, & feces per partes genitales excernere, donec quotidie linteamina ſemper in anteriori regione fecibus conſpurcata, posteriori prorsus munda relicta, cernerent. Hacce re permoti, curatiuſ inſpexere filiolam obſervaruntque, neque maculam, neque cicatriculam, quæ anum referret, adeffe. Me igitur convenerunt, & quid in tali ſtatu faciendum, interrogarunt. Sedulo hinc lustratis his partibus, deprehendi occulſas illas posteriores partes a natura mire in anterioribus obſcenis partibus compensatas, ſiquidem intestinum rectum, per totum perinæum interne productum, infra meatum urinariū exitum fortitum erat, fecesque per hunc canalem quotidie excernebantur. Quia autem, propter malam iſtam conformatiōnem, parentes tenellum hunc infantem parvi aëſtimabant, hinc in dies debilior evadebat, tandemque decimo poſt natalem die obiit. Incidi quidem corpus & præternaturalem iſtam intestini recti insertionem prædicto modo inveni. Optaveram etiam, ut permetterent mihi parentes separationem unius ſaltem brachii, quo poſitoram, numerum & insertiones musculorum humeri eorumque connexionem cum carpo ſcrutari poſsem; omnibus autem & meis & aliorum amicorum precibus id, quod desiderabam, impetrare non potui. Stolidi enim parentes & agnati, rusticorum more, putabant, fore hac ratione, ut ita misere iam conformata filiola magis adhuc excrucietur.

(*Grefenberga Norimbergensium Halam missa  
d. 7. Aug. 1747.*)

## S C H O L I V M.

Memoratu satis dignæ huic observationi merito subnētenda est alia; prorsus & in omnibus fere circumstantiis eidem analoga, quam Excellentiss. KALTSCHMIEDIUS, Collega noster æstumatissimus, ipso hoc anno 1750. quo typis exscribitur præsens Actorum Volumen, Epistolæ gratulatoriæ, sub calcem Dissertationis de *Virginitate*, mense Maji Jenæ ventilatae, sequentibus inservit verbis: *Die XXVIII. Aprilis obstetrix quædam ad me accedebat, referens infantem quinque dierum aro carere, seque citius non potuisse hunc defectum conjectura adsequi, cum primo statim die in linea minibus feces invenisset, sibi itaque persuasum esse, cum urina basce feces effluxisse. Infans ad me delatus operatione chirurgica tentatur; sed quamvis decenti loco cum cultro in pelvim penetrarem, frustra tamen intestinum rectum attingere conabar. Sperans igitur, postero die fecum quantitate aucta, tumidum intestinum rectum in conspectum ventrum, infantem satis quietum dimittebam. Cum vero postero die denuo vulnus investigarem, ac quantum artis regulæ permittebant, dilatarem, nec quidquam intestini recti in conspectum veniret, artem humanam utique hic nihil valere perspiciens, puellam fatis relinquebam. Postero die, ultimo nempe Aprilis, mortuum infantem cultello anatomico subiectiebam, ubi inveni, obstetricis conjecturam, de fecibus alvinis cum urina emissis, vanam non fuisse. Intestinum enim rectum ad collum usque vesicæ pergebat, ibique terminabatur. Resecto eodem ex abdomen, cum vesica & ureteribus, atque ligato intestino, per inflatum intestinum vesica urinaria simul elevabatur. Compressis iterum intestino atque vesica tubuloque immisso in utrumque renem, ex utroque hoc viscere per vices statu expandere poteram & vesicam & intestinum rectum. Mira sane fuit hæc conformatio intestini*

ni recti, fundum pelvis non attingentis, sed ad collum vesicæ clausi & exiguo foramine in hoc ipsum biantis, ita ut portio fecum primo die per exiguum illud foramen in vestem penetra verit & cum urina ejeta fuerit.

A. E. Büchner.

## OBSERVATIO XII.

Dn. D. SALENTINI ERN. EUGEN.  
COHAUSEN.

*Cosmeticum & Odontalgicum stercoreo - urinosum.*

Faciei pulchritudinem conservandi studium & intentus labor, quo non cogunt? Sequior in primis sexus formam singulariter colere & conservare nititur, ita ut diu nocturne sollicitæ videantur virgines, ut connatam faciei formositatem custodiant, si quidem, teste diserto amatore Sulmonense, sibi quæque videtur amanda, pessima sit, nulli non sua forma placet; aut si quid vitii evenerit, vel futuri metus sit, id omni conatu avertere studeant. Ad ægrotos vocatus saepius in lectis offendi larvatas mulieres, scilicet subindutum faciei & manibus emplastrum, ex spermate ceti, cera virginea & camphora, gestantes, quod contra omnem cutis asperitatem inservire credebant. Quam sollicitæ sunt saepissime matres, si instant variolæ, ne derelictis earum cicatricibus, grata proles, quæ cuique pulcherrima putatur, deturpetur? ast per quam frequenter ob servavi, talia muliercularum molimina partim inania fuisse, partim plus quam profuisse. Sunt enim, qui totam faciem auro incrstant; alii pedes lacte, vel emolliente decocto fovent, a quo fotu saepius major oritur humorum orgastica commotione,

tio, copiosior materiæ variolosæ generatio & ad partes superiores congestio. Illustris BOERHAAVIUS *Prax. med. Part. II. p. 68.* balneum vaporis ab initio variolis laborantibus optimo cum successu se applicasse refert, sed partes illud aliquo modo deturbare, ideo non facile capiti adplacandum esse monet, & *p. 76.* scribit: *In principio variolarum obvolvo pedes ægri fomentis emollientibus, ut vasa laxentur & mollia reddantur, tum capiti lenia frigida adplico, sed hæc fomenta magna cum prudentia sunt adplacanda.* Eadem quoque *Dn. de la METRIE, Libr. singulari de Variolis in Gallia eximie commendavit, immo celeberr.* *Dn. D. Daniel FISCHER, Physicus Kæfmarkiensis, & maxime sedulus ac attentus observator, in eleganti & docta Exercitatione docuit methodum curiosam, & crebriori experientia in Hungaria confirmatam, variolas remedio rustico, per baineum aquæ dulcis & feri lactis curandi.* Alii ante variolarum eruptionem suadent laudantque faciei repetitam lotionem cum Spiritu vini, dissuadet vero *Archibald. Pitcaenius Opusc. med. p. 161.* externorum quorumlibet ad faciem applicationem, ne ibi transpiratio turbetur, febrisque simul augeatur. Ego in satis numeroſa Praxi nil melius, nil utilius, nil certius deprehendi, quam regimen temperatum, potum diluentem & abstinentiam ab omni inunctione, sive præservatoria, sive curatoria, aliisque similibus artificiis, licet haud raro a mulieribus ad præscriptionem aut saltim conniventiam alicujus sic dicti arcani & approbati balsami, vi aut ex reverentia coætus fuerim, non tamen sine summa cautela & circumspectione illud admisi. Notum quidem est, quod Medicus penes formæ studiosum sexum sequiore magna adquirere possit famam laudemque & affectum, si grato cuidam cosmetico ab blandiri noverit, atque idcirco mirandum est, Auctorem *Machia-velli Medici*, illius obtutum esse, nisi forte sub *Propositione decima*, quæ jubet quo-

cunque modo gratiam mulierum, ut ab illis dein commendentur, adquirere. Ut cunque verissimum deprehenditur, quod secundum Paulum Zachiam Quæst. medico-legi Lib. VI. Tit. I. Qu. 7. §. 21. p. 463. cosmetica & comptoria, falsam adulterinam, atque fictitiam, ac propriam mere-tricum pulchritudinem inducentia, Medico indigna sint, & non sine peccato aut præscribantur aut administrentur. Verum hoc de solis fucum facientibus dictum vult; quæ au-tem revera faciei fordes, maculas, varos, guttam rosaceam, &c. radicaliter tollunt, ac ab ejusmodi malis præservant, eorum cognitio & præscriptio Medico magis laudi dicitur. Non sine singulari effectu sæpius suasi illud, quod in Satyris Medicor. Silesiacor. Specim. IV. Obs. 2. p. 14. communica-clariss. Godofr. Henr. BURGHARD, Physicus Wratislaviensis, nullumque est dubium, apud mulieres non tan-tum, sed & per illas apud alios magnam famam hac ratione adquiri posse: mulieris enim decor gaudium virorum est, licet ex virtutibus & internis qualitatibus vera pulchritudo sit æstimanda. Nam si quo in homine hæc occurrant, ut in animo pulchri mores insint, & in corporis specie illis singula correpondeant consentiantque eandem suscipientia rationem, pulcherrimum hoc erit ei, qui inspicere possit spectaculum.

PLATO Libr. III. de Republ.

His autem optime se habentibus, oleum tamen & ope-ram perderet, quicunque faciei culturam dissuadere inten-deret, cum hujus amor in plurimis tantus sit, ut nulli par-cant labori, nullis sumptibus, quin imo ad res etiam absur-dissimas devolvantur. Ita illustrissima quædam Matrona a juventute sua pro secreto sibi servavit cosmeticum, ad cujus descriptionem, ne dicam usum, si quis nausearet, merito ignoscendum ipsi foret. Aluit nempe in servitiis suis famu-lum, qui quotidie matutinis horis in ahenum cupreum, stanno obductum & cooperculo probe & apte munitum, al-

vum deponebat, tumque ocyus, ne vapor pretiosus & odoratus exhalareret, dicto cooperculo arctissime ahenum claudebat, quo factio dein guttulae illae, quae cooperculo post refrigerationem adhaerebant, caute colligebantur & inter cimelia adservabantur. Hacce essentiali aqua mumiæ foetidæ microcosmicae, sine igne destillata, faciem manusque illa fricabat & inungebat, repetita quotidie tali singulari destillatione. Non negandum omnino est, Matronam hanc, utcunque senem, faciei non minus, quam manum albedinem & teneritudinem ita conservasse, ut plurimis fuerit admirationi & stupori, quomodo senescentis cutis mollitiem custodirit, siquidem illa methodum in arcans servavit secretissimis, dum invida philavtia non patiebatur aliam videre sibi similem. Circa cosmeticum hoc indagandum adhuc forsitan foret, num ne forte selectis cibis nutriendus sit famulus, & an non ancilla idem illud officium praestare queat, aut non ipsa domina, cum proprium sterlus non ita foeteat, aut num non forte etiam lacertosæ & pulchri famuli foetorem minuat usurantis pruriens ardor, utpote ad bina opera conductus, satiando luxuriosum uterus, & excolendo tenerimam cutem amoris incitaticem; quod tamen de verecunda matrona suspicari erubesco. Excussi plures Auctores, ac in primis Christian. Frider. PAULLINI emendatum *Myropolium stercorearium*, neque in ullo inveni aquam essentialiem stercoreis humani adeo eximum & probatum constituere cosmeticum; illius tamen, inter alios, paullulum mutato modo, usum non dissuadet, quin potius encomiasten ejus agit, Jo. Frider. HELVETIUS in *Diribitorio medico Cap. XVI. §. 7. p. 113.* his verbis: *Alii magneticæ terræ sulphureæ, ab homine sano vegetoque factæ, quantum volunt, capiunt, atque per retortam inde destillant oleum & aquam, qua aqua ipsi medicantur multa oculorum vitia, ejusdemque ope tollunt multa enascentia pterygia, atque argemas seu albugines.*

Hoc

Hoc denique oleo propulsant tineas capitis, atque eodem medicinam faciunt exulcerato erysipelati & que ac omnibus libenibus, impetiginibusque, simul atque isthac mala inunxeris illo, mollit ac tollit denique dolores arthritidis volantisque podagræ. Profecto in vili magnum sic latet virtutum medicarum compendium, ita ut dolendum sit, forsitan neminem, ad imitationem *Cervi medici AGRICOLÆ*, *GRABII* & *TORKII*, delineasse pharmacopolium ex solo homine exstruendum \*). Quales enim & quântæ vires adscribuntur lotio? quam insignes antepilepticæ & antispasmodicæ tribuuntur cranio humano & secundinis primiparæ? ut alias partes, tantopere deprædicatas, jam taceam. Sed ē diverticulo in viam redeundum erit. Vis magna quidem amoris, sed an non major doloris? utrumque in excessu sæpe desperabundos reddit adflictos. Quam multi occurrunt nobis pharmacophobi & medico-mastiges, falsique irrisores, qui durante sanitate non nisi attis vanitatem exercentium & ignorantiam & falsitatem, sive fraudes plenis buccis absurdisque sarcasmis crepabant ac explodebant, exclam-

\*) Præstítit jam olim hoc *Daniel BECKHERUS*, edito *Tractatu*, qui inscribitur: *Medicus Microcosmus, seu Spagyria Microcosmi*, exhibens medicinam e corpore hominis tum vivo, tum extincto, docte eruendam, scite preparandam & dextre propinandam. Prodiit is primo Rostochii 1622. in 12. dein triplo auctior & correctior Lugduni Batav. 1633. in 4. ac tandem Londini 1660. in 12. multaque partim superstitionis, partim futilia, aliqua tamen etiam utilia continet. De aqua ex stercore juvenis sani, prævia exsiccatione in aëre, aut furno modice calido, per cucurbitam destillata, refert hic Author p. 64. ex *MATTHIOLO Lib. I.* in *Dioscor.* p. 73. quod faciet colorem conciliat. A. E. BÜCHNER.

mantes, se mortem potius subire velle, quam pharmacum sumere, atque pharmacopæorum deauratas pyxides non nisi stercora & quisquiliæ continere sustinentes; morbo autem doloroso obruti anxie levamen quærunt, omniaque ob-lata, sine ulla nauseæ nota, avide ingurgitant. Solius igitur stulti est, negare, se id non esse facturum, cuius supremam necessitatem nondum fuit expertus. Dulce est doloris solamen, suavis longioris vitæ spes, quæ etiam fortissimos ad id cogit, quod in theoria nunquam credidissent. Sequens id confirmabit exemplum: Illustrissima & teneræ constitutionis Matrona corripitur odontalgia intolerabili, ad quam mitigandam Medicorum & vulgi implorantur auxilia. Quidquid suadetur & offertur applicat & devorat avidissime, sed frustraneo cum effectu. Dies noctesque ob intolerabilem dolorem erant insomnes, ipsaque ægrota quasi furiosa & desperabunda ex uno cubiculo in alterum cursitat. Applicabantur innumera topica, opiate, thesiacalia, spirituosa, oleosa destillata, cocta, emplastra, cataplasmata, sed irrito successu; ars exhausta obstupescet, quin convocati Medici omnem se scientiam exhaustisse, omnesque loculos artis tam divitis & diffusæ excussisse, nihilque amplius sibi reliquum esse, pudibundi fatebantur; tandem accedit unus ex stabulariis, qui remedium crebrius jam per experientiam confirmatum, sibi notum esse referebat, idque adversum quidem & nauseosum esse ajebat, sed levamen & auxilium certum audacter inde promittebat, modo Illustrissima matrona ejus usum non recusaret. Interrogatus ergo, in quonam consistat hoc suum arcanum, respondit, urinam recentissimam adhuc calentem caballi usque ad doloris mitigationem in ore detinendam esse, subinde novam & recentem subjungendo. Vix auditio hoc, sine mora famulum vitro instrutum ad equile comitatur ægrota tantopere excruiciata, impatienter exspectans mingentem caballum, cuius urinam recen-

recenter exceptam avide, sine ulla nausea, adsumit ac in ore detinet, & enī intra horæ quadrantem atrocissimus ille dolor miraculi instar cessat, nec nisi post viginti annos rediit, cumque ego eandem, misere iterum tali rheumatismo odontalgico adflictam, alio minus nauseoso remedio in momento quasi inde liberavi, adeo felici cum successu, ut postea, ad vitæ usque finem, prorsus immunis ab ejusmodi doloribus permanserit. Erat vero istud remedium solutio dimidiæ drachmæ Euphorbii, in aquæ Majoranæ duabus drachmis facta, de qua novem saltem guttulas, in vola manus contentas, per utramque narem fortiter adtraxit, omni dehinc dolore, incantamenti ad instar, illico cessante, prout hoc plus quam centies in similibus miseris adflictis per experientiam edoctus sum. Prædicta equidem illustrissima matrona paulo fortius solutionem istam attraxerat, unde quasi attonita, nesciens quid actura, hinc & inde currebat, faciem & nares fricans, quoniam acriores salinæ Euphorbii particulæ internam nasi tunicam nimium irritaverant, cui incommodo tamen perquam facile mederi licet, si in primis crebrior violentiorque cerebrum concutiens accessit sternutatio, attrahendo lac tepidum intra nares. Recordor hac occasione agyrtæ cujusdam, qui multo clamore longaque sesquipedalium verborum periphrasi, solutioni huic, quam in arcanis servabat, divinas plane virtutes tribuebat, simulque quadra-ta frustula ligni cujusdam rubri stolidæ plebi divendebat, ac semper horum unum, attracto prius per nares liquore, inter dentes detinere jubebat, ut sic acre & falsum phlegma, dolores tales excitans, promptius efflueret. Non minus etiam succum betæ rubræ expressum & intra nares attractum, a celeberr. WELSCHIO ni fallor in Observationibus commendatum, saepius dolores tales profligasse novi. Singulari porro cum effectu applicatum vidi liquorem errhenum Dr. KOZACK, qui paratur ex rad. Hellebor. alb.

*Astor. Ph. M. Vol. IX.*

E drachm.

drachm. ij. rad. Pyrethr. herb. Majoran. ana drachm. I. & adfuso spiritu flor. Anthos ad eminentiam trium dğitorum. Hacce Tinctura interior narium superficies penna anserina inungitur, sicque prodigiosa lymphæ quantitas per nares & os prolicitur, unde dolores subito sæpius sopiuntur.

## OBSERVATIO XIII.

Dn. D. SALENTINI ERN. EUGEN.  
COHAUSEN.

*Lumbricorum latorum & cucurbitinorum specifi-  
cum antidotum.*

**E**x omnibus illis lumbricorum, in vivo corpore humano prodeuntium, illudque misere sæpius excruciantum speciebus, pessimam utique constituunt a figura sua cucurbitini dicti, & qui ex his procul dubio coalescunt, *lati lumbrici* seu *Tæniæ*; de quibus aliunde jam constat, quod in longitudinem ingentem & prodigiosam sæpius excrescant rariusque ac difficillime de corpore exterminentur. Sic enim PLINIUS testatur *Histor. natur. Lib. XI Cap. 33.* quod intra hominem nascantur Tæniæ tricenūm pedum; PLATERUS aliquot ultra quadraginta pedum vidit. GALENUS tam longos ejusmodi lumbricos observavit, ut per totum intestinorum porriganter canalem. *Vid. SENNERTUS In-  
stitut. Medic. Libr. III Part. II. §. I. Cap. 4. p. 204.* Similiter quoque ex puella octo annorum semper valetudinaria, post exhibitam in proportionata dosi aquam Rulandi, expulsum fuisse lumbricum latum, ad undecim ulnarum longitu-  
dinem, & adhuc tertia die post, tria ejus fragmenta, fidem faciunt *Acta Medicor. Berolinens. Decad. I. Volum. II. p.  
19.* Plures vero de lumbricis talibus lectu dignas historias colle-

collegit SCHENCKIUS *Obs. med. Lib. III. Obs. I. pag. 371.* Non semel quoque, sed frequentius in praxi mea vidi plurimum ulnarum frusta de latis ejusmodi lumbricis per anum excreta fuisse. Sic recordor cum adhuc in tyrocinio medico apud dilectissimum Patruum meum, Joann. Henric. COHAUSEN, Vredenæ Westphalorum degerem, mulierem quandam, tænia tali adfictam, opem ejus implorasse, cui sequens mixtura multum levaminis adtulit: Rec. Eff. sent. Tanacet. Absynth. compos. ana unc. j. Effent. Succin. castorisat. Elixir. propr. dulc. ana unc. dimid. Ol. Rut. gutt. xx. Aqu. Menth. unc. iv. M. D. omni quadrihorio cochlear unum. Huic subjunctus fuit sequens pulvis: Rec. C. C. ust. Sem. Santonic. Musc. corallin. ana unc. dimid. rad. Gialap. resinos. drachm. iij. Vitriol. martis ad albedinem calcinat. drachm. j. Aethiop. miner. drachm. ij. Camphor. drachm. dimid. Ol. Caryophyll. Absynth. ana gutt. x. M. Interponebatur etiam huic insimul usus sequentis Elixirii helminthagogi: Rec. Rad. Filic. Diptamn. alb. Zedoar. ana unc. dimid. herb. Scord. flor. Hyper. Tanacet. ana manip. j. Musc. corallin. unc. j. Semin. Santon. drachm. vj. Coriandr. unc. dimid. baccar. Junip. unc. j. Concif. & contus. adfundatur Spiritus Junip. q. s. extrahatur, dein colaturæ adde Elixir. propriet. alcalin. unc. j. Effent. Camphor. unc. dimid. Spiritus C. C. volat. unc. j. M. & servetur usui. Quum vero modo exposita hæc remedia exoptatum tamen non semper ferre valuerint auxilium, contra hostem sanitati humanæ tantopere infensum, quibus tandem illum felicius profligaverim armis, ex sequenti patebit historia. Ante aliquot annos Monialis quædam anxie meum sibi expetiebat consilium; conquerebatur namque illa de continuis hypogastrii doloribus, torminibus, nausea, lipothymiis, somno turbulento, siti insolita, aliisque. Omnia illa symptomata utero adscribebantur, multaque idcirco & varia, magna in copia adhibita fuerunt

runt antihysterica remedia, sed irrito plane cum effectu. Adpetitus equidem constabat, interim tamen pallebat, debilis erat atque atrophia laborare credebatur. His addebat, quod facta alvi exoneratione complura parva albicantia corpuscula, nunc majora, nunc minora, spithamæ, quin & ulnæ longitudinem excedentia, sub excrementis observaverit. Jubebam ergo, ut proxime ea colligeret, ablueret, & spiritui vi ni imposita (nam quinque milliaribus a me degebat,) per nuncium transmitteret. Paruit mandato seduloque hinc corpuscula illa examinans, partes tæniæ esse deprehendi, ea que propter, sepositis remediis antihystericis, amara, mercurialia, martialia & helminthagoga successive præscribebant simulque casum hunc communicabam cum fidissimo meo in medicis præceptore & pie semper devenerando modo nominato Patruo, qui sequentia mihi benevole suggerebat:

„ Quoad expulsionem tæniæ seu lumbrici lati versaris in „ supposito erro neo, me æthiopem mineralē laudasse, „ quia tantum memini mercurii vivi cum saccharo diligenti in mortario trituratione subacti, qui helminthagogum „ est excellens, quo ipso, & Vitriolo martis ad albedinem „ calcinato, & addita resina Jalappæ, lumbricum istum latum me expulisse recordor, cujus exuviae adhuc apud me prostant chartæ adglutinatæ propria viscositate. In filia „ Pastoris Hoxbergensis reformati, cacheætica & miris symptomatibus, ad uterus falso relatis, vexata, tæniā tam partculatim per frusta sexcenta olim expuli, usu aquarum Driburgensium valde martialium, quibus remotis „ ad pristinam & vigorem, tam mensibus restitutis, „ quam pallido colore fugito, rediit; audivi vero post triennium e vivis eruptam esse, forte quibusdam articulis ex hoc monstroso lumbrico, (qui ex illo genere erat, quos cucurbitinos adpellamus) in corpore relicitis & in novam foeturam reanimatis. - - - Novisti martialia, & vel simili-

„ plicem martis limaturam, in vulgari lumbricorum familia  
„ a multis laudari ; quidni & in lumbrico hoc rebelli pro-  
„ derit infusum martis, seu potius ejus mineræ & mercurii  
„ vivi, more Poteriano paratum, si non pro potu ordina-  
„ rio, saltim aliquoties in die sumendum ? Scribis, te, aliis  
„ nil juvantibus, grana Tilli exhibiturum : alii ex illis cum  
„ amygdalis duntaxat emulsionem parant & exhibent; WEL-  
„ SCHIUS refert, ex pineis Moluccianis, quæ grana Ricini  
„ esse dicit, oleum exprimi posse, cuius gutta una, saccharo  
„ instillata, sufficienter laxat. Nullus dubito, grana hæc  
„ correctionem admittere posse, & sic evadere remedium  
„ satis tutum, uti plura alia ejusmodi draistica & virulenta,  
„ sub quibus teste HELMONTIO, magna latet entelechia.

„ - - - - Optime concepisti consilium de usu aqua-  
„ rum martialium; nam mars lumbricis est infestissimus,  
„ qui in illarum defectu quoque diversimode præparatus  
„ exhiberi potest. Ejus limaturam subtilissime præparatam  
„ in lumbricis ceteris præfert GLAUBERUS ; BECHERUS  
„ vero mineram martialem purissimam : ego usus sum Vi-  
„ triolo martis ad albedinem calcinato, ceteris admixto. Pla-  
„ cent conceptus BAGLIVII, qui in variis institutis circa  
„ lumbricos vivos experimentis acida & oleosa iis comperit  
„ infensissima; quid si præparetur oleum olivarum per in-  
„ fusionem cum semine Santonici, gentiino tanaceti, rutæ,  
„ scord. & hyperic. ejusque in dies ter exhiberetur coche-  
„ lear unum ? Nicolaus ANDRY *Tr. de generatione ver-*  
„ *mium contra lumbricum latum sequens remedium tan-*  
„ *quam expertum fideliter communicat : Rec. Diagryd;*  
„ *Crem. tartar. Antimon. diaphor. martialis ana scrup,* di-  
„ mid. Rhabarb. Or. rad. Filic. foem. ana drachm. dimid.  
„ fol. & flor. Tanacet. ana p. j. Cort. rad. Mori, antequam  
„ arboris fructus mATURESCANT colle&ti drachm. j. M. de quo  
„ dosim cuilibet subjecto convenientem mane in juscule

„ pinguiore exhibit luna decrescente. Illustr. Frider.  
 „ HOFFMANNUS sequentes eximie commendat morsulos:  
 „ Rec. Sacchar. in aqu. Rosar. solut. & inspiissat. unc. iij. cui  
 „ adhuc calido adde Sem. Cinæ drachm. iij. Turbith alb.  
 „ drachm. ij. cum dimid. Corallin. drachm. ij. Cinnamom.  
 „ opt. drachm. j. cum dimid. Mercurii dulc. drachm. j. M.  
 „ F. I. a. Morsuli. Vidi olim Medicum celebrem præscri-  
 „ bentem formulam vini medicati, cujus ingredientia fere  
 „ omnia, quæ audiunt helminthagoga erant, e. g. rad. gen-  
 „ tian. gramin. diptamn. alb. filicis, hellebor. nigr. herb.  
 „ scord. flor. hyperic. summitat. Centaur. min. sem. San-  
 „ ton. nucl. Perfiscor. limatur. mart. &c. quale an in tua  
 „ ægrotata locum habere possit, ipse dispicies; hæc saltem  
 „ pace tua in memoriam revocare volui. „ Quibusdam  
 igitur ex his ab initio, ut opinabar non sine speciali effectu,  
 in ægrotante mea usus fui: major enim semper fiducia in fi-  
 delem simulque vere expertissimum & veteranum colloca-  
 tur practicum, quam ut suggesta salutaria monita respuan-  
 tur; verum is non fuit effectus, quem speraveram. Meri-  
 to equidem sub his circumstantiis dubitabam, dum exhibitis  
 tot exquisitis helminthagogis nulla amplius particularum  
 lumbrici lati observabatur excretio, an non illa, quæ ægram  
 excruciant, symptomata potius sint effectus gravioris ir-  
 rationis generis nervosi, qui sub miro dolorum, reptatio-  
 num, constrictiōnum, morsicationum schemate ludere pos-  
 sunt etiam oculatum practicum? nam quemadmodum ta-  
 lia pathemata quandoque a solis lumbricis dependent, sic  
 etiam absque his subsistere & a varia liquidi nervi commo-  
 tione originem ducere possunt, prout stupendæ variæ a Pra-  
 cticis notatæ docent observationes. Proinde si nulla quic-  
 quam proficiunt mercurialia, martialia, specifica amara, im-  
 mo nec acida, nec oleosa, vermbus alias summe infensa,  
 nonne suspicandum foret, tæniam forte, si quæ latitaret, ta-  
 libus

libus non adfici: cum tamen & ea sit lumbricus textura  
mollissimus, sutci chylosi ut prædo, sic quoque merum  
quasi receptaculum, quemadmodum id docet autopsia.

Excrevit jam olim ægrota lumbrici lati particulas, jam  
vero nullæ amplius prodeunt; ant ergo inde sequitur, vel  
adhuc latitare plures, vel remediis non amplius auscultare?  
Hæ considerationes me in suspenso quodammodo tenebant,  
qua ratione in methodo medendi ulterius sit procedendum;  
verum cum misera ægrota continuo instaret & audacter ad-  
severaret, revera adhuc in intestinis hærere lumbricum,  
dum eadem adhuc perseverarent symptomata, simulque sub-  
jungeret, se jam olim per aliquod tempus nulla alia frag-  
menta excrevisse, post aliquot autem menses iterum illa ob-  
servata fuisse, omnem idcirco curam ad lumbrici internecio-  
nem dirigendam esse concludebam. Primo igitur omnes  
cibos multo oleo condiri jussi, ex commendatione Luce  
TOZZI, adjectis, prout fieri poterat, allio & foliis Lauri.  
Dein pro potu ordinario præscribebam infusum cum cere-  
visia vel vino parandum, ex rad. chin. unc. iiij. gramin. filic.  
fœminæ ana unc. iiiij. herb. Scord. manip. iiij. Sem. hyper. unc.  
dimid. Lign. Sassafr. rasur. C. C. recent. ana unc. i. quæ sin-  
gula sacculo includebanaur. Porro etiam emplastrum ex  
amaris specificis paratum, infra stomachi regionem applicari  
non negligebam; quin totum abdomen unguento ex oleis  
tanacet. absynth. rutæ, C. C. foetid. felle bubulo, myrrha,  
aloe, &c. diligenter injungi jubebam, sed absque optato effe-  
ctui. Cum ergo hactenus impensum laborem, expensos  
sumptus, tot interne & externe præscripta & commendata  
partim pharmaceutica, partim domesticæ remedia, incassum  
plane adhibita & devorata, lugeret, ulteriora jam fere nau-  
seans simulque admidum languens & de plenaria convales-  
centia prorsus fere desperans ægra, serio hinc de potentiori  
quodam remedio, vermes tales exturbante, cogitabam, se-  
quen-

quentesque tandem pulviculos praescribere & tentare non verebar : Rec. Granor. Tilli gr. iv. Sacchar. Canariens. drachm. dimid. M. F. pulvis, in mortario probe subigatur, dispenseturque in quadruplo. Horum alternis diebus unum mane cum lacte tepido exhibebam, simulque injungebam, ut singulis horæ quadrantibus lac tepidum pro lubitu largiter sorbillaret, præcipue si tormina, aut violentiorem vel dolorosum secedendi stimulum persentisceret. Mirabatur equidem ægra novam sibi antea nunquam auditam catharticum sumendi methodum ; non defuit tamen coeca obedientia, magna que sic serosi humoris colluvies per alvum fuit deturbata, cum aliquali virium dejectione, unde altera die ab usu hujus remedii abstinebat, tertia vero adsumebat alteram dosin, eodem cum effectu, nisi quod excrementis multa teniae frusta inmixta fuisse gaudens retulerit, certamque nunc conceperit spem, hostem sic tandem expugnatum iri, quem etiam felicissime quarta dosis simul & semel cum magno impetu exturbavit, ut omne seminium una expulsum esse certo confideret. Debilitabatur equidem inde usque adeo, ut vix pedibus insistere valeret ; ast statim exhibuit temperata tonica & amara, ex Elixir. balsamico *Hoffmanni* cum Tinctura martis, in aquis analepticis, simulque abdomini sacculos, speciebus aromaticis repletos, imponebam, quin inungi curabam illud oleo nucistæ, menth. absinth. caryophyll. &c. ac insuper corporis animique quietem, una cum cibis evchymis & evpeptis, itemque vinum generosum cum pane bis cocto parcus subinde sumendum, commendabam, talique methodo tandem, favente divina gratia, efficiebatur, ut de die in diem vires increaserent, pallidus & cachecticus faciei color in roseum, cum omnium stupore, mutaretur, gravia torminosa abdominis pathemata conquiescerent, catamenia debito tempore convenientique quantitate & qualitate iterum prodirent, corpus carnosum & succulentum eva-

evaderet denuo, atque in hunc usque diem sana & sospes degat, firmiore, quam unquam alias, gaudens valetudine, nullaque amplius superfit qualiscunque suspicio, de restitutis forsitan teniae reliquiis.

(*Confluentia Norimbergam missæ d. 20. August. 1747.*)

### *OBSERVATIO XIV.*

Dn. D. JOANN. PHILIPPI WOLFFIL.

De

*Aſæ foetidæ virtute antihelmintica.*

Postquam per multos retro annos in affectibus hystericis spasmodico - convulsivis aſam foetidam tam externe, quam interne, exoptato cum effectu adhibui, decantatum hoc remedium antihystericum etiam anthelminticis omnijure annummerari posse, neutiquam dubitare incepi, præcipue cum odor ejus alliaceus fragrantia sua sal volatile copiosum, in ſinu hujus gummi-resinoſi reconditum, fatis prodat, porracea vero tutiflma in claſſe anthelminticorum ex remedii vegetabilibus fint. In hac ſententia confirmavit me effectus dupliciter ſalutaris, quem interdum in hystericis obſervavi, quarum morbis aſam foetidam interne oppoſui, eosque hac ipsa feliciter oppugnavi, quandoquidem foemellæ tales plus una vice, ubi anteā ne ſuspicio quidem latitantis cuiusdam ſeminii verminosi aderat, lumbricos per os & alvum excreverunt, quod non ſolum in juvenculis, ſed & in adultioribus, immo ad ſenilem ætatem jam adpropinquantibus, mihi attendere licuit. Palato vero ægrotantium ſtudens, propter nauſeoſum odorem & ſaporem gummi hoc resinoſum ab initio ſub forma pilularum occultavi; cum ve-

ro etiam sæpius in praxi quædam mihi occurrabant personæ, pilularum atque bolorum usum prorsus abhorrentes, & medicamenta solum liquida desiderantes, hinc sequentem pro talibus Essentiam anthelminticam composui: Rec. Asæ foetidæ unc. i. Castorei drachm. ij. Salis tartari drachm. i. Florum hyperici manip. dimid. Spiritus vini rectificati uncias viij. Et sic ope digestionis Essentiam extraxi, quam vel solam, vel cum parte Elixirii Camphoræ tertia, Collectan. Leidens. maritamat, a guttis x. ad xx. & xxx. pro ratione ætatis, contra vermes primis in viis stabulantes, ægrotantibus præbui, elapso vero uno altero ve die, laxans jalappinum, vel aliud adhibui, sicque sentinam verminosam exoptato cum successu e corpore exturbavi. Non ita multo post magna cum voluptate in Illustris b. m. HOFFMANNI *Medic. system. ration.* Tom. III. Sect. II. Cap. VIII. §. 18. p. m. 1586. egregium deprehendi elogium, quod doctissimus & ingenuus hic Vir asæ foetidæ, intuitu virtutis suæ anthelminticæ, tribuit, hisce verbis comprehensum: *Sed licet horum (Anthelminticorum) eximius circumferatur apparatus, non omnia tamen æque exspectationi respondent, & nulla magis probatæ efficaciæ sunt ipsa asa foetida & sagapeno, præsertim si hæc cum purgantibus, ut mercurio dulci & extracto rhabarbari, in pilularum forma dentur, &c.* Ex hoc tempore & ego asam foetidam, variis sub formis cum purgantibus remixtam, utriusque sexus ægrotantibus præbui, quemadmodum etiam eandem in formam pulveris redactam non solum junioribus, sed & adultis subjectis, in quibus suspicio de vermibus latentibus aderat, optimo cum effectu adhibui, & adhuc usurpare soleo, prout binæ sequentes observationes, aliarum plurium loco testari possunt.

Anno proxime præterlapso 1746. die 5. mensis Maji Vir quidam quadragesimum quintum ætatis suæ annum jam-jam emensuc, e vicinia nostra ad me mittens, auxilium sibi expe-

expetivit, cuius status morbosus ita mihi denunciabatur : Aeger anno proxime præterito, & quidem mense Novembri , pleuritide laboravit, eamque quidem feliciter sustinuit, neutquam vero vires amissas recuperare, multo minus cum sanitate integra in gratiam redire valuit, sed potius ab eo tempore semper post pastum nauseam cardialgicam, sensu reptatorio & insigni dolore stipatam, in gula sentit, os ut plurimum copiosa lympha scatet, & interdum æger post prægressas tales afflictiones , per os lumbricos extrahit atque vomitu ejicit , quales infensi hospites etiam quandoque per alvum prodeunt. Hisce ergo auditis , facile cognoscebam , passiones hasce morbosas a vermibus, primis in viis nidulantibus , ortum suum ducere, gravemque hanc molestiam, per sex integratos menses jam durantem, paucis hisce plenarie rescindebam : Rec. Radic. Jalappæ scrup. i. Tartari vitriolati scrup. dimid. Asæ fœtidæ grana iv. M.F. Pulvis. D. mane in juscule , pro una dosi. Toto hoc die nulla sequebatur alvina excretio , licet æger in ventriculo & abdomine borborygos atque insignem inquietudinem senserit, quod phænomenon mihi vermium cum aſa fœtidæ conflictum indicabat, unde die proximo laxans paulo fortius hoc modo præbebam : Rec. Radic. Jalappæ drachm. dimid. Tartari vitriolati scrup. dimid. Asæ fœtidæ grana iv. M. F. Pulvis & mane itidem cum juscule sumatur.

Hic pulvis non solum octo sedes proritabat, sed & vingtiquinque lumbricos teretes & latos, longitudinem dimidiæ ulnæ superantes , per alvum felicissime exturbabat, ita, ut æger, diu jam jam levamen quoddam exoptans, illud ex voto obtinuerit, & ab omnibus prædictis molestiis plenarie liberatus, pristinam sanitatem integrum recuperaverit.

Eodem anno, die 12. Maji , Judæus ex eodem pago , pro filiola sua quinquenni consilium a me petens, morbi hi-

storiam ita mihi enarrabat : Puellam istam ante aliquot hebdomades febre intermittente tertiana laborasse, nunc vero frigus febrile quidem cessasse, sed æstum alternis diebus subcrepusculo redire, insimulque dolores in artubus, pedibus nimirum & brachiis, eandem sentire, præcipue hypochondrium sinistrum terminibus excruciarí, adpetitum prostratum esse, conjuncta extenuatione corporis, & urinam pallidam reddi. Singulis hisce symptomatibus collectim sumtis atque pensitatis, metuebam ne febris hæc corrupta sensim paulatimque in hecticam degeneraret, præcipue quoniam gentis hujus Judaicæ vitæ genus ut plurimum squalidum est, varia que remedia domestica incondito modo parentes adhibuerunt; hinc ab initio hunc adfectum a cacockymia derivabam, utque spasmodum in artubus & hypochondrio, ab acrisero lymphaque depravata excitatum, quomodo cunque mitigarem, & simul humores vitiosos corrigerem, sub diæta diluente; sequentia medicamenta in usum duxi : Rec. Tinctoræ Antimon. tartarisat. Effent. Succini, Eff. lumbricorum terrestr. ana drachm. j. M. atque mane & vesperi exhibeantur xv. guttæ in infuso Theæ. Rec. Emplastri diaphoret. unc. dimid. Camphoræ drachm. dimid. Malaxentur cum oleo Chamomillæ cocto. q. s. & alutæ superinductum hypochondrio dolenti imponatur.

Die 16. hujus mensis pater ægrotæ certiore me reddebat, nihil ab his remediis levatam illam esse, sed potius dolores in artubus & hypochondrio sinistro in eodem adhuc gradu perseverare, versus noctem quoque alternis diebus æstum ingravescere ipsamque simul pruritu molesto narium vexari & abdomen durum atque tumidum esse: Quocirca de verminoso seminio in intestinis, suspicionem concepi & idcirco nidum santonum talium hospitum sequentibus medicamentis oppugnare atque penitus destruere tentavi: Rec. Rad. Jalappæ gr. xvi. Asæ foetidæ, Nitri depurat. ana.

ana gr. iv. M. F. pulvis D. mane dimidia pars & proximo die dein altera in juscule calido. Rec. Rad. Scorzoner. unc. dimid. Rasur. C. C. unc. j. cum dimid. Seminis anisi drachm. ij. Concisa & contusa misceantur & coquantur cum duabus mensuris aquæ fontanæ, hocque decoctum loco potus ordinarii porrigatur. Hisce perpaucis remedii effecti, ut non solum quælibet dosis pulveris anthelmintici sex sedes moverit, sed & ingentem copiam lumbricorum expulerit, omniaque symptomata uno quasi iectu rescissa fuerint, siquidem appetitus in dies denuo rediit, omnes dolores in totum cessarunt, vires autem & habitum corporis carnosum antea fere plane amissum, hæc puella successive recuperavit, ita, ut in hunc usque diem integra sanitate fruatur.

### OBSERVATIO XV.

Dn. D. JOANN. PHILIPPI WOLFFII.

De

*Asthmate flatulento subito oborto moxque iterum sublato.*

Conjux administratoris cuiusdam redditum publicorum, 37. annorum, passionibus hystericis obnoxia, graciliori corporis constitutione prædicta, vitam sedentariam agens, ceterum autem sana atque vegeta, anno præterito die 9. mensis Octobris de stomacho bubulo, brassica capitata, cepis & lardo infarcto, pulque piforum sub prandio largiore adsumit portionem, unumque & alterum vini cyatum superingerit, quo vietu probe exsatiata atque ne minimum quidem incommodi inde sentiens, post meridiem cum marito suo amicam quandam visitabat, in cuius consortio amicabili ali-

quot scutellas decocti fabarum Coffee adsumebat, neque etiam ab hoc potu alieni quidquam percipiebat. Aest hora septima vespertina domum sana atque in eolumis reversa, subito vehementissima orthopnea, vel potius asthmate, momentaneam suffocationem minitante corripitur, licet aer cetero-quin tunc temporis serenus atque temperatus, domique ante ingressum in hypocaustum unica tantum scala adscendenda fuerit. Inopinatum hunc adfectum asthmaticum motus spasmmodici fibrarum excipiebant atque graviorem redde- bant, ventriculus, remotis vestibus & thorace, admodum inflatus, venæque in manibus turgidae adparebant, pulsus vero durus ac tardus erat, simulque anxietas praecordialis subinde circa orificium sinistrum ventriculi magis exacerbabatur. Femina haec, quotannis circa æquinoctia venæsestio- ni adsueta, novissime elapoæ æquinoctio autumnali solemnam hanc evacuationem, in primis cum haetenus menses optime & rite successerint, intermisit. Quum igitur yasorum plenitudo, seu pulsus durities atque tarditas, depletionem quan- dam maxime necessariam & utilem fore mihi indicarent, statim eandem institui jussi, uncias octo sanguinis sic emittens, quo facto ægra quidem quadantenus ad se redibat, motusque spasmmodici conquiscebant, ast dyspnœa pertinaciter continans metum suffocationis nondum deponere permittebat; hinc confessim angustiam hancce praecordiale, a flatibus excitatam, sequentibus remedii felici ac præsentissimo cum successu oppugnavi: Rec. Salis Epsoniensis drachm. vi. Rad. Jalappæ pulveris, scrup. j. Olei destill. anisi gutt. v. M. F. pulvis, statim in haustu iusculi calidi porrigidus. Rec. Herbæ matricar. flor, chamom. ana manip. j. Semin. anisi, fœniculi ana drachm. ij. Salis Epsoniensis unc. dimid. Con- cisa & contusa coquantur cum s. q. aquæ fontanæ, & binis vicibus decoctum hoc pro clysmate injiciatur mediante sy- ringa.

Die proxime sequente, cum ægrotam inviserem, certiorem me reddebat, se priorem noctis partem perquam anxie transegisse; postquam vero pulverem laxantem sumisset, permultos ruetus cum exoptatissimo angustiæ præcordialis allevamento ac decremento prodiisse, paulo post etiam alvum solutam fuisse, & quidem duodecies successive, hacque ratione non solum ingentem copiam seri, sed innumeros etiam Flatus exturbatos fuisse, adeo exoptato cum effetu, ut alteram hujus noctis partem in situ supino placide transigere valuerit, cum antea, in situ licet erecto, difficilime respirare potuisset. Per integrum dein hunc diem respiratio libera atque facilis succedebat, ægra quoque de solo languore corporis & obtuso dolore in regione lienis conquerebatur, pulsusque saltē adhuc debilis & tardus erat, quæ singula non modo ab excretione alvina crebriore ipsaque venæsectione, sed etiam quoad maximam partem a gravioribus prægressis motibus spasmodicis thoracis & artuum, itemque accelerata in- & exspiratione derivanda esse, eo minus dubitavi, quo magis jam constat, omnes motus spasmodicos atoniam fibrarum, seu languorem post se relinquere. Ut itaque tam novæ generationi flatuum obviarem, quam insimul fibris novum robur adderem, sub congrua molliore diæta vinique modico usu, sequentem mixtrum exhibui: Rec. Spiritus carminativi de tribus drachm. ij. Tinctoræ antimon. tartaris. Essent. Succini ana drachm. j. Est. Castorei drachm. dimid. M. D. ad Vitr. sumanturque ter de die gutt. XL. Sub hujus ergo remedii usu intra triduum vires ex voto iterum obtinuit, haetenusque a molesto tali malo prorsus immunis, optime valuit.

**OBSERVATIO XVI.**

Dn. D. JOANN. PHILIPPI WOLFFII.

*Febris marasmodes senilis feliciter curata.*

Quod senum febris heptica, seu marasmodes, morbus sit pertinacissimus summeque rebellis, imo ut plurimum incurabilis atque funestus, celeberrimorum Medicorum monumenta satis superque testatum faciunt. Frequentius quippe nihil est, quam quod affectus marasmodes miseriæ omnibusque calamitatibus, senibus alias familiaribus, quorum ætas ipsa morbus est, colophonem tandem imponat, qui idcirco, optime judicante magno Friderico HOFFMANNO, Medicin. ration. system. Tom. IV, Sect. II. Cap. XIII. §. VIII. melius avertitur. Quemadmodum vero caussæ hujus senio per quam infensi morbi a se invicem discrepant, itemque temperamenta, atque insuper subjectorum unum præ altero plus minus viribus exhaustum senioque confectum est; ita etiam prognosis eventus hujus morbi in illis quidem anceps manet, attamen interdum etiam adhuc aliqualem spem sanitatis recuperandæ relinquit, de cuius asserti certitudine sequens casus testimonium quoddam ferre potest.

Anno præterlapso d. 12. mensis Octobr. ad Consilium quendam rerum Cameralium, septuagesimum secundum annum jam jam agentem, vocabar, ut eidem, febre marasmode graviter decumbenti, subvenirem. Optimus hicce Vir, constitutione corporis graciliori & temperamento cholericо-melancholico præditus, tam in juventute, quam postea, quum in officio publico constitutus esset, variis itineribus, præcipue equitatione, corpus frequentius exercuit, indeque & partium solidarum robur magis magisque obfirimavit,

mavit, & quoslibet sanitati adversos insultus tempestive profligavit, ut sponte tandem prodeunte & ordinate continuante, satis largo hæmorrhoidum fluxu, ab omnibus gravioribus morbis, ad ingruentem usque senilem ætatem, prorsus immunis vixerit. Nunc autem per sex circiter menses aqua hæret, dum ex hoc tempore, appetitu integro manente, vitæque genere magis sedentario accedente, fluxus hæmorrhoidum, antea tam salutaris, sponte cessavit, corpusque sic sanguinis mole nimium adgravatum fuit. Sub hoc vacillantis valetudinis statu die 6. hujus mensis, tempore pomeridiano, corpus prope ripam piscinæ ultra 4. horas aëri per quam frigido exposuit liberius, simulque graviori ira commotus fuit, indeque dein domum revertens, subito horrore, quem æstus, tussis, virium & appetitus prostratio excipiebat, correptus fuit, alvus pertinaciter claudebatur, abdomen a flatibus turgescebat & respiratio anhelosa reddebatur, quæ symptomata non solum ad diem 12. huj. mensis usque, quo ego in consilium vocabar, continuarunt, sed & insuper dolor pressorius pectoris & abdominis, admodum difficilis exscreatio muci in bronchiis hærentis tenacissimi atque multo sanguine grumo permixti, accedebant, quæ novæ afflictiones malum in dies adhuc gravius reddiderunt, ita ut vires tandem insigniter fuerint debilitatæ, & partes musculosæ admodum extenuatae, prodeunte simul urina saturationi rubicundo colore tincta, & pulsu celeriore ac debili redditio. Hinc æger morbo ingravescente, proprio consilio eo maxime adnitebatur, ut alvina excretio, per aliquot dies suppressa, clysterum applicatione restitueretur, quorum tamen irritus erat effectus, ita ut potius majora porro ipse morbus sumserit incrementa.

Omnia hæc sub primo statim introitu ab adstantibus percipiens, tenacitatem mucis alisque segnitie in potu quodam diluente, grati saporis, ut nimirum tanto largius & sine naufragio, Ph. M. Vol. LX.

sea hauriretur, solvere, simulque æstum febrilem temperare, nec non vires erigere studebam, eumque in finem loco potus ordinarii, tres partes aquæ fontanæ cum una parte vini bonæ notæ & pauxillo flavedinis corticis citri, mediante saccharo Canaicensi abrasæ, remisceri jussi, quod potus genus etiam lubenter sime & adeo assidue bibebat, ut interdu binas mensuras successive adsumserit. Ad dolores demulcentos flatusque dissipandos sequens Emplastrum abdomini imponendum, & mixturam ante prandium & cœnam exhibendam præscripti: Rec. Emplast. carminat. Sylvii unc. dimid. Olei baccarum lauri expressi drachm. ij. M. ducatur supra alutam formæ ovalis & adplicetur. Rec. Spiritus carminat. de tribus drachmas ij. Liquor. anod. mineral. Hoffmanni drachm. j. M. & D. XL. guttæ in potu consueto. Ut autem etiam tussi, exscretioni & respirationi difficiili aliquaratione subvenirem, sequentia ordinavi remedia: Rec. Nitriti depur. Tartar. vitriol. ana scrup. j. Cinnab. nat. gr. xv. Liquidirit. coctæ drachm j. Ol. destill. foenic. gtt. iiiij. M. F. pulvis, de quo mane & vesperi tertia pars in infuso Theæ, cum semine badianæ malitato, porrigatur. Rec. Aquæ rosar. bugloss. ana unc. ij. aqu. verom. Cinnamomi cydon. ana unc. j. flor. benzoës, Cinnab. nat. rad. Irid. Florent. pulveris. ana scrup. j. Oxymellis squillit. unc. dimid. M. & D. singulis bicorniis bina cochlearia.

Die 13. noctem somno placide transigens, toto die melius degebat, pulsus tardior, animus erectior, omniaque reliqua symptomata longe mitiora erant. Sequentem vero noctem insomnem transigebat & die 14. de magna virium prostratione orisque molestissima siccitate magnopere conquerebatur, arteriæ etiam in carpis celerius iterum mabant, unde modo dictis remediosis, quorum usus continua batur, sequentia adhuc subjunxi: Rec. Pulv. Iridis Florent. Glycyrrhizæ ana drachm. j. Confect. Alkerm. incompl. ana drachm..

drachm. dimid. Sacchari Canar. in aqua Cinnamomi soluti unc. j. & dimid. Clyssi antimon. sulphurat. q. s. ad gratam aciditatem M. F. l. a. Morsuli minores, quibus pro lubitu & urgente siccitate oris, masticatorii loco æger utatur. Rec. Spiritus Lilio. convall. Lavendulæ, matricalis ana drachm. ii. Spir. vini camphorat. unc. dimid. M. & linteis quadruplicatis vertici atque temporibus adplicetur.

Die 15. postquam maximam noctis præteritæ partem placido somno transegerat, versus diluculum iterum admodum inquietus evadet æger pulsusque frequentiorem, siccitatem oris, & æstum cum siti austum sentiens, denuo de compressione pectoris atque exscrectione difficiili conquerebatur, concurrente simul novo quodam incommodo, dysuria nempe, variisque aliis ex flatibus iterum oriundis molestiis. Novam igitur præparationem & adplicationem emplasti die 12. præscripti commendavi, thoraci vero cataplasma e cepis, in oleo olivarum frixis, paratum, calide imponere suasi, simulque ardorem & difficilem excretionem urinæ sequente potiuncula mitigare allaboravi: Rec. Aquæ cerasor. nigror. hyssopi sine vino ana unc. j. cum dimid. Sem. lycopod. drachm. dim. Nitri depur. scrup. j. Syrup. papav. rheæd. drachm. iii. M. & saepius bina cochlearia porrigan-tur.

Die 16. æstus longe mitior erat, pulsus quoque remissius iterum micabat, urina haetenus rubra & cum ardore excreta, hodie absque ullo incommodo largius prodit & turbida adparet, immo paulo post sedimentum roseum & furfuraceum deponit, respiratio quoque liberius succedit, & exscreatio longe facilis, quam antea, perficitur, omniaque reliqua symptomata in dies mitiora adparent & manent usque ad

diem 19. quo ipso tandem urina per tres dies haetenus turbida largumque sedimentum deponens, naturalis iterum

conspiciebatur, adpetitus redibat, & febriles commotiones prorsus cessabant, nihilque amplius superesse videbatur, quam ut, roborato ventriculi & intestinorum tono, hactenus maxime debilitato, laudabilis alimentorum iterum promoveatur concoctio & inde bonus emergat chylus, cuius ope partes carnosæ aliquo modo restitui possent, quem in finem sub prandio vini puri modicum usum commendavi, reliquo vero tempore supra descriptum potum, nunc ex æqualibus partibus vini & aquæ paratum, ulterius continuare jussi. Mixturæ etiam sequentis tonicae usum ter de die ad XL. guttas pro dosi commendavi. Rec. Tinæ. antimon. tartarii. Essent. Succini, ana drachm. ij. Eff. centaurii min. drachm. j. M.D. ad Vitr.

Die 24. æger adpetitu integro huc usque gaudens, & diætam molliorem servans, sitim vero nunc vino puro in prandio fallens, viribus nuper deperditis tantas tulit suppetias, ut eas ex voto iterum collegerit, atque idcirco hactenus lectum ad dimidiâ diei partem deserere valuerit, illumque dein vesperi petens somno tranquillo, absque ulla interrupzione, fruatur. Ne vero in primis viis qualescumque restitarent, vel ibidem a cibis nunc paullo largius ingestis denuo colligerentur, impuritates, ad obtinendam plenariam illarum repurgationem sequentem haustulum laxantem ordinavi: Rec. Massæ Pilular. balsamicar. gr. xv. Tartari vitriolati gr. viij. solvantur cum aquæ florum acaciæ uncia una, addatur syrapi florum persicorum drachma una, & matutinis sequentis diei horis una vice sumatur. Ast, cum nullus inde circa meridiem hujus diei sequeretur effectus, statim tunc digestivum huncce pulverem, in infuso Theæ sumendum, subjunxi: Rec. Rad. Jalappæ pulverisat. sc. up. dimid. Salis Epsoniensis drachm. j. M. Effectus inde adeo exoptatus sequebatur, ut post meridiem non solum oœties alyum cum insigni levamine exoneraverit, sed &, sub prima

prima statim egestione scybalorum, hæmorrhoidum fluxus, ultra sex menses hactenus suppressus, simul denuo prodierit, perque tres dies successive continuaverit, tanta cum ~~evocata~~ ægroti, ut dehinc reliqua omnia penitus evanuerint symptomata, sola tantum alvi segnitie & flatulentia exceptis, quæ post aliquot dierum intervallum iterum comparabant, adpetitu tamen integro manente, unde cessante stillicidio hæmorrhoidalii, ad alvum apertam servandam, sequens infusum theiforme laxans quotidie matutinis horis substituebam & per aliquot dies continuare jubebam: Rec. Fibrar. rad. hellebor. nigr. rad. liquirit. polypod. ana drachm. ij. Follor. Sennæ sine stipit. drachm. vij. Herb. melissæ, Epi-thym. ana manip. j. Agarici albiss. drachm. iiij. Seminis ani- si, foenic. ana drachm. j. Concisa & contusa misceantur, atque mane binæ drachmæ cum octo uncis aquæ fervidæ infundantur, & infusum hoc cum, vel sine saccharo, tepide sorbilletur.

Sub usu hujus infusi alvus quotidie aliquoties aperiebatur, optimeque æger degebat. Interim silentio transeundum haud est, nuper ante fluxum hæmorrhoidalem ingruentem, ptyalismum quandam, ut putabatur, spontaneum ob- ortum fuisse, qui nunc ultra octo dies jam jam, citra ullam tamen noxam, vel virium prostrationem, continuat. Procul dubio excitata fuit hæc excretio per morsulos nuper decimo quarto morbi die, contra siccitatem oris præscriptos, dum glandulas sublinguales nimium forsitan ad salivæ effluxum stimularunt, unde etiam eundem, quoniam nihil incommodi intulit, ad diem I. Novembr. usque plane intactum relinquebam; ne tamen insolita talis excretio justo diutiis continuando in consuetudinem degeneraret, & salivam, ad chylificationis actum perficiendum summe necessariam, magis magisque imminueret, eandem, ope sequentis Mixturæ, ter quotidie ad XL. guttas adsumendæ, optimo cum effectu mo-

derabar: Rec. Tinct. antimon. tartaris. Essent. Cortic. Casca-  
rillæ, Spirit. nitri dulcis ana drachm. ij. M. D. ad Vitr.

Cum vero recens noster convalescens adipitui rede-  
unti largius indulgeret, & tamen ob tempestatis inclemen-  
tiam nondum corpus deambulando aut curru vehendo qua-  
litercumque movere valeret, atque idcirco interdum, præci-  
pue post pastum, languorem & flatulentiam sentiret; ideo  
incommodis hisce, sub diæta paullo magis restricta sequen-  
tia exoptato cum effectu opposui medicamenta: Rec. Li-  
quor. anod. mineral. Hoffmanni, Spiritus carminat. de tri-  
bus, ana drachm. ij. M. & matutinis horis guttulæ XLV. ad-  
sumantur. Rec. Tinct. mart. helleborat. Wedel. Essent. Cen-  
taur. minor. Trifol. fibr. ana drachm. ij. M. & brevi ante  
prandium ac introitum in lectum guttæ XL. in vino su-  
mantur.

Sub horum tandem usu, usque ad finem mensis No-  
vembris continuato, per Dei gratiam eo pervenit noster, ut  
dicto tempore cum integra valetudine in gratiam redierit,  
& in senio jam adulto vivens, continuante & per intervalla  
ordinate recurrente excretione hæmorrhoidali, vires ex vo-  
to recuperaverit,

(Rüdenhusa Halam missæ d. 16. Septembr. 1747.)

## OBSERVATIO XVII.

Dn. D. JOANN. FRIDERICI FÜRSTENAU.

*Singularia circa Purpuram rubram observata.*

Cum Purpura rubra, variis symptomatibus stipata, hic lo-  
ci epidemice quasi grassaretur, & puerilis in primis æta-  
tis subiecta invaderet, decennis inter alios puer meæ trade-  
batur

batur curationi. Hic quippe post varios in victu, præser-  
tim tempore ad autumnum vergente, circa fructus horæos  
commissos errores, prævia horrificatione & lassitudine in-  
signi, corripitur vomitibus largis, æstu, siti intensa, cepha-  
laalgia, tussi & præcordiorum angustiis, cum maculis exiguis  
rubris miliaribus, maxima copia die tertio in cute erumpen-  
tibus; quo demum tempore parentes me in consilium vo-  
cabant. Ego quidem primo intuitu ex tormentis ventris,  
ægrum certis intervallis excruciantibus, diarrhoea aquosa,  
murmuribus abdominis, nausea, oris amarore, similibusque  
signis, faburram in primis viis stabulantem faciliter cognosce-  
bam negotio, quam vero ob metum, ne exanthemata re-  
trocederent, evacuare haud poteram; medicamenta itaque  
præscripsi absorbentia, diaphoretica fixa, cum pauxillo nitri  
& cinnabaris, cuius loco deinde tantillum æthiopis minera-  
lis addidi, subiuncta simul *Essentia alexipharm.* temperata;  
quibus remediis purpura, jam retrograda, iterum ad exter-  
nam corporis peripheriam expellebatur. Perpetuo ad tus-  
sim stimulo & deglutitioni difficulti, opponebam *Essent.* *Pim-*  
*pin.* *alb.* cum *Syrupo Violar.* mixtam, nec non *gargarisma* ex  
*salvia laeti* incocta. Febris interim perseverans, circa vespe-  
ram augmentum capiebat, donec media nocte, quinto die  
præterlapso, larga narium hæmorrhagia oriretur, insignem  
virium prostrationem post se relinquens, ita ut æger quasi se-  
mimortuus adpareret: collectis autem paullatim viribus,  
omnia in melius vergere videbantur; aberat enim febris &  
singula eandem concomitantia symptomata, neque ulla pur-  
puræ vestigia supererant, utpote quæ post hæmorrhagiam  
narium plane disparuerat. Dum ergo æger nil amplius habe-  
bat, de quo conquereretur, quam de deglutitionis difficultate,  
& perpetua in aspera arteria ad tuſſim irritatione, adeo-  
que invado esse videbatur, d'erepente tantus oborietur pa-  
rotidum tumor, qui suffocationem fere minabatur, accidente  
simul

simul refrigeratione extremorum & totius habitus corporis externi, &, quod maximum terrorem incutiebat, subitanea etiam superveniente totius faciei inflatione , quæ vero per aliquot tantum horas durabat. Sub hoc rerum statu interne ordinabam Essent. alexipharm. cum spiritu salis ammon. anis. & præter facculos ex herbis discutientibus confectos , calideque sæpius adipicandos, præscribebam linctum ex mucilagine semen. Cydonior. & Psyllii, oxymelle squillit. & Syr. papav. errat, ut sic acrimoniam in aspera arteria hærentem involverem , pituitam stagnantem resolverem , & somnum, ob perpetuam tussim & irritationem plane fere defcientem, restituerem. Effectus quoque respondebat expectationi, siquidem puer, adsumto aliquoties hoc linctu , per totam noctem placide dormibat, & hora demum nona matutina expergefæctus , magnam pituitæ copiam per tussim rejiciebat, tumore parotidum sensim detumescente , nihilque sic restabat amplius, quam ut paucis interiectis diebus, pharmaco quodam purgante, curationit tandem finis imponeatur, quo facto æger, quæ Dei est gratia, ab anticipi hoc morbo liberatus, integræ valetudini restitutus fuit.

Hacce occasione commemorare adhuc placet, quod soror hujus pueri, duodecima annorum, omnibus symptomatis, quæ purpuram rubram antecedere solent, lassitudine nimurum membrorum, horrore, adpetitu prostrato, oris amarore, siti, tussicula, &c. jam adficta, sumto statim, quod ex Ipecacuanha præscripseram, vomitorio , indeque per superiora & inferiora purgata ad pristinum mox vigorem redierit.

## OBSERVATIO XVIII.

Dn. D. JOANN. FRIDERICI FÜRSTENAU.

*Febris acuta vesiculosa - erysipelacea.*

Puer plebeius, 12. annos natus, prægressa tempestate maxime calida, post levem horrorem, maximo æstu, siti, & insigni, in tota corporis superficie, rubore, corripiebatur, mox inflammatio & suppuratio in ore & faucibus, delirium sumum, plenaria virium prostratio, tantaque deglutitionis difficultas successerunt, ut omnia fere liquida, ore adsumta, per nares iterum redderet, aliaque deleteria adcedebant symptomata. His itaque in angustiis, & deplorato rerum statu, ad me configiunt, operamque meam, multis implorant precibus. Utergo inflammationi huic fere universalis resisterem, absorbentia cum nitro & camphora præscribem, æger vero partim ob nauseam, partim ob difficilem deglutitionem, invitus, nec nisi coactus pulverem huncce adsumebat, ex quo tamen semper levamen quoddam capere videbatur; commendabam insuper usum acidorum in primisque succum Citri cum potu largo tenui, nec non lac ebutyratum, quod æger impense desiderabat, cumque is nimio calore externo hypocausti torqueretur, temperare eundem & stragula copiosius imposita removere jussi; interno ori ut prospicerem, gargarisma ex salvia, aceto, vel vino incocta, addito melle despumato, commendabam. Sexto circiter die larga narium hæmorrhagia oriebatur, cum prostratione virium plenaria, ad quas iterum erigendas pauxillum vini Rhenani permettebam. Interim multæ vesiculæ in toto corpore, in primis autem circa extremitates, digitos nimirum manuum pedumque, adparebant, quæ forfice apertæ, purulentam tenuem

nuem materiam fundebant, cuticula deinde squamularum more secedente. Natura sic adjuta morbum hunc satis periculorum superabat feliciter, & cum postea inadpetentiae Ess. stomach. & carminativa, desiderio parentum satisfacturus, prospexitsem, tanta oboriebatur ciborum cupiditas, ut vix satiari potuerit.

(Rintelio Halam missæ d. 7. Octobr. 1747.)

### OBSERVATIO XIX.

Dn. M. BONIFACII HENR. EHRENBERGERI.

*Nova problemata in campi planitie instituenda.*

**V**aria, in praxi campestri, meditanti mihi sese obtulerunt problemata, quæ Geodætis, ut spero, haud erunt ingrata. Fundamentum, quo maxime ea nituntur, est triangulorum similitudo ac laterum exinde dependens proportio, de quibus agit EUCLIDES Lib. VI. Propos. II. IV. & V. Hoc tamen problematum præsentium causâ addendum videtur Corollario Claudi RICHARDI ad Propositionem EUCLIDIS IV. libri dicti aut Commentario Christ. CLAVII ad hunc locum.

*Si in triangulo: anguli cuiusdam crura proportionaliter abscindantur aliqua linea parallela, tunc quotquot ex illo anguli punto in basin continuatam ducuntur rectæ, per continuatam quoque parallelam eadem ratione secantur.*

Verbi gratia: Sit  $\triangle BAC$ , Fig. I. Tab. II. cuius basis  $BC$ , & crura  $AB$  &  $AC$  per parallelam  $DE$  æquali ratione abscissa; continuetur basis  $BC$  in  $F$ ,  $G$ , &c. agantur rectæ  $AE$ ,  $AG$ , &c. prolongetur etiam  $DE$ , ut fecet hæc nova crura

crura in H, I, &c. tunc HA, IA, &c. eandem ad HF & IG habebunt rationem, quam habent AD & AE, ad DB & EC, &c. item AC erit ad CF, ut AE ad EH. Demonstratio hic nova non requiritur, sed eadem est cum demonstratione propositionis IV. ab EUCLIDE & aliis data. His autem suppositis, Problemata damus sequentia.

## Problema I.

*Distantiam duorum locorum conspicuorum A & B,  
quorum alter A est inaccessus, invenire.*

## Solutio.

*Modus I.* Figatur baculus C, (Fig. 2. Tab. II.) qui sit cum A & B in eadem recta. Figatur alias D utcunque, & captae distantiae CD & DB transferantur retro in linea recta, ut CD sit = DF, DB = DE. Tandem invenitur locus G, qui & cum E & A, & cum F ac B formet duo crura rectilinea. Quibus factis mensurentur lineæ GF, GB, & EF (= CB) ac inferatur juxta regulam auream: Ut GF ad FE: ita GB ad BA.

## Corollarium.

Si AC esset distantia quæsita, tunc in B baculus infi-  
gendus esset, & reliqua omnia essent eadem, sicque tandem  
inferretur: GF: FE = EC: CA.

*Modus II.* Vel sit distantia quæsita IH (Fig. 3. Tab. II.) Fixo baculo K in linea recta cum I & H, adsumtoque pro lubitu loco L, linearum IL & KL mensura capitur, & singularum pars aliqua, v. g. tertia, determinatur in i & k, ibique bacillis firmatis, in linea recta cum i & k figatur alias adhuc in b, qui inter L & H rectam servet lineam, & erit

*bi* etiam talis pars aliqua distantiae HI, qualis *iL* nimirum pars tertia.

*Modus III.* Vel adhibita mensula Prætoriana A (vid. Fig. 4. Tab. II.) ubi distantia quæsita est IL, baculoque insixo M, qui sit in linea recta cum I & L, ex unica ejus statione immota habebitur quæsitus, si modo ex adsumto in mensula, horizonti parallela, puncto *a* collineatio fiat ad I, M, L, & mensuræ majores, *aL* & *aM*, juxta scalam geometricam, in lineis in mensa ductis refecentur; tunc etiam linea *lm* protracta ad *i*, juxta eandem scalam mensurata, indicabit distantiam majorem IL desideratam.

### Scholium.

Hoc problema mensula solvendum, quemadmodum & reliqua, ex duabus stationibus alias peragitur. Quanta autem circumspectione opus sit in transferenda mensula, sat is notum est Geometris. Hinc præsente hac operatione non fui contentus, sed plura adhuc ex immoto mensulæ situ horizontali excogitavi & tentavi circa duorum & plurimum locorum inaccessorum distantias perquirendas. Ubi tamen pro quovis casu commodus mensulæ locus est eligendus, ne nimis multæ lineæ occurrant dimetiendæ, aut ~~plures~~ plures baculi sint adhibendi. Atque hoc quidem ingenio exercitato adeo difficile inventu haud fuerit. Circa varios casus nos in præsentiarum fecimus periculum, ad quos plures aliquando, nova data occasione, accedere possunt.

### Problema II.

*Duorum locorum conspicuorum, sed non accessorum, distantiam emetiri.*

Solu-

## Solutio.

*Modus I.* Sint loca M & N (*Fig. 5. Tab. II.*) Figantur duo baculi R & P cum M in eadem recta, & alii duo S & Q cum N rectam constituentes, denique adhuc alias O, circiter intermedius (quamvis non necessario requiratur, ut cum Q & P unam rectam conficiat, sed in arbitrio cujusdam sit possum). His ita factis capiantur distantiae OR, OP, OS, OQ, & ubique determinetur ex O, pars aliqua, v.g. tercia, infixis rite bacillis fiat regressus in linea recta, hinc à p & r, illinc à q & s usque dum ibi habeatur punctum m, hic punctum n, inter O & loca quæsita visum: & erit mn ejusdem partis lineæ MN quæsita.

*Modus II.* Si in loco O collocetur mensula, & adsumto in eadem punto o dirigatur dioptra ad loca M, R, P, N, S, (*Fig. 6. Tab. II.*) duæisque lineis, transferantur juxta minorem modulum in illas distantiae majores OS, OQ, OR, OP, ex o in s, q, r, p, facile habebitur mn, si prolongentur lineæ pr & qs, &c.

*Modus III.* Sint loca T & V (*Fig. 7. Tab. II.*) Figantur duo baculi X & Y, arbitrario quidem, sed ita tamen, ut propiores sibi invicem sint, quam ipsa loca quæsita, & optice tandem connecti possint cum ipsis locis quæsitis; id quod fit in loco Z, ubi TX & VY concurrunt, & quasi alligantur. Adsumatur denique quartus baculus A utcunque, commodius tamen ita, ut collineat in Y & X; mensuratisque lineis AZ, AX, AY, ac adsumtis partibus aliquotis, v.g. tertiiis in z, x, & y, inveniantur puncta t & u, quæ sint cum x & z, T & A, item y & z, V & A in lineis concurrentibus reætis: & erit tu itidem talis pars lineæ TV, qualis v.g. A x est lineæ AX, &c.

*Modus IV.* Quodsi Ay, Ax, & Az, partes tertiae suarum linearum transferantur retro in linea recta, puncta

$u$  &  $t$  similiter retro habebuntur, & aliquando commodius.

*Modus V.* Idem problema exhibetur in mensula, quam in eadem figura lineis occultis repræsentatam vide-mus. Reliqua facile concipiuntur: nam mensuræ  $Ax$ ,  $Ay$ ,  $Az$ , juxta scalam designantur in mensula, in  $x$ ,  $y$ ,  $z$ , & duætis lineis  $zx t$  &  $zy u$ , habetur  $ut$ , juxta scalam mensuran-dam, &c.

*Modus VI.* Quodsi duo vel plural loca ita sint compa-rata, ut cum iis in eadem recta duo baculi, e. g.  $V$  &  $X$ , col-lohari possint: (vid. Fig. 9. Tab. II.) tunc posita mensula in loco aliquo tertio,  $A$ , ex adsumto puncto  $a$  dirigantur lineæ excurrentes versus ea loca  $X$ ,  $V$ ,  $T$ ,  $S$ ,  $O$ , mensuratisque  $aX$ , &  $aV$ , hæ juxta scalam rite absindantur in mensula ab  $a$  in  $x$  &  $u$ ; & linea  $xu$  continuata per cæteras lineas, ex  $a$  ex-currentes, designabit singula loca quæ sita.

## Corollarium.

Idem casus sine mensula per solos baculos solvendus, ex eadem figura facile concipiatur, si in loco mensulæ lineæ  $ax$  &  $au$ , partes fiant aliquotæ suorum integrorum crurum,  $AX$ ,  $AV$ , & retrocedatur eo, quo Fig. 3. monstratum est, modo.

## Problema III.

*Distantiam trium locorum visibilium, ac triangulum formantium,  $V$ ,  $K$ ,  $B$ , (Fig. 8. Tab. II.) ad quæ nullus pateat aditus, investigare.*

## Solutio.

*Modus I.* Si loca eum habent situm, ut cum duobus ex. gr.  $V$ , &  $K$ , in linea recta duo baculi figi possint,  $G$  &  $F$ , tunc

tunc infigatur etiam tertius H, qui cum loco tertio B, & baculo G collineet. Adsumatur deinde locus E, qui, si fieri possit, K & B respiciat in linea recta. Hinc linearum EG, EH & EF, mensurandarum abscindantur partes, ex gr. tertiae in g, b, f, & retro inventis punctis k, b, & u habebuntur quoque partes tertiae distantiarum, VB, BK, & KV.

*Modus II.* Si in E constituatur mensula, & reliquæ ita se habeant circumstantiae, ex una mensulæ statione similis figura in eadem parabitur, quæ hic litteris Ebgefkbu declaratur.

## Scholium.

Quoniam hic casus multis variare modis potest, semper etiam alia atque alia ratione erit procedendum. Alia autem occasione plures profeteremus. Unus tamen adhuc modus, & ille mensula præsertim peragendus, hic addendus est, juxta quem multi alii dirigi poterunt.

*Modus III.* Loca sint G, D, F. Figantur duo baculi H & N (*Fig. 10. Tab. II.*) ita, ut regrediens inveniat locum O, ex quo duo inaccessa loca, & baculos videre licet in duabus lineis ibi concurrentibus. Deinde ponatur adhuc aliis baculus M, qui in eadem sit linea cum H & N, & simul etiam inter locum tertium inaccessum F, & locum concursus O, rectam FMO constituat. Ponatur mensula in E ita, ut ex punto e, ibi adsumto, tres bacilli videantur in una recta HNMe. Sumantur mensuræ eH, eN, eM, & transferantur ope scalæ geometricæ in lineam in mensula ductam, in b, n, m; fiat quoque collinatio dioptræ auxilio ex e in O, G, D, & F, & si duo loca in unam cadant lineam, uti hic loci F & D, eo mehus. Transferatur etiam mensura major eO juxta minorem modulum ab e in o, & lineæ ob, on, om, prolongatae loca quæsita determinabunt.

## Problema IV.

*Multorum locorum, accessu difficultum, situm & distantiam mensulæ ope ex una quidem ejus statione determinare.*

## Solutio.

Sint v.g. hic sex loca, B, C, D, E, F, G, Fig. II. Tab. II. Hoc autem ante omnia est curandum, ut duo vel plura loca (quo plura, eo melius) uni rectæ opticæ alligemus, quæ nimis cum alia ejusmodi linea in angulo quodam accesso concurrat. Deinde baculi ita sunt figendi, ut eorum ope linearum concurrentium directio facilius habeatur. Hinc 1.) infigamus baculum R, qui in F & B, E & C, collineat. 2.) Retrogrediamur in T usque, ubi R cum D rectam facit lineam & T cum a in mensula, item cum V respondeat. 3.) Alius baculus in linea R a cum eodem V collineat & locum G adnestat. 4.) Figatur adhuc baculus S inter R & B cum intermedio F. 5.) Factis nunc ex a collineationibus ad V & T, O & R, S & D, E, C, F, G & B; & 6.) distantiis a T, a V, a O, a R, a S, in lineis mensulæ juxta scalam resectis in t, u, r, o, & s: continuatae lineæ tr ad d, ur ad e & c, rs ad f & b, uo ad g i, singula loca designabunt.

## Problema V.

*Locum haud permeabilem, ex. gr. lacum, in mensula immota & ad horizontem parallela, designare.*

Solu-

## Solutio.

Varia puncta in ambitu designentur baculis, I, K, L, M, N, O, P, Q, (*Fig. I. Tab. III.*) quorum, ut in priori problemate, duo vel plura alligentur lineis rectis, tandem in unum punctum in linea fundamentali A B C concurrentibus, aut etiam antequam ad istam perveniant, se secantibus cum aliis, ut videre est in F. Mensuræ majores deinceps in lineis a H, & a C, minori modulo transferantur in lineas a h, & a c, ut in d, e, f, g, b, b, &c. sic lineæ c h, c g, c f, b f, b e, b d, prolongatæ singula ista loca determinabunt.

## Scholium.

Hoc & præcedens problema non sine majori paullo labore & circumspetione solvi, non inficior: hinc duarum mensulæ stationum usum prorsus antiquatum haud velim, quanquam quo plura sunt exploranda loca inacessa, eo prolixior & hæc eiit operatio. Interim sufficiat probasse, operationem ex uno mensulæ loco non esse impossibilem. Ceterum talismodi operandi ratio iis maxime commodo fuerit, qui vel mensula probe comparata destituti in assere firmato, vel dum plurium hominum ministerio non carebunt, vulgari mensæ adsidendo & dirigendo talem operationem suscipere gestiunt.

## OBSERVATIO XX.

Dn. M. BONIFACII HENR. EHRENBERGERI.

### *Nova Geometria campestris continuata.*

**H**aud ita pridem nova quædam problemata geometrica, in campo instituenda, proposueram ac schematismis de-  
*Actor. Ph. M. Vol. IX.* I cl-

claraveram: inter alia autem mensulæ Prætorianæ usum commodiorem exhibueram, dum non duas stationes adsumendas requisivi, sed una solum statione contentus fui, quæ tamen problemata paucissimis innotuerunt. Hinc quum nuper illa denuo inspicerem atque plures mihi, a prioribus iterum differentes rationes in mentem inciderent, de duorum, trium, &c. locorum inaccessorum distantias ex uno mensulæ loco, vel etiam sine mensula determinandis, eas idcirco hic oculis eruditorum subjicere non dubitavi. Sit igitur.

### Problema I.

*Data statione intermedia inter duo loca visibilia, sed inaccessa, invenire eorum distantiam inter se, aut utriusque a mensulæ statione.*

### Solutio.

Sint duo loca A & B (*Fig. 2. Tab. III.*), mensulæ locus in medio circiter in C, ita ut recta linea AB punctum c in mensula M N O P adsumtum, & in ea ad horizontem directa, ductam rectam a b simul contineat. Hac linea rite constituta ex punto c ope dioptræ collineetur ad tria ita adsumta loca, D, E & F, ut bina horum, nimirum D & E cum A, ac D & F cum B, sint in una recta linea. Deinde sumatur mensura linearum CD, CE, & CF, & transferantur singulæ ope scalæ geometricæ in suas lineas, c d, c e, c f. Tum duæ & prolongatis retro lineis d e a & d f b, absindantur secundum scalam eandem distantiae c b & c a, quæ juxta maiorem mensulam C B & C A convenient, adeoque & AB determinabunt.

De-

## Demonstratio.

Nam quia in triangulo E c D crura  $ec$  &  $de$  proportionaliter sunt abscissa, adeoque  $de$  est parallela  $DEA$ , itemque eadem ratione abscissæ sunt portiones  $de$  &  $fe$ , ut  $dfb$  sit parallela cum  $DFB$ : triangulum  $dba$  est simile triangulo majori  $DBA$ , adeoque ut  $dc$  ad  $ca$ , ita  $DC$  se habet ad  $CA$  vel  $CB$ . Igitur eadem erit mensura lineæ  $ab$  aut  $cb$  in particulis scalæ geometricæ, quæ in linea  $AB$  est perticarum. Q. E.D.

### *Corollarium I.*

Quibus voluope est, idem problema sine mensula peragere, adhibitis solum baculis, illi figant baculos  $F$ ,  $D$ , &  $E$ , ita, ut  $E$  &  $D$  cum  $A$  & idem  $D$  ac  $F$  cum  $B$  sint in recta linea. Deinde adsumto puncto  $c$ , measuretur pertica  $cD$ ,  $cE$ ,  $cF$ , & sumatur singularum linearum pars aliqua; vel dimidia, vel tertia, vel quarta, &c. inque  $d$ ,  $e$  &  $f$  figantur baculi, atque cum his binis  $b$  &  $a$  respondentibus: sic  $ba$  etiam erit talis pars aliquota lineæ  $BA$ , qualis  $ec$  vel  $cf$  est lineæ  $Ec$  vel  $ef$ , &c.

### *Corollarium II.*

Quodsi quis idem problema per Trigonometriam solvere susciperet, commodius haud posset, quam si datis  $Dc$  &  $Fc$  cum angulo intermedio  $DcF$  per Problema XI. Tabb. STURMII, aut Probl. IV. Perill. WOLFFII *Auszugs der Anfangs-Gründe*, inveniret angulum  $DFc$ , ut in  $\triangle FcB$  anguli cum latere  $CF$  sint dati, ex quibus porro  $CB$  eliciendum. Idem etiam cum triangulis  $EcD$  &  $EcA$  est observandum, pro obtinendo latere  $ca$ .

## Corollarium III.

Imo, idem quæsitum inveniet solis instrumentis goniometricis, si angulos in campo mensuratos, Transportatorii ope transtulerit in charta, lineasque  $c\ e$ ,  $c\ d$ ,  $e\ f$ , juxta scalam absciderit: tunc enim  $d\ a$  &  $d\ b$ , & omnia desiderata habebuntur.

## Problema II.

*Distantiam duorum locorum inaccessorum, A & L,  
ex una mensulæ statione G paulo aliter, ac supra  
Tab. III. Fig. 3. exhibitum est, exquirere.*

## Solutio.

Infigatur baculus I utcunque, & duo alii, H & K, qui tamen propiores sibi sint, quam A & L, illisque duæ lineæ rectæ, in I se secantes, exhibeantur. Tunc fiat regressio eo usque, donec H cum A, & K cum L, ex mensulæ puncto adsumto  $g$  sint in linea recta. Ducantur in mensula rectæ  $g\ a$ ,  $g\ i$ ,  $g\ l$ , ad puncta HA, I, & KL, collineantes, in quas lineas distantiaæ GH, GI, & GK, pertica exploratæ, transfrantur secundum scalam geometricam in  $h$ ,  $i$ ,  $k$ ; tunc duatis & prolongatis lineis  $h\ i$  ad  $l$ , &  $k\ i$  ad  $a$ , erit in mensula distantia  $al$  quæsita, juxta scalam eandem mensurata.

## Demonstratio.

Hæc non multum abludit a demonstratione præcedenti. Habentur enim hic similiter  $\triangle$  similia  $HIG$ , &  $hIg$ ,  $gIk$ ,  $bIg$ , &  $HLg$ ;  $gak$  &  $gAK$ , adeoque: ut  $gh$  ad  $al$ , ita se habet  $gb$  ad  $AL$ .

*Corollarium I.*

Quodsi quis solis baculis usurpus idem problema solve-re vellet, is parum incommodi inveniet, si fixis, ut antea, ba-culis H, I, K, G, linearum HG, IG, KG, sumat partem ali-quotam, quæ jam hic sit  $gh$ ,  $gi$ ,  $gk$ , & ibi etiam baculos infigat; deinde cum  $i$  &  $k$ , in eadem recta, inter  $g$  & A po-nat adhuc baculum  $a$ , & cum  $h$  &  $i$ , in linea recta, inter  $g$  & L firmet baculum I, tunc  $al$  erit etiam pars aliqua linea AL, quæ est  $hg$  linea HG, &c.

*Corollarium II.*

Etiam hic mensuratis lineis GK, GI, GH, & angulis cir-ca G, & sic ex una solum instrumenti goniometrici statione, problema per Trigonometriam solvi poterit, si per Tabb. STURMII Trigon. Probl. XI. aut WOLFFII citati Probl. IV. inveniantur anguli circa I reliqui, ut habeatur etiam angulus tertius GAI, & GLI. Ex quibus porro in triangulis AIG, & LIG, & dato latere communi habebuntur vel AI & LI, vel GA & GL, atque ex his demum ipsa distantia AL quæ-sita.

*Corollarium III.*

Tandem etiam usus Transportatorii hic omnem rem tam cito fere inveniet, quam qui in mensula operatur. Ubi an-gulos circa  $g$  & lineas GH, GK, HI, resecuerit in charta jux-ta scalam geometricam.

*Problema III.*

*Trium locorum ex una mensulæ statione visibilium, at inaccessorum, distantiam inter se paulo aliter, ac jam ostensum est, explorare.*

## Solutio.

Sint tria loca, R, S & T, (Fig. 4. Tab. III.) Ponatur primum baculus in N utcunque, & adhuc alias M, ita ut ex illo alias inaccessus locus, T, cum N respondeat, & reliqui duo, R & S, simul ex statione mensulæ V, conjugantur in lineis rectis, ut VMR & VNS. Figatur etiam baculus, O, inter V & T. ita, ut simul cum N & R in eadem recta sit, & denique ponatur adhuc unus baculus P, vel inter N & R, qui tamen etiam cum M & S collineet, vel inter M & T, ut simul cum O in linea recta conveniat. Tunc ductis in mensula lineis ex V ad MR, NS, OT, transferantur in illas distantia VM, VN, VO, juxta scalam geometricam in  $m, n, o$ , & prolongentur lineæ  $m\,n$ , ad  $t$  usque, ac  $o\,n$  ad  $r$ ; sic habetur quidem distantia RT; ut autem etiam locus S determinetur; mensura PN designetur adhuc in linea  $n\,r$ , ab  $n$  ad  $p$  & prolongetur linea  $m\,p$  ad intersectionem in  $s$ , & habebuntur singulorum locorum distantia juxta eandem scalam geometricam mensurandæ.

## Demonstratio.

Mera hic triangula similia occurrere, quilibet videt: nimirum  $Vmn$  &  $VMN$ ,  $Vno$  &  $VNO$ , sicque  $Vro$  &  $VRO$ ,  $Vtm$  &  $VTM$ , ergo &  $Vrt$  &  $VRT$ , similitudine inter se gaudere, ex præcedentibus constat. Et quia NR est parallelæ cum  $nr$ , &  $np$  proportionaliter est abscissa cum NP, igitur PSN cum  $psn$ , NRS cum  $trs$ , SNT cum  $snt$ , sunt in eadem proportione, adeoque mensura scalæ geometricæ ubique cum mensura vulgari & majori convenient. Q. E. D.

*Corollarium I.*

Quomodo solis baculis res in campi planitie peragi possit, ex præcedenti Problemate maximam partem patet: Ubit triangulum minus in campo Vro cum triangulo VRO, & triangulum mtV cum triangulo MTV respondet. Postea vero in linea nr pars adhuc NP secundum partem aliquotam, v. gr. dimidiā, tertiam, quartam, &c. ea ratione, qua ceteræ lineæ, est abscindenda, tumque ex m & p rece-dendum, donec s cum n & V, item p & m sint in iisdem lineis.

*Corollarium II.*

Per calculum Trigonometricum eadem quæsita haberi possunt, si quis ab initio duos modo angulos, circa V & linea MV, VN & VO mensuraverit: sic enim ex Coroll. 2. Problematis præcedent, habebuntur anguli circa, M, N & O; adeoque etiam in triangulis MRN & OTN, lineæ MN & NO, una cum angulis singulis. Sicque elicit crura RN & TN, tandemque RT. Ut autem & ST & RS habeantur, invenienda etiam est linea NS: cuius caussa inter alia ita procedi potest. In triangulo MNP jam habentur crura MN & PN, cum angulo intermedio PNM, ex quibus habentur reliqui PMN & MPN: & ita in triangulo SPN, aut SMN, angulus S latere non potest. Quo dato, infertur: Ut sinus anguli S se habet ad latus PN: ita sinus anguli M ad SN: ex quibus elicitis ST, & SR, per Probiema XI. Tabularum STURMII, aut IV. WOLFFII erunt inveniendæ.

*Corollarium III.*

Tandem Transportatorio & instrumento goniometrico adhibito, anguli vicini, RVS & SVT, cum lineis VM, VN, VO, & PN explorentur, & domi in charta designentur mo-dulo minori, ducanturque lineæ onr, m, n, t, m, p, s &c.

Proble-

## Problema IV.

*Distantiam quatuor locorum L, M, O, N, (Fig. 5. Tab. III.) inaccessorum in mensula ex una ejus statione paullo aliter, ac supra a me ostensum est, determinare.*

## Casus I.

E regione LO ponatur mensula in A, ita, ut in linea recta duo loca L & O cum mensula videantur, & ducatur linea lo A in ista duo loca collineans. Ducantur etiam lineæ ex A ad reliqua loca M & N, nimis rūm mA & nA. Porro quæratur in linea MA punctum P, quod cum O & N sit in linea recta, itemque aliud punctum S in linea NA, quod in O & M collineet. Denique etiam adhuc duo puncta R & T, quæ cum loco L in eadem linea jungantur, ac T simul cum A, S & N conveniat. Tandem in linea recta, MA, quæratur adhuc locus Q, qui ad R & N respondeat, atque harum distantia, majori modulo sumtæ, AP, AS, AT, QA, determinantur in mensula minori modulo, & facile habebuntur loca quæsita, aut integra figura juxta scalam geometricam dimetienda, si modo prius lineæ rectæ signentur in mensula, nempe s r o m, p o n, t r l.

## Demonstratio.

Hæc ex præcedentibus intelligitur. Cum enim omnes mensuræ, vulgari pertica exploratae, ut: AP, AQ, AS, AT, SR, & RT, in mensula juxta scalam geometricam resectæ sint; habent ubique triangula similia, adeoque crura circa æquales aut eosdem angulos proportionalia.

*Corollarium I.*

Quodsi idem in campi planitie fieret, ut mensuræ majores in particulis aliquotis determinarentur, quemadmodum in mensula scala geometrica factum est; tunc baculorum usu hoc problema solvi etiam posset. Nimirum: Figantur baculi, verbi gratia, in tertia parte lineæ PA & QA, ut habeantur  $p\alpha$  &  $q\alpha$ ; sumatur etiam tertia pars lineæ AS & AT, in  $s$  &  $t$ , & pars similis  $rt$  ex RT, ut  $rs$  ex RS. Tunc regrediendum a baculis  $s$  &  $r$ , usque dum perveniamus in lineam  $ap$ , aut  $aq$ , nempe in  $m$ , ubi etiam baculus est figura; sic & recedendo a baculis  $at$   $s$ , &  $qr$ , donec in  $n$  baculus infixus connexionem visus inveniat: item ponendo baculum  $o$  inter  $n$  &  $p$ , ac inter  $m$  &  $s$ , tandemque pedem referendo ab  $a$  per  $o$ , ac à  $t$  per  $r$ , usque dum visu conjungamus illos baculos in  $l$ : Tunc habebuntur omnium distanciarum  $ml$ ,  $ln$ ,  $n\bar{o}$ ,  $mo$ ; partes tertiae; hisque triplicatis, ipsum quæsitum. Et sic etiam in quavis alia ratione.

*Corollarium II.*

Imo exercitio Trigonometriæ planæ omnes has distancias determinabiles quoque esse, negare haud poterit, qui rem adgredi non pigrabitur. Semper enim aliud quæsitum ex alio elicet.

*Corollarium III.*

Instrumento etiam geometrico & transportatorio haberi similiter desiderata possunt. Nimirum vicini anguli MAO, & LAN transferantur in charta, & lineæ vulgari pertica, mensuratæ, AQ, AP, AT, AS, SR, TR, in lineis consignentur, & ductis novis lineis  $qrn$ ,  $trl$ ,  $sr\bar{o}m$ , omnia liquido constabunt in scala geometrica determinanda.

*Scholion 1.*

Neque tamen abnuendum quoque est hoc: Quo pluribus angulis figura dimetienda prædita est, eo operosius evadere exercitium. Id quod vero etiam in hoc casu, ubi duæ mensulæ stationes adhibentur, inficiari nequit. Ut ideo hic modus, quo plures una mensulæ stationes eliguntur, ideo commodior haud sit, nec isti præferendus.

*Scholion 2.*

Quia vero locorum plurium distantiae occurrunt, adeoque operationes quoque diversæ haberi possunt: igitur quatuor locorum distantias aut Trapezia diversimode proponeamus & solutiones instituemus.

*Casus II.*

Sit figura LMNO, (Fig. 6. Tab. III.) Sumatur statio mensulæ in linea recta cum latere LM, in A. Ducantur ex punto adsumto A rectæ ad loca quæsita AML, AN, AO. In linea AN eligatur locus P, cum quo, & singulis trapezii angulis inveniantur puncta Q, R, S, lineas rectas in P se fantes facientia, ac in lineis extremis AL & AO terminantia. Ponatur adhuc alias baculus T, vel inter Q, P & O, vel inter MP & R, qui sit simul inter N & S. Nunc metiendæ sunt pertica lineæ AQ, AP, AS, AR ac PT & scalæ geometricæ auxilio transferendæ in lineas in mensula consignatas, ab A in q, p, r, s, & à p in t. Tunc lineæ rectæ prolongatæ qpt, spl, rpm, stn, singula loca in mensula determinabunt.

*Corollarium I.*

Similiter solis baculis partes aliquotas linearum AQ, AP, AS, AR, determinando ab A in q, p, s, r, & à q & p retrogrediendo in o, & ibi baculo signando, item ab s & p

tendendo in  $l$ , sic & ab  $r$  per  $p$  pergendo in  $m$ , ut & ponendo baculum inter  $s$  &  $n$ , qui & simul cum  $p$  &  $q$  collineet; habebuntur omnes distantiae quæsitæ in particulis aliquotis.

*Corollarium 2.*

Nec, cui placuerit trigonometrice rem conficere, difficile erit. Primo enim ex lineis  $AS$  &  $AP$  cum angulo  $PAS$  invenitur latus  $PS$ . Deinde in triangulo  $POS$  ex datis angulis & latere  $PS$ , habetur  $PO$ , & in triangulo  $PNS$  ex eodem latere  $PS$  & angulis ex præcedentibus notis oritur  $PN$ . Postea in triangulo  $QLP$  ex latere  $QP$ , (quod ea ratione, qua  $PS$  inveniendum) ex angulis, habetur  $PL$  &  $PM$ . Denique ex his  $PM$ ,  $PL$ ,  $PN$  &  $PO$ , angulisque circa  $P$  habentur lineæ  $ML$ ,  $LN$ ,  $NO$ ,  $MO$ .

*Corollarium 3.*

Denique haud incommodius rem expediet Geometra, si angulos vicinos  $QAP$ , &  $PAS$ , mensuratos Transportatorio in charta delineabit & ad mensuram minorem delineabit  $Aq$ ,  $Ap$ ,  $As$ , &  $pt$ , in campo prius vulgari pertica exploratas. Et porro his lineis prolongatis resecabit  $Ar$ : deinceps ductis per  $p$  rectis  $qpo$ ,  $rpm$ ,  $spt$ , resectaque parte  $pt$ , juxta eandem scalam, ducet  $stn$ . Sic enim habebit in charta figuram desideratam.

*Casus III.*

Sit trapezium fere ut in præcedentibus: locetur mensula in  $A$ , Fig. 7. Tab. III. & in ea ad singula loca  $M$ ,  $L$ ,  $N$ ,  $O$ , collineando ducantur rectæ. Figatur baculus  $S$  utcunque, fiatque regressus ad  $P$ , ut  $S$  &  $O$  convenient in linea recta, &  $P$  sit inter  $M$  &  $A$  ad regulam. In eadem quoque linea in  $Q$  infigatur alias baculus, qui cum  $N$  & eodem  $S$  rectam constituant. Sic & ex altero latere ponatur baculus  $T$ , qui

similiter cum S & L in una collocatus sit recta. Quod si inter T & M adhuc baculum ponamus R, qui in lineam PSO coincidat: habebimus omnia data ad figuram  $l n o m$  in mensula delineandam. Scilicet pertica mensuranda sunt lineæ AP, AQ, AR, AT, RS, & juxta scalam geometricam in mensula determinandæ ab A in  $p, q, r, t,$  & ab  $r$  ad  $s.$  Tunc ductis lineis  $tr$  ad  $m,$   $ts$  ad  $l,$   $ps$  ad  $o$  &  $qs$  ad  $n;$  habebuntur singuli trapezii anguli, sicque figura quæsita.

### Corollarium.

Solis baculis figendis, si partes aliquotas adsumere velimus; ut & Trigonometriæ ope ex lineis mensuratis & angulis vicinis  $m Al, l An, n Ao,$  omnia quæsita, quamvis operiosius, haberri possunt. Facilior autem modus, præter mensulæ usum, erit, si angulis vicinis, ac lineis in charta scalæ geometricæ & Transportatorii auxilio determinatis, lineæ  $trm, ts l, ps o,$  &  $qs n,$  ducantur.

### Casus IV.

Sit aliud trapezium PRTS, Fig. 8. Tab. III. Infigatur in medio circiter B. Statuatur mensula in A, ita, ut ex adsumto in illa puncto A ad singulos angulos non modo, sed & ad B collineari, ac lineæ rectæ duci possint. Quibus factis, inveniantur ac signentur loca C, D, E, F, quæ sigillatim cum B & uno locorum P, R, T, S, rectam lineam faciant, mensuratæque AE, AF, AB, AC, AD, transferantur juxta scalam geometricam in mensulæ lineas, & ducantur porro rectæ  $dbp, cbs, fibr, ebt:$  tum habebuntur omnes anguli trapezii quæsiti.

### Corollarium I.

Soli baculi figuram quoque designabunt in planicie, si partes linearum aliquotas sumamus: v. g. distantiarum AE, AF, AB, AC, AD, partem tertiam, & infigamus baculos, eodem

dem modo ordinandos, quo hic in  $e, f, b, c, d,$  & retrogrademur ex  $d$  &  $b$  in  $p$ , ex  $c$  &  $b$  int, & ex  $f$  &  $b$  in  $r$ , &c.

*Corollarium 2.*

Trigonometriæ applicatio singula quoque puncta S, P, R, T, inveniet hoc modo: Ex lineis BA & DA, & angulo BAD datis habetur angulus circa D. Deinde ex latere AD & angulis in triangulo APD, habetur AP aut DP. Porro ex lateribus AB & AC cum angulo BAC elicitur angulus C: quo dato in triangulo ASC ex linea AC & angulis reperitur sive AS, sive CS. Sic etiam ex AB & AF cum angulo FAB invenitur angulus F, & ex hoc ac reliquis angulis in triangulo FRA, datoque latere indagatur FR aut AR. Tandemque ex EA & BA cum intermedio angulo investigatur angulus E, & ex hoc & angulis reliquis cum latere EA, ET aut AT haud latebit.

*Corollarium 3.*

Nec prolixam operationem accusabunt, qui mensuratores angulos vicinos circa A ac lineas AF, AE, AB, AD, AC, in charta Transportatorii & scalæ geometricæ auxilio designant: sic enim facile quæsita reliqua, lineis eb, fb, db, cb, continuatis, deprehendentur.

*Scholion 1.*

Demonstratione hic supersedemus: cum ea ex præcedentibus pateat. Mera enim triangula similia hic habentur, & in sequentibus quoque occurrent. Solis igitur problematum solutionibus erimus occupati, donec alia materia aliam demonstrationem postulaverit.

*Scholion 2.*

Plures dari trapeziorum pariter & stationum mensulæ casus, a se diversos, non negamus: sed eos facile, mutatis mutan-

mutandis, confici posse bene attendantibus propalam est, si modo hæc ubique notetur regula: ut ad singula loca quæsita duæ ducetæ habeantur lineæ; altera ex mensulæ statione, altera ex duobus punctis accessis aliis, in mensulam, scala adhibita, transferendis. Idque etiam in subsequenti figura observatum esse, adparet.

### Problema. V.

*Distantiam quinque locorum inaccessorum ex una mensulæ Prætorianæ statione invenire, & paulo quidem aliter ac supra exhibui.*

### Solutio,

Sint loca quæsita C, D, E, F, G, *Fig. 9. Tab. III.* Locetur mensula, si fieri possit (id quod hic supponimus) ita, ut binorum utrinque locorum distantiaæ rectæ continuatae collineent in unum concursus punctum. Ut: G & F, ut & D ac E concurrunt in A. Locetur ibidem mensula & ad Dioptræ directionem agantur lineæ Ad, Ac, Ag. In linea AC adsumatur punctum B, baculo signandum, & in lineis collateralibus inveniantur puncta H, I, K, L. quæ cum B & locis quæsitis collineent. Sic loca D, E, F, & G facile in mensula determinari poterunt, si modo distantiaæ AK, AL, AI, AH & AB rite abscindantur juxta scalam geometricam in b, i, k, l, & b. Distantia tamen AC nondum est determinata: igitur vel in linea BL, vel in BH quæritur punctum inter K & C, aut inter I & C medium in N, ac ejus ab L aut I distantia, majori mensura sumta transferatur minori modulo in mensula ac linea respondente, tunc linea kn c etiam locum desideratum c designabit.

*Scholion.*

Qua ratione vel solis bacillis, vel Trigonometriæ applicatione, vel denique instrumentis goniometricis & in campo & in charta, una cum scala geometrica adhibitis, easdem distantias invenire queamus, ex hac tenus dictis satis intelligitur.

*Scholion.*

In præcedente problemate supponebam, loca ita esse comparata, ut bina lateralia repondeant, & una in mensula linea ad illa collineet. Ne igitur quis putet, alio in casu id forte non procedere: ecce novum Problema ad Schema Fig. I. Tab. IV.

**Problema VI.**

*Ubi collineatio ad quinque loca singula seorsim datur (quæ sint B, C, D, E & F,) ex unico punto A in mensula adsumto, illa determinare.*

**Solutio.**

Figatur baculus G in linea media AD, & ad hunc ac loca reliqua definienda ponantur in lineis lateralibus baculi, H, I, K, L. ita ut cum locis B, C, E & F, & medio baculo G rectas constituant, IGC, HGB, KGE, ac LGF. Utque etiam locus medius D determinetur: ponatur baculus alias in N, inter L & D. Quodsi igitur lineæ AI, AH, AK, AL, AG & GN majori modulo explorentur, & in mensula ad scalam geometricam in  $b, i, k, l, g$  &  $n$  designentur: ductæ lineæ rectæ  $bgh$ ,  $igc$ ,  $kge$ ,  $lgf$  &  $lnd$ , singula loca quæsita ad eandem scalam determinabunt, ut eorum inter se distantia parat liquide.

*Corol-*

## Corollarium 1.

Extra usum mensulæ, solis baculis & instrumento goniometrico adhibitis, omnes istæ distantiæ habentur, si angulis singulis ad A, una cum lineis AI, AH, AG, AK, AL, item GN, & angulo circa N, mensuratis, hæ mensuræ in charta, Transportatorii & scalæ geometricæ ope designentur. Sic enim lineæ per puncta designata ductæ omnia desiderata determinabunt,

## Corollarium 2.

Nec difficile erit Trigonometriæ perito, ex data linea AG & angulis circa A & G, lineas GB, GC, GE, & GF, itemque ex linea GN & angulis circa G & N, etiam GD invenire per Probl. 1. Trig. WOLFFII contract. Postea ex datis lateribus GB & GE cum angulo intermedio habebitur etiam BC, & ex CG & DG cum angulo intercepto circa G exploratur CD; & sic reliquæ quoque distantiæ, DE, & EF per Probl. 4. l. c.

## Scholion.

Si loco GN, in linea GH aut GF intermedius aliis adsutatur, qui unam lineam cum D & I, aut cum D & H faciat, punctum D similiter haberi poterit.

## Problema VII.

*Distantiam sex inter se locorum inaccessorum, aut polygonum sexangulare inaccessum ex uno mensulæ, eoque constanti loco, inquirere.*

## Solutiones Casus I.

Sit polygonum ABCDEF (Fig. 2. Tab. IV.). Adsutatur punctum G in linea AD continuata usque ad punctum

&um O in mensula adsumtum. Fiat collineatio ex hoc puncto O ad singula loca; nisi bina aut plura in unam rectam commode coincident. Atque adsumto puncto G accesso in linea circiter media, ex. gr. ADGO, quærantur adhuc alia puncta in extremis utrinque lineis: nimirum cum G & B rectam facit N, cum G & C convenit M, cum E & G in eadem recta habetur I, cum F & G collineat K. Restant duo anguli e regione positi, A & D, quos una linea conjungit cum G & O. D autem cum E & H, & idem D conjungitur etiam cum C in puncto L. Ut autem & A determinemus, in linea OF quæratur punctum P, cum M & A recta conveniens. His expeditis mensura sumitur linearum ad punctum O in mensula ex singulis locis concurrentium; scil. OK, OI, OH, ON, OM, OL, OP, OG, & transferatur juxta scalam in lineas ex O ad istas regiones ductas, in  $k, i,$   $b, n, m, l, p, \& g.$  Sic postea loca quæsita in mensula facile inveniuntur, per rectas nimirum ex ipsis intersectionibus collateralibus per  $g$  continuatas itemque per lineas ex  $m$ , per  $p$  ad  $a$ , & ex  $e$  iam determinato ad  $b$ ; per  $d$ , item ex  $c$ , etiam jam invento, ad  $l$ , per idem  $d$  ductas.

*Scholion.*

Alia quoque ratione, ut in præcedentibus problemat. nimirum per baculos una cum instrumento goniometrico designatis iisdem punctis & angulis, vel adhibito calculo trigonometrico, hæ locorum distantiæ haberri possunt, si modo nota sit linea OG & anguli circa G & O; sic enim in  $\triangle OEG$  habetur eodem, modo ut in præcedentibus, nim. Probl. I. Trigonom. WOLFFII contr. linea EG; item ex angg. in  $\triangle OFG$  & eadem linea OG; proveniet quæsita FG; sic & in  $\triangle GBO$  ex angg. & eadem OG, latus invenietur GB, ac denique in  $\triangle GCO$  eodem modo adquiritur latus GC. Porro in  $\triangle AOM$  ex angg. & latere MO, habetur etiam li-

nea AO, ex qua, subtrcta OG, relinquetur GA; ac tandem vel ex i angulis & latere OH, vel ex i DOL angulis & latere OL, elicetur OD, & sic subtrcta GO, etiam GD. Ex quibus inventis nunc per Probl. 4. Lib. cit. porro exquiruntur inter se distantiae AB, BC, CD, DE, EF & FA.

### Solutionis Casus II.

In figuris 8. & 9. Tab. III. ac 1. & 2. Tab. IV. punctum accessum B vel G adsumsimus, ad quod loca inacessa & quæsita ex utroque latere collineando retulimus, ut ista cum hoc & alio in extremis lineis adsumto, & baculo signato rectam constituerent. Dari autem casus potest, ubi etiam sine loco accesso prius adsumto omnia fere quæsita inveniuntur, si modo locus quidam inaccessus mensulae proximus, ad quem jam ex mensula collineatio facta est, per duo puncta alia, in linea recta adsumta, determinetur, ut hic tanquam notus nunc haberi possit. Sit igitur figura inacessa sexangularis ABCDEF, Fig. 3. Tab. IV. F sit locus proximus inaccessus, ad quem linea ex mensula Ob collineet. Figantur duo baculi N & G, eorumque ab O distantia designetur in mensula: sic ducta recta gnf, non solum punctum f, sed & integrum lineam fa describet. Nunc porro cum hoc loco f determinato, visu connectantur loca C, D, & E in M, L & H, horumque distantiae ab O in mensula signentur juxta scalam, in m, l, & h: sic ductæ rectæ mfc, lfn & hfe, ista puncta quæsita, imo integrum etiam lineam fe dabunt. Ut solum locus B, qui pone F adhuc quærendus est, ex alio punto sit determinandus. Nimirum inter G & B ponatur adhuc P, qui simul in lineam ex O ad alium locum, v. gr. D, cadat, & hujus ab O distantia resecetur ab O in p juxta scalam; sic linea gp b etiam quæsitus b indicabit.

*Corollarium 1.*

Atque idem quoque interdum commode procedit in figuris quinquangularibus, imo & quadrangularibus, quæ angulum nobis obvertunt.

*Corollarium 2.*

Trigonometriæ peritus primum inquiret circa  $\triangle GFO$ , ex angulis circa O, G & F, ac linea OG, in lineas GF & OF, & ex his & angulis FOA & FAO, (ex praecedentibus hauriendo) in lineam AF. Sic in  $\triangle OBG$  ex angulis circa O & G & OG habebitur OFB, adeoque & FB. In  $\triangle MCO$  ex MO & angulis invenitur OC & MC. Porro ex LO & angulis in  $\triangle LDO$  exploratur LD & OD: ac tandem ex HO & angg. linea HE & HI, sicque & FE. Quibus inventis etiam lineæ DE, ex datis DF & EF cum angulo intermedio, & reliquæ quoque lineæ, DC, CB, BA, ex similibus datis, per Probl. IV. Compendii Wolffiani & XI. Tabb. STURMII haberi una cum omnibus angulis, sicque tota figura delineari potest facillime.

**Problema VIII.**

*Unam eandemque figuram inaccessam mensulæ diversis modis locatæ, attamen in sua statione immotæ, inscribere.*

**Solutio.**

Unum exemplum diversa ratione tractari posse, tribus his figuris, *Tab. IV. Fig. 4.* & *Tab. V. Fig. 1.* & *2.* exhibebimus, ubi una eademque figuræ inaccessæ facies in mensula diversa ratione sistitur. Eadem quidem lineæ in *Fig. 4. Tab. IV.* & *Fig. 1. Tab. V.* ex puncto O in mensula adducto

sumto excurrunt ad singula loca, præter E & G, quæ in unum cadunt lineam EGO: at reliquæ lineæ, loca singula refecantes & determinantes, variant, & tamen una & æqualis figura in mensula generatur. Quod enim ad Fig. 4. Tab. IV. attinet, quæ primum menti nostræ objiciebatur, ubi per septem baculos septem loca inaccessa inveniri posse monstramus: primus baculus fuit N, inter O & A, & post hunc secundus I, inter O & B, qui simul cum D & N unam constitutat lineam. Mensuratis igitur distantiis ON & OI, illisque in mensula minori modulo expressis, ducta recta *ind*, inventus fuit locus D. Hunc inter & NI positus est baculus tertius X, qui simul G & F conjungit in una linea, & cum his locis quartus R in una recta inter D & O infixus est. Mensuratis ergo OR & OX, hisque mensuris in mensularite notatis in *r* & *x*, ductaque linea *rxgf*, prodierunt loca G & E. Postea quintus baculus S, inter D & O locum obtinuit, & cum A & X collineans, illud punctum A determinavit. Mensurata enim OS, & in mensula debito modo signata, linea *fxa* locum istum abscindit. Idem etiam factum est cum loco E, qui cum X & sexto baculo M collineat: hujus igitur distantia ab O in *m* signata, & ducta linea *mx e*, habebitur ejus vestigium. Restat locus C, qui septimo baculo H, inter O & B vel I ponendo, ita ut cum E & C rectam constitueret, inveniri poterat. Nam mensura IH, aut OH, in *b* minori modulo designata, ductaque linea per locum e jam inventum, linea *ec* & locus *e* latere amplius non poterat. Atque his rite peractis omnes lineæ ac distantiæ CA, CE, EA, AF, FB, EB, ED, &c. minori mensura facile designari possunt.

In *Figura autem i. Tab. V.* licet eædem collineationes ex mensula loco O factæ, ad singula loca determinanda habeantur: tamen reliqua puncta adsumpta fere sunt diversa, præter N & I, quorum illud quidem inter O & A, hoc inter-

ter O & B rectam constituit; sed ita tamen, ut illud simul cum G & C, hoc cum H & E collineet: H autem vel in eadem simul linea, cum N & B, vel in eadem cum O & F adsumi possit: Ubi etiam isto in casu NH metienda & in mensula designanda, in hoc autem OH quærenda esset. Et quia M simul cum G & A, & cum N & B concurrit, ita ut etiam inter D & O habeatur, R autem in eadem linea cum G & F consentiat: horum baculorum ab O distantia modo mensuranda & in mensula consignanda est, positoque adhuc baculo L, cuius ope in linea cum N tam G, quam C habebitur: sic omnia loca per sex tantum baculos inquisivimus.

Alia autem linearum dispositio prodiisset, si vel locus N inter E G & O, vel plane aliis mensulae locus esset adsumtus. Id quod tentantibus inventu non adeo erit difficile. Nimirum *Figura 2. Tab. V.* diversam fere a prioribus rationem exhibet. Ex O scilicet in mensula adsumto quatuor tantum rectæ excurrunt ad loca D, C, A, F, B: reliqua alio modo alligata habentur. Ponitur mensula cum loco O in eandem rectam cum D & C, quæ duo loca designantur, ibi per baculos L & I, hic per idem L & R, ubi etiam G simul determinatur, qui inter C & LR cadit. Cumque C iam ex binis hisce locis haberi possit, etiam E non latebit: baculus enim H in eadem recta cum CE, & recta EGS illum prodent. Locus etiam F cum G connectitur in M, & inter hunc locum M & B baculus L eundem etiam inaccessum B determinabit. Restat, ut habeatur D per loca L & I, & denique A, quod vel ex loco inter S & A, vel quod melius, inter R & A, nempe ex X (vel etiam ex puncto inter I & A) haberi potest. Ab initio baculum quoque N posuimus inter O & A, M & B: sed nunc video, illum esse superfluum. Ductis enim quatuor in mensula lineis, ut supra indicatum, mensurentur OM, OL, OS, SR, RI, IH & LX, & ad scalam geometricam designen-

tur in  $m$ ,  $l$ ,  $s$ ,  $r$ ,  $i$ ,  $b$ , &  $x$ , sic linea  $dli$ ,  $cglr$ ,  $sge$ ,  $rxz$ ,  $mgf$ , &  $ceb$ , singulorum locorum puncta indicabunt.

### Corollarium 1.

Quodsi quis horum locorum inaccessorum inter se distantias vel trigonometrice, vel transportatorii & scalæ geometricæ, instrumentique goniometrici ope, ex angulis cum lineis quibusdam datis, inquirere gestiat, nihil aliud illi opus foret, quam ut sciat angulos circa O, R, S, M, I & H, *Fig. 4. Tab. IV.* ex quibus cum lateribus OR, OS, OM, OI, & OH, reliqua incognita haud difficulter colligi poterint.

### Corollarium 2.

Similiter in *Fig. 1. Tab. V.* ex lateribus OR, OM, OI, OL, & angulis circa O, R, M, L & I, cætera, quæ latent, eruentur, sive lineæ rectæ intermediæ DC, CE, EA, AF, FB, BG & GD, per Probl. XI. Tabb. STURMII Trigon. aut Probl. IV. WOLFFII habebuntur.

### Corollarium 3.

Nec difficile foret, pari fere ratione in *Figura 2. Tab. V.* procedere. Ex datis nimirum angulis in  $\triangle DOI$  & latere OL prodit vel DO, vel DI; ex angulis & latere OS i OGS habetur tam OG, quam GS, adeoque ex OD & OG cum angulo O elicetur DG. Sic in  $\triangle MBO$  ex MO & angulis proveniet BS, adeoque GS & BS cum angulo intercepto dabit GB. In  $\triangle SEN$  ex basi SH & angulis profertur SE, ex quo GS subtractum dat GE. Similiter ex  $\triangle OCR$ , ut & DGR angulis & latere OR producitur GC, & sic porro. Nam eodem modo cætera omnia obtineri possunt.

(Coburgo Halam missæ d. 24. Januar. 1748.)

## OBSERVATIO XXI.

Dn. D. JOANN. ADAMI RAYMANNI.

*Petecharum mendacium Historia, earumque à  
sinceris differentia.*

Quamquam petechiarum hæc distinctio nondum civitate donata, sive in Medicorum scholis usu recepta sit, sufficiente tamen cum nitatur ratione, minime eam repudiandam esse arbitror: Ex improviso namque, sub orthostadia, citra omnem vel graviorem saltem febrilem commotionem erumpentes maculæ, tam indiscretam, cum notissimis malignarum febrium petechiis habent similitudinem, ut easdem primo aspectu ab invicem discernere, ut prognosi æque ac medendi interest methodo, nec omnium, nec facile semper sit, & ex hoc principio sub petechiarum genus seu species collocari queant; quarum proinde illas petechias mendaces, has vero sinceras adpellare lubet: scorbuticas namque more vulgari easdem dicere, pudet & cædet, partim quod illis quoque locis & regionibus familiares sint, quibus Scorbutus non indigena, sed ignotus plane est hospes, insosque per consequens accusatur: partim quod dyscrasias humorum scorbuticæ in morbis prætextus, communiter nihil aliud; quam occulta morbi qualitas, adeoque ignorantiae caussarum morbiferarum speciosum velamentum atque asylum sit. Nec aliquid refert, quod ejusdem schematis maculæ, & quidem hæmorrhagiarum quarumvis, narium vero & gingivarum præcipue non minus feraces, genuina realis Scorbuti soboles sint, (quare, ne quid dissimilem, præcipitanter in *Actis N. C. Volum. VII. Observ. 110.* decernitur, nulla cum hoc exanthemate scorbuti signa vel sub

sub initium, vel augmentum, comparere,) quoniam hæ illis longe alios exserunt mores, dum & pertinaciores sive magis chronicæ sunt, & graviorum symptomatum stipantur caterva; quapropter mendosam hanc denominationem earundem patrocinio male defendi, in propatulo est. Cum interim multum de nomine disquirere idem foret, ac de lana rixari caprina, idcirco cuiusvis optioni relictum esto, sive consuetam *macularum scorbuticarum* appellationem retinere, si ve probatam nobis *petechiarum mendacium* huic surrogare, dummodo in re factique consentiamus historia: quam si quidem non injuria inter affectus desideratos & omissos responso, systemata namque Medicorum nec pro dignitate, nec ex professo, sed defunctorie & oscitanter saltem, seu symptomatis scorbutici, exanthematum horum meminisse consueverunt, ea propter illam, si non prætexere, pro viribus tamen adumbrare, simulque earundem a sinceris petechiis discrimen indagare atque hinc eruere jam suscipio.

Est autem primum utrisque maculis id commune, quod per summam cutem læviter, id est, absque ulla ejusdem asperitudine, multo minus protuberantia, efflorescant, atque idcirco conspicuae quidem, sed non simul palpabiles sint, ea tamen cum differentia, quod petechiis veris inficere faciem insolens fere, spuriis vero satis frequens sit: quarum hæ insuper magis quasi pro more petechiarum pestilentialium, quas Belgæ a forma, quam referunt, piperis, *Peperkorn* vocant, prominulæ esse videntur. Dein convenienter in eo quoque, quod post dierum aliquot intercapedinem sensim pallescentes, cuticula illæsa, sive, ut explicite dicam, eadem nec erupta, nec furfurum vel squamularum forma secedente, insensibiliter, nisi mors præveniat, difflari consueverint: hoc tamen rursus interposito discrimine, quod veræ quidem fugaces & instabiles, mendaces contra fixæ magis & pertinaces sint; illæ enim ut levi de caussa citam subeunt palindromen,

men, ita citius etiam tertio, quarto, vel quinto post eruptio-  
nem ut plurimum disparent die: hæ autem, stationem suam  
firmiter tuentur, ut ne quidem per intercidentes profusissi-  
mas hæmorrhagias intro facile recurrent, tardiusque circa 7.  
9. aut 11. diem evanescant. Communem porro utræque  
habent colorem; jam enim purpurascunt, jam livescunt,  
iam prorsus nigrescunt; figuram item & latitudinem ean-  
dem monstrant, rotundæ namque familiariter sunt, pulicu-  
mque æmulantur puncturas, nisi quod centrali punto, ceu  
ictus, destituantur, vestigio: latitudine æquant non raro len-  
ticulas, imo eas aliquando excedunt, illa tamen iterum cum  
disparitate, quod petechiæ spuriæ veris & frequentius mox  
ab exordio, &, quod præcipuum est, impune magis colorem  
nigricantem induant, a regulari item forma sæpe descis-  
cant, hoc est, triquetræ vel quadratæ aliqua ex parte com-  
pareant, & veras latitudine, si pestilentiales excepero, quas  
grossum aliquando æquare perhibent Loimographi, com-  
muniter vincant.

Fallitur ergo & fallit *Christianus Joannes LANGIUS*,  
dum macularum petechialium & scorbuticarum discrimen  
docere intendens, illas lenticulas, has vero vix caput acus  
æquare, atque proinde priores semper, ut forte adhuc tum  
juniori Medico, *Dissertat. XXVII. §. 19.* excidit, vel ut *Præ-  
xeos suæ Cap. XIV. §. 8.* cautius scribit, ut plurimum poste-  
rioribus maiores esse prætendat: quamvis enim indetermi-  
nata nec constanter eadem utrisque sit latitudo, proprius ta-  
men collimasset ad scopum, si, ordine inverso, has illis fre-  
quentissime latiores esse dixisset. Prudenter interim discre-  
tionis huic signo diffidens, recipiendam esse sociæ febris  
conditionem ac indolem, consulit, ceu in quo anacriseos si  
non omne, summum tamen, consistit momentum. Id enim  
genuinis petechiis singulare est, ut vix unquam alias, nisi  
cum febribus continuis, iisque malignis, præcipiti scilicet &

citra caussam manifestam extrema virium prostratione comitatis, mendacibus contra, ut citra febris concursum sub orthostadia, raro per intermittentes simplices aut duplicates, rariissime per subcontinuas benignas efflorescant. Quapropter jam olim *Joannes STEPHANI*, *Oper. medic. Dec. IX. Conf. 6.* minus eos tolerandos esse censuit, qui quamcumque in cute efflorescentiam petechiarum insigniunt nomine, etiamsi febris sit aut intermittens, aut mitissima. Celeberr. *JUNCKERUS* etiam in *Conspictu Medicinæ theoret. pract. Tab. XLIX.* cavet, macularum scorbuticarum cum petechialibus confusionem: inducunt quippe febres ultra acutum terminum excurrentes, humorum dyscrasiam scorbuticam, vel si in corpus ad hanc jam dispositum incident, maculis illud decolorant non semper petechialibus, sed scorbuticis, ut inquit *SORBAIT Med. Pract. Tract. I. Cap. 61.* pronunciandis. Hinc etiam petechiarum illæ ordinarie plus minus contagiosæ, populares, ancipitisque periculi; hæ vero sporadicæ, imo individuales, & citra infectionis metum securiores sunt: Neque enim vita in his facile, si febris absit, nisi forte exhaustis per effrenes hæmorrhagias cum sanguine viribus, periclitatur, sed si illæ habenas admittant, fere in tuto est.

Tantopere autem amant petechiæ mendaces hæmorrhagiarum quarumvis connubium, ut nonnisi perraro solitariæ compareant, verum communiter vel simul cum illis concurrent, vel eas præmittant, vel, quod frequentius est, pedissequas habeant, quo ex capite sunt, qui morbum hunc *hæmorrhagico-maculosum* adpellant. Quapropter vix jure redarguendus ero, si hæmorrhagiarum hanc fertilitatem, proprium eaqundem esse dixerо characterem: nam quamvis veræ quoque petechiæ interdum sanguinem eliciant & profundant, longe tamen hoc illis est insolentius idque ut plurimum lethale, prioribus vero, nisi modum excedant, respective

specie innoxium, si non salutare. Ad historiam porro petechiarum mendacium, specificamque earundem differentiam pertinet, quod, ut usu atque experientia comper- tum habeo, præ reliquis ætatibus puerilem quam maxi- me, sub exitum scilicet primi, aut quod fere solemnius est, exordium secundi annorum septenarii constitutum, adgredi consueverint, ubi veræ, quia sunt contagiosæ, omnem in- differenter ætatem impetunt. Toto enim, quo Medicinam facio, tempore, nonnisi in septem, novem & decem annos natis easdem mihi spectare contigit: fuerunt autem, ut ver- bis earundem depingam imaginem, maculæ læves, nil ultra planitiem cutis eminentes, nec pruriginosæ, latitudine aci- culæ grandioris caput à potiori æquantes, nonnullis earum in corporis extremitatibus illud superantibus, colore lividæ & nigræ, qualem sanguis subter cutem a fugillatione effu- sus exhibere assolet, figura majori ex parte rotundæ, inter- spersis quibusdam irregularibus: & hæ citra omnem febrem ægritudinis, vel gravioris mali sensum, manifestamque pro- phasim, rare & sparsim, in cruribus potissimum, hinc bra- chiis & abdomine, plerumque vero per omnem cutis su- perficiem, ne facie quidem excepta, acervatim & confer- tim proruperant, quibus posteriori præcipue in casu, una vel paullo post, incognitæ olim gingivarum cruentationes, ea- rum a dentibus putrilaginosæ, non citra fœtorem, secessio- nes, atque impetuosæ, modo per vices repetentes, modo continuæ, narium potissimum accedebant hæmorrhagiæ, maculas nil quicquam colore privantes vel diminuentes, quoad sanguinis exundatione cohinda, magis magisque ex- pallescentes, sensim, citra minimam cuticulæ decorticatio- nem divaporarent insensibiliter, temeratamque corporis in- tegritatem, si residem a tanta fluidi vitalis jactura virium ex- cepero languorem, brevi & optato restituerent.

Talem morbi hujus cum definita ætatis periodo consuetudinem doctiss. Dn. BEHRENS, pro sagaci suo ingenio, non saltem jam jam perspexisse, sed & sua atque ad quos, in *Dissert. Epistolari de Adfectionibus a comedis mytulis*, provocat, ZELLERI, MOEGLINI & BINNINGERI experientia persuasum divulgasse comperio: cui hærefi plures quoque Medicorum illustrium suffragantur observationes, quas pro confirmanda thesi hic producere nec loco nec tempore alienum erit. Ita Caspar PEZOLDUS *Observat. Chirurg. VI.* refert, filium maculas octennem sanguineas, puniceas & violaceas, comite hæmorrhagia universali, narium utpote, alvi, renum, &c. maxime periculosa, exclusisse, qui tamen morbo hoc prospere explicatus est. Hinc non disparem casum scientissimus & dives experientia WERLHOFIUS, in puella conspexit decenni; hæc enim, ut *Disquisit. de Variol. & Anthrac. Cap. III. §. XV. Nota 65.* exponit, citra febrem & aliquam ægritudinem, pariter in hæmorrhagiā largam, sanguinis partim sinceri nigri, partim serosi, per gingivas, nares, pulmones, stomachum, intestina & vesicam, per undecim dies, vicibus anomalis, cum deliquio extremorumque perfrigeratione, recurrentem incidit, sub qua sensim nigerrimæ & copiosæ toto in corpore erumpabant maculæ, quibus cessante sanguinis profluvio evanescuntibus, natura quamvis tanta liquoris vitalis portione spoliata, ut in corpore pallidissimo, sub elanguido pulsu parum admodum ejus superesse videretur, arte tamen adjuta, plenam & constantem a morbo portavit victoriam.

DOLÆUS *Ephemer. N. C. Dec. II. Ann. IV. Obs. 118.* pueri mentionem facit nondum novennis, alioquin sani, cuius omne corpus absque dolore, febre, aut lassitudine prægressa, subito una cum facie, labiis & lingua, ubi mane adsurgeret, numerosissimis maculis lividis & nigerrimis tanto-pere obsitum fuit, ut dorsum, interspersis maculis, trutatum non

non dissimilibus, baculis percussum esse videretur, quæ tamen intra paucos dies per antiscorbutica, vel potius propria naturæ vi (suppositam enim humorum dyscrasiam scorbuticam, adeo confestim emendari extra fidem est,) pristi, næ restitutus est valetudini. Puerum decennem sistit celeb. Dn. D. JOERDENS, *Act. N.C. Vol. VII. Obs. 110.* qui, superatis morbillis, post exactos in perfecta sanitate dies 14. citra febrem vel commissum errorem, gingivarum primum cruentatione cum foetore, mox vehementi narium hæmorrhagia vomituque cruento correptus est, maculis sub hoc profluvio in omni corporis planicie prorumpentibus, *sanguineis*, non a colore, sed, ut se explicat, earundem origine (quam a sanguine subter cutem restagnante, ducere, ex eo opinatur, quod ex nonnullis earum, remota cuticula, coagulatum protraxit) ipsi dictis: licet autem exsanguis mortique proximus esse videretur, consopita tamen extemplo hæmorrhagia, quam auctior macularum exceperat cum per vigilio eruptio, hisque intra quindecim dies disparentibus, superstes & incolumis evasit, id quod alteri quoque puero, nec non puellæ, post superatas variolas accidisse narrat. Consimiles item maculas, læves, rubentes, sanguineas, latitudine pisum partim æquantes, partim superantes (quarum nonnullæ apertæ sanguinem pariter fuderant), in septenni puer, ob paupertatem male nutrito, nocte quadam ex improviso, sine præcurrente mali alicuius sensu, prorupisse, testatur in *Act. N.C. Vol. II. Obs. 79.* ZWINGERUS, qui bus sequente die copiosa e faucibus, sine vomitu & tussi, per vices in alterum usque diem repetens successit hæmorrhagia, qua coërcita, exasperata fuere cuncta symptomata, imo post triduum, ipsa turbari coepit ratio, & circa octavum diem, spiritus reddebatur impeditior, donec duodecimo tandem morbi die, sub sudore largiore sensim dissipatis, & intra paucos dies in totum evanescerentibus maculis, rationis usus

usus corporisque rediret integritas. Puerum denique decennem, ne plura cumulem testimonia, frigore & mox aestu correptum, sanguinem floridum ex gingivis singulisque alveorum utriusque maxillae intersticiis, in magna copia continuo per horas undecim profundisse, & in utroque labio vesicas eodem turgidas concepisse, recenset *Autor. N.C. Vol. VII. Obs. 131.* WOLFFIUS, prorumpentibus simul per cutis summitatem maculis petechias referentibus, quarum numerum hæmorrhagiæ multiplicaverat suppressio: Vesicis interim labiorum intra quatriiduum resiccatis & secedentibus, maculis vero post sextiduum dispalescentibus, firma & plena successit orthostadia.

Neque tamen idcirco ætatem adultam privilegio quodam ab hac affectione exemptam esse contendeo, novi enim ex doctorum Virorum experientia, eandem hanc quoque, et si rarius, impetere. Ita ZWINGERUS loc. cit. testatur virginem annorum XVII. quoad externum habitum & adspectum bene valentem, mensum fluxu hactenus regulari emanente, absque ullo febris indicio, vel qualicunque œconomiae vitalis turbatione, aliquando mane, ex lecto surgentem, maculis nigris, morsibus pulicis similibus, per omne corpus, citra graviorum symptomatum concursum, conspersam fuisse, quibus sub usu diapnoicorum sensim dissipatis, revocatisque in ordinem mensibus ad integrum rediit valetudinem. Virgo pariter adulta & robusta, ubi sine caufsa procatarractica manifesta, ut inquit in *Commerc. litterar. Norimberg. Ann. 1735. Hebd. VII. §. II.* WERLHOFIUS, sub mensum tempus in subitam & ingentem, per nares, sanguinis limpidi & foetentis, una cum revomitione spissi & nigerrimi, incidisset eruptionem, maculas circa collum & in brachiis, partim nigras, partim violaceas & purpureas exclusis, quibus, die altero numero auctis, adhuc supervenit circa oculorum ambitum, nasi dorsum, & circa

circa os & mentum, velut a fugillatione livor, interveniente, ob hæmorrhagiarum continuationem, lipothymia, extre-  
morumque, cum pulsu parvo & frequentissimo, perfrigera-  
tione, donec illis, per corticis Peruviani quolibet bihorio  
usum, alternasque Laudani liquidii Sydenhamii doses, cum  
acidis & nitrosis obedire nollent, cohibitis, maculis vero in  
dies una cum livore faciei pallescentibus & septimo die plane  
evanescientibus, vires cum sanitate, citra mensium restitu-  
tionem, redirent. Clericus in *Ephemerid. N. C. Centur. I.*  
*Obs. 93.* fervente sub canicula sole, pullulantibus in brachiis,  
cruribus, dorso & pectori, absque signo morbi alicujus pa-  
thognomonicō, maculis, partim sub-rubris, partim lividis,  
obulum æquantibus, & aliis ab hac amplitudine formaque  
circulari recendentibus, petechias esse ratus in ædibus cale-  
factis, sub stragulis se continebat, quem Medicus, colliqua-  
tione vix non exanimem, in liberam inde deducendo au-  
ram, sine ulla remedio, innoxie intra biduum disparentibus  
maculis, incolumem servavit. Musicus quoque ibidem  
*Obs. 101.* producitur, qui, citra ullam malæ valetudinis no-  
tam, adeo dense toto in corpore maculis obrutus fuit cœ-  
ruleis, ut horridum præbuerit adspicuum, & quidem citra  
omne sanitatis præjudicium vel consequentem noxam. Si-  
militer quoque his jure accenseo, quas *Ephem. Nat. Cur.*  
*Dec. III. Ann. IX.* & *X. Obs. 108.* ROMBERGIUS in mu-  
liere, post exactas a puerperio 4. hebdomadas, satis fana,  
cum subita narium & gingivarum ac uteri hæmorrhagia,  
densissime prorupisse memorat, & petechias sine febre id-  
circo vocat, quod ex nigro rubræ, lenticulas æquantes, pe-  
techarum perfectam referrent imaginem. Veros namque  
non fuisse petechias, argumento est, quod citra febrim &  
comparuerint & perstiterint, ægræque oëtiduo post Medi-  
cum accedendi potestatem reliquerint. Huic analogam mu-  
lieris historiam Dn. D. JOERDENS l. c. exponit, cuius totum  
corpus,

corpus, quarta quoque a puerperio hebdomade, sub vehementi narium & uteri hæmorrhagia, maculis, per abusum, ut jam supra notavimus, *sanguineis* ipsi dictis, verius autem *livescientibus* adpellandis, hunc enim colorem sanguis sub cuticula restagnans exhibet, conspersum fuit, quæ tamen, cohibito sanguinis profluvio, & disparentibus postea maculis, in perennem cum sanitatem rediit gratiam,

Imo nec *senilem ætatem*, prorsus immunem ab hoc esse exanthemate, WOLFFIUS *Act. N. C. Vol. III. Obs. 79.* docet; vidit enim in vetula septuagenaria, gracili quidem, sed plethorica, post triduanam cephalalgiam, per universum corporis habitum, maculas violaceas, diversæ magnitudinis, quarum nonnullæ duodenarium superabant nummum, prodiisse subito, sublatis illico doloribus capitis; vehemens dein narium successit hæmorrhagia, summam virium inducens prostrationem, siquidem non guttatim, sed rivuli instar, sanguis promanabat, stupenda simul, primum grumosi, hinc floridi quantitate ejusdem, per alvum reddita: quamvis autem syncope jam accessisset, intercepto tamen sanguinis hoc torrente, maculisque paullatim disparentibus, rediit pristinus & in sextum annum constans sanitatis vigor. Ast rarissimum est, ætatem *infantilem* hoc vexari morbo, unde unicum saltem in *Ephemer. N.C. Dec. III. Ann. IX. & X. Obs. 169.* occurrit exemplum, infantis scilicet dimidii anni, qui virio, prout suspicabatur, nutricis, ira excandescentis, citra notabilem virium prostrationem, maculis violaceis, in tota corporis superficie decoloratus fuit, sanguinemque sternutando excussum, & per palatum, labia, immo ex oculorum canthis, sub ploratu, lacrymarum loco, guttatim reddidit, qui tamen imminens tunc vitæ discrimen feliciter effugit.

Sed quam expedita huc usque, utrarumque macularum fuit discretio, dum nemo nisi imperitus, citra febrem erumpentes pro veris declaravit petechiis: jam intricata & peranceps

anceps ea redditur, ubi intermittentibus febribus simplicibus, speciatim tertianis, vel simplicibus, vel duplicatis, adeoque in continuatatem vergentibus, complicantur. Quamquam enim febres hæc in more positum habeant, præsertim si chronicæ evadunt, ut præter varia pustularum genera, vere saltem mendaces petechias, sive maculas, abusive scorbuticas dictas, sub declinationem, vel exsolutionem simul propellant, quemadmodum RHODIUS *Cent. I. Obs. 10.* in Equite quodam, extertiana convalescente, lividas erupisse maculas notat, qui quartanam quoque per nigras critice desisse, illisque evanescentibus eam sublatam fuisse, ex SYLVATICO *Obs. 16.* plumbeas item ac lividas, duplicatae successisse tertianæ, ex PRÆVOTIO *Obs. 27.* addita declaratione, non esse hæc signa malignitatis necessaria, nisi graviora ad fuerint symptomata, refert. Ipse ego præterito Vere, in Chirugo bene carnosø, quarto tertianæ simplicis paroxysmo rubras, citra pruritum, nummi magnitudine in cruribus effloruisse maculas vidi, quæ nonnisi tertio adhuc die, succedente, novæ accessionis in locum, largissimo sudore, una cum ulteriori febris recursu, iterum evanuerant. Contingit etiam sed rarius, ut mentionatæ febres, dum adhuc vigent, maculas ejusdem generis excludant, easque tum quidem vel simultaneo, vel repetito partu, hoc est, ut distinctius loquar, comparens eruptio vel intercalaribus etiam, sive a febre vacuis diebus, stabilis manet, vel finito paroxysmo cum sudore evanescit, venturo rursus postliminio reditura. Ita in simplici tertiana maculas, pulicu morsibus æmulas, in collo & peñore densissime provenisse, in Ephemerid. N. C. *Cent. I. Obs. 93.* legimus, quæ nonnisi debite curata discesserant febre. Viciſſim, quæ circa tertianæ quartum paroxysmum, cum euphoria in ambitu corporis, circa caput vero & dorsum quam maxime purpureæ & mox livescentes, grossi magnitudine, proruperant maculæ, paroxysmis conquiscentibus

evanescebant; illisque ex ordine recurrentibus denuo repul-  
lulabant, juxta Ephemer. N. C. Dec. II. Ann. III. Obs. 176.  
(cujusmodi eruptionis periodicae mentionem quoque facit  
ETTMÜLLERUS Colleg. Pratt. Cap. 8.) Quamvis inquam  
hæc usitata & certa sint, vere tamen tertianas aliquando, sit  
venia verbo, petechizare, sua, DONATUS Lib. III. Hist.  
med. Cap. 14: STEGMANNUS Ephemer. N. C. Dec. III. Ann.  
I. Obs. 19. & FEHRIUS de Scorzonera, ut plures taceam; se  
confirmatum habere adserunt auptoplia. Ipse b. STAHLIUS,  
Vir quondam ut probatæ fidei; ita etiam acris simul judicii,  
testis est in *Historia febris petechizantis, M. Majo Observa-*  
*tionum suarum menstrualium exhibita*, se vidisse tertianarios  
ita leviter continuitatem sentientes, ut alternis diebus ortho-  
stadii essent, in quibus sub paroxysmo, non uno saltē, sed  
& altero ac tertio, maculæ prodibant, cum impetu paroxys-  
mi senescente rursus semper delitescentes, quamvis subjun-  
gat, id particulare vel prorsus individuale fuisse: qualem ter-  
tianæ typum, febrem hanc Posonii popularem, servatis exa-  
ctissime periodis, mentitam quoque fuisse, & maculas tem-  
pore apyrexias disparentes, cum accessionibus semper re-  
diisse, gentilis noster LOEWIUS uti Att. N. C. Volum. II.  
App. p. 36. exponitur, itidem observavit:

In hoc tamen ambiguitatum labyrintho, fili Ariadnes  
munere, sollicita constitutionis epidemicæ & genii febrilis  
exploratio, perfungitur, viamque hinc evadendi monstrat:  
neque enim extra ejusmodi statum facile tales simulatæ eve-  
niunt tertianæ.. Petechiales vero sub earum delitescere lar-  
va, praeter vulgaria malignitatis indicia, denunciant, tum no-  
tata semper earundem continitas, quatenus non saltē plu-  
res solito in calore Horas transigunt, ac proinde angustiora  
accessiones inter servant spatia, sed nec unquam quoque ex  
integro detepescunt: plenamque indulgent apyrexiam: tum  
etiam magis magisque semper invalescens paroxysmorum  
anti-

anticipatio, cum paucō & vix sensibili, contra tertianarum morem, occurrente horrore, & quod pālmarium est, pulsus cum celeritate & frequentia perseverans debilitas, cui, auctō per circuitus fervore, proficere magnitudine alias solenne est. Si ergo rebus ita comparatis maculæ prodeant, de genuinarum petechiarum prospacia easdem esse magna utique erit præsumtio, & sic vice versa.

Quid proxime elapso anno mihi in praxi obvenerit, integræ enarrabo fide, judicium perito & in morborum diagnosti exercitato deferens Lectori. Puer scilicet nondum septen-nis, mercatoris huiatis filius, vegetus & semper floridus, te-nerioris licet constitutionis, mense Aprili familiari tunc ter-tiana correptus, ubi, superatis septem ejusdem paroxysmis, primum in duplēm, cum hypochondrii sinistri, citra tu-morem, dolore, mox in subcontinuam, remittentem scili-cet, sed non intermittentem, versa fuisset, læves quidem maculas, sed visu judice petechiis veris quodammodo pro-tuberantiores, lenticulas æquantes, nonnullis a rotunda ea-rum figura recendentibus easque nigras, in cruribus potissi-mum, brachiis, hinc & abdomine sparsim (ultra enim sex-a-ginta harum haud erant) citra graviora symptomata pro-de-entes, exhibuit, quas cum parentes, una cum Medico ordi-nario, sanguine iisdem conjuncto, pro veris habuissent, ca-lida quoque ipsi, expellendi fine, exhibebant alexipharma-ca. Cum autem mox abhinc, gingivas non citra foetorem cruentari, easdem a dentibus denigratis secedere, e nare si-nistra sanguinem pervices stillare animadverterent, territi in-solitis his olim puerο, & aliis ægrotis, petechiarum sympto-matibus, me tandem in auxilium, quarto ab eruptione illa-rum die, sibi adsciscunt. Probe ergo penitatis morbi cir-cumstantijs, dictas illas maculas, pro petechiis mendacibus declaravi, metumque hæmorrhagiae impetuosæ & periculi ancipitis, imminere prædixi, atque mutato regimine nimis æstuo-

æstuoso, pro potu aquam pane tosto correctam, & succo Citri acidulatam, cerevisiæ in locum, qua hactenus æger utebatur, commendavi, simulque liquorem mineralem anod. Hoffm. cum Tinct. antimonii exhibui. Quoniam etiam cæbrius potulenta revomebat, ac tenesmo ad ani usque urgebatur procidentiam, hinc vermes forsitan subesse ratus, clyisma ex lacte vaccino saccharato, injici, hocque rejecto, topica stomacho convenientia applicari jussi. Nocte maxima ex parte insomni transacta, urinaque saturate rubicunda, & mox cum sedimento copioso submucido returbida missa, surgente die sanguis non tam stillare, sed rivuli instar copiose manare; primum quidem sincerus, postea vero serofus, incepit, quem intra suos cancellos continere sub initium quidem distulimus, sed ubi modum excedere vellet, anacollematibus turundisque nasalibus, albumine ovorum, cum albumine subagitato, oblitis, & exhibito succo Citri, cum aqua sclopetaria temperato, admixto simul antimonio diaphoretico, ægre tandem intra horas quinque mitigavi, quo temporis intervallo, adstantium æstimatione, ultra sesqui alteram libram diffluxisse fertur, maculis interea nec evanescitibus, nec quicquam colore mutatis, cruentatione vero gingivarum ab hinc emanente: Circa decimam antemeridianam vomitu, ad quem adhuc inclinabat, paucos sanguinis excussum grumos, quos quidem ex represso per turandas, & devio in stomachum ejusdem fluore, per nares antea prodeunte, proficisci supponebam, sed mox erroris convincebar, ubi quarta post meridiem hora, recrudescente, mitiori licet impetu, serosa naris sinistræ haemorrhagia, paullo post, simultaneo vomitu, me præsente, sanguis loturam carnium referens, interspersis grumis, ad libram dimidiam elidetur, quo facto ægrum totum exsanguem viribusque orbum, analepsit non neglecta possibili, prognostico reliqui, qui etiam mente sibi constantissimus, trihorio abhinc non tam expi-

exspiravit, quam placidissime somno obdormivit perpetuo.

Altera die fugitivo, quia furtivo, cadaveris comperi examine, maculas eadem forma similique numero prostare, corpus nec intumuisse, nec putredinem olere, ventriculum absque rugarum vel villorum vestigio glabrum & eo usque extenuatum, ut potius membranam, quam fibroso carneam quandam æmularetur substantiam: lienem, qui hac ætate rubescere naturaliter consuevit, lividum & atro cruro turgidum, ac proinde quadrangulum potius, quam oblongum, simulque ita friabilem, ut levi dissolveretur contactu: Hepar exsanguis & pallidum: intestina sparsim rubentia, rectum vero lividum; ex jejunio tandem Medicus ordinarius lumbicum duas spithamas longum & adhuc viventem protractit, eundemque ceu necis patratorum non erubuit accusare.

Hunc ego quidem puerum, et si res in utramque partem disputari possit, mendacibus potius, quam veris laborasse petechiis ex eo sustineo, quod toto hoc anno, petechiantes febres ab hac urbe omniq[ue] ejusdem constanter exulaverint vicinia, nemoque domesticorum, vel prolium numerosarum, contagio infectus fuerit, neque tertianæ, licet crebro duplicarentur, similia in aliquo ægrorum produxerint exanthemata, ut dentium nigredinem, gingivarum cruentationem, earundemque ab illis secessionem, ceu petechiis peregrina, reticeam symptomata. Justa equidem est suspicio, febrim lienis inflammatoriam sub typo latitasse tertianæ; sed nec huic veras progignere petechias familiare est. Hujus interim visceris male adfæcti culpa, sinistram tantum narem profudisse sanguinem, vomitumque accessisse cruentum, imo tam præcipitatam mortem, inflammatione scilicet in sphacelum degenerata, demonstratione non indiget. An ceterum mater, in filium hunc humorum ab utero-

traduxerit dyscrasiam occultam, siquidem a pueritia hucusque, quamvis a quo est maritata rarius, fœtentibus narium, ceteroquin sana, vexatur periodicis exulcerationibus: an vero febris demum eam noviter induxit, in suspenso relinquo: prout nec corticis Peruviani cum salibus alcalinis usum, cuius unciam integrum, cum vino & aqua infusam, ex praescripto sui Medici, æger mox ineunte febre, vomitorio praemissso consumserat, tanquam omnis mali scaturiginem accusare, quamvis factum minime adprobem, præsumo.

Dum jam commentatiunculam hanc ad umbilicum ferre perduxeram, iterato recens morbi hujus exemplar, mense Augusto, ceu æstuosissimo anni tempore, nactus sum, quod mantissa loco præmissis subiecto historiis. Diaconi scilicet nostratis filius, nondum ex integro quinquennis, ingluviosus ac propterea ventriosus & corpore obesior, ubi recte valens somno se dedisset, concitata naris dextræ, sub auroram, exfuscatitur hæmorrhagia, simulque per omne corpus, crura vero & abdomen quam uberrime, læves & nigerrimas excludit maculas, quarum nonnullæ lenticulas excedebant, & livore suo illas, quæ a contusione remanent, quasque vulgus *blaue Mähler* vocat, in facie præcipue, mentiebantur exacte, sanguine sincero & florido jugiter ad metidiem usque dimanante, nec parca ejusdem copia, prævio ventris imi dolore, per superius & inferius guttur, alternis demum vicibus, excussa, æger languere, pallescere & sitire occipit, parentes vero, de ulteriore vitalis laticis profusione avertenda solliciti, auxilia conquisiwerant, & præsentaneum in binis aquæ vulnerariæ, sive, pro Gallorum dictione, *sclopetariæ*, cum nitro & antimon. diaphor. mixtæ, dosibus invenerunt, aëtutum enim & constanter hinc omnis sanguinis consopitus est fluor. Altero die post noctem tranquillam & placidam, macularum quidem increvit numerus, sed citra omne febris vel hæmorrhagiæ vestigium, si duplices

ces atras excepero per alvum factas dejectiones, quam proinde totam ludis & cursitationibus, pro more, sani instar, exegit. Pro sanguinis grumosi reliquiis, vel latentibus forsitan vermibus expediendis (ventrem enim sibi dolere aliquantis per subinde referebat) accepit tertio die Rhabarbarum cum mercurio dulci in Syrupo de Cichorio, & novem dejectionibus inde concitatis nigram pariter placidissime excrevit materiam, tanta cum euphoria, ut nullo abhinc amplius remedio indiguerit, sed maculis a quinto morbi die sensim expallescens, & intra septem dierum spatium prorsus evanidis, intermeratam recuperaverit sanitatem, quam ineunte morbo spondere ex eo hæsitabam, quod ante circiter biennium, ex purpuræ cum febre continentis rubræ, atque parotidis dextræ, eo tum subnatæ, palindrome temeraria, primum quidem macie tantopere extabuerit, ut vivum referret skeleton, dein vero anasarca monstrose extumuerit, quoad ex universalis hoc inundationis periculo, crebriori inter alia Tincturæ Cantharidum cum æquali portione Ess. cathart. remixta usu, salvus emerget. Memorabile fuit, gingivas, et si ex consilio durius perfricatas, nihil unquam cruentis plorasse, forte quod sanguis orgasticus, facilem & paulam per nares & intestina habuerit viam.

Ubi vix idem revalisset puer, ecce mense eodem sororcula ejus sesqui alterius anni, neandum a matris depulsa uberibus, ex improviso maculis primum rubris, dein livescentibus, citra ullam haemorrhagiam vel febrim, nisi quod fugaciter paululum in caluerit, conspergitur, quibus, sub constanti orthostadia, intra septem dies disparentibus, sospes persistit, manifesto documento, petechias hujusmodi mendaces, ut ab aliis etiam observatum est, absque haemorrhagiarum aliquando efflorescere comitatu,

OBSE<sup>R</sup>VATIO XXII.

Dn. D. JOANN. ADAMI RAYMANNI.

De

*Anginæ in pulmonum inflammationem metaptosi.*

Inter morborum crises, quas abscessu per effluxionem & depositionem absolvit constat, HIPPOCRATES eorundem quoque metaptoes, sive in alias transitus, non injuria Lib. de Affect. Edit. Foësianæ, pag. 518. connumerat, siquidem ad posterius earundem genus pertineant, vicesque harum gerant. Subeunt namque metaptosin morbi tunc maxime, quando eorundem causa materialis, derelicta, quam prius occupaverat, sede, alio atque alio transfertur, hacque ratione, a quiete & vacatione primigenii morbi, alter succedit recenter. Contra si eadem in foco suo superstes & fixa, per propagem & consensum, partes alias in societatem & consortium mali abripiat, ac proinde morbus morbo velut auetarium accedat, *epigenesis* sive *superuentio* dicitur. Quandoquidem autem celebris hæc quondam HIPPOCRATI, GALENO Medicisque coævis metaptoeos doctrina, obrepente, temporis successu, posteriorum, naturæ investigandi opera, fastidio & incuria, usque adeo in desuetudinem venierit, & pene oblitterata fuerit, ut quo recentiores sunt morborum Historiographi, eo rariora illius exhibeant paradigmita: Idcirco pro refricanda ejusdem memoria, simulque demonstranda, non tam argumentis, quid nempe fieri possit, quam potius rerum documentis, quid re ipsa fiat, existentia, singulare anginæ in Peripnevmoniam transeuntis producam specimen.

Concivis & Pellio Kesmarkiensis, vir circiter quadragenarius, laudabilis & floridi corporis habitus, dum ad solennes

nes Debrecinensium, pro more suo, ante biennium, mense Augusto proficisceretur nundinas, accensamque tempestatis fervore sitim repetita frigidæ ingurgitatione restinguere moliretur, leviorem anginam, deglutiendi scilicet saltem, non vero respirandi simul difficultate comitata, contraxit, cuius tumorem cum augescere & ad maxillarum sinistram diffundi animadverteret, transeunter in nostro substitit suburbio, nec alia ratione, nisi impetuosis & frequentioribus in fauces per syringam, opera Chirurgi, injectionibus, sibi consulere voluit. Post superatas afflictiones morbi triduanas, voti equidem potiri videbatur, ubi omnis in faucibus, maxilla & collo sinistro adparens & tractabilis cum rubore tumor, concubia nocte subito, deglutiendi simul restituta libertate, discederet; sed quam seditiosa, graviorisque tempestatis prænuncia, tranquillitas hæc morbi inopina fuerit, eventus docuit. Mox enim abhinc noviter incensa febri, dyspnœa ignotaque haec tenus pectoris successit oppressio, unde æger de securitate prosequendi iter suscepimus diffidens, in consilium & auxilium me provocavit. Cum ergo anguem, ut ajunt, in herba latere, & Peripnevmoniam ancipitis periculi, anginæ nimirum succedaneam, in procinctu esse præviderem, imminuto, citra moram, incisa mediana sinistra, sanguine, quem cito alba & tenaci superficietenus crusta obductum fuisse deprehendi, alvum, per triduum jam obstructam, oleo amygdalarum, mercurio dulci, paucisque diagryd. sulph. granis exsolvi, subductisque excrementis figuratis, corpus perspirabile reddere, tam calida infusorum sorbitione, quam & Mixturæ ex aqu. flor. Sambuci, Scordii, Eff. Pimpinell. alb. nitro, antimon. diaph. & syr. acetof. Citri compositæ, crebriore exhibitione, allaboravi. Altero die non falsam fuisse, quam conceperam, suspicionem, invitus experiebar; æger enim, nocte insomni transacta, febre crescente, urina aquescente, tussique sicca & inani vexari, ac tantopere in pectore gra-

vari incepit, ut supinum vix tolerare potuerit decubitus, sed spiritum sedendo cogeretur ducere. Quibus exploratis, illico furis utrisque applicari vesicatoria, sinistrum, quem sub tussi sibi dolere conquerebatur, thoracem spiritu Serpilli camphorato & crocato inungi, sacculos discutientes siccios desuper imponi, pectorale decoctum calidum crebrius sorbillare, & pulverem antispasmod. cum bezoardico, specif. cephal. Mich. camphoræque tantillo, interdum sumere ægro injunxi; ast omnis hæc officiositas incassum proh dolor! cecidit, siquidem sequente statim die spirationem brevem, elatam & sonoram reddi, vires magis magisque fatiscere, mentem leviter turbari, sub noctem, extremis, cum pulsu parvo, inæquali & creberrimo, perfrigeratis, corpus sudore colliquescere frigido, adeoque mortem jam jam pulsare limina, comperi, qua etiam illucentie die, exactis septem, non a metastasi, sed anginæ origine, diebus, defunctus est.

Jam quemadmodum huncce ægrum Peripnevmoniæ, in sphacelum degeneranti, tam præcipitanter succubuisse, novissima symptomata liquido docent; ita eandem non per successionem, sed anginæ metastasi venisse, nulla est dubitatio: neque enim huic superstiti illa accessit, conjunctimque affixit, ut in Cynanche exquisita, strangulatu æque acretæ cervicis spiratione molesta, fieri assolet, in qua utope fistulam spiritalem, una cum capite, appensisque eidem pulmonibus, simul inflammari, Medicis per extispicia innovuit: sed in vicem discedentis, imo metastasi ad pulmones jam prorsus abolitæ anginæ, demum successit. Cum autem subita ejusdem cum faucium æqualitate, deglutitionis que simul restituta integritate abitio, omnem, ut resolutionis, ita etiam suppurationis excludat opinionem, dum illa non confestim, sed pedetentim, moleculis liberum fluidorum transitum intercipientibus coagulatis, continuato sanguinis per afflictas partes celeriori progressu sensim discerp-

tis,

tis, absolvitur, statimque inflammatoriam radicibus & secure, citra malum alicujus, secus ac hic evenit, subsequentem accessum, tollit; hæc autem, ruptæ & repurgatæ vomicæ reliquisset vestigia: Ideo anginam in occultum, ut cum MESSUE loquar, hic raptam fuisse oportet, gangrænæ enim vel scirri ne umbra quidem suspicionis adparet, quibus tamen totidem modis terminari quibuslibet inflammationibus commune est. Exinde ipse etiam HIPPOCRATES passim, speciatim vero *Lib. Prænot.* p. 45, eadem hac ratione colligendo, futuras anginosarum metastasium tempestates, tanquam ex specula, prospexit: Si nempe faucium tumores & rubores dispareant, intellige *subito & derepente*, non successiva diaphoresi, extra dies judiciales, adeoque præter naturæ ordinem, & quidem sine signo & crisi propria, facili scilicet & indolente *sputi purulenti*, sive, ut 371. *Coac.* exprimit, *coti*, exscreatione, ceu resolutionis indicio, & citra tuberculi suppurationem, vel erysipelatis recentem in cervice & sternno eruptionem, non per epigenesin & progressum illuc ex faucibus, sed diadochen, sive materiæ morbiferæ, forticontraintione naturæ, cum libertate meatuum & humore meabili, ab interioribus foras, hoc est, ex faucibus in cervicis viciniā transpositum, prognatum, utpote qua plurimos anginarum defungi periculis passim inculcat; atque si insuper æger facile ac sine dolore se habere videatur, humor enim morbificus, ubi, faucibus derelictis, alio contendit, his nec amplius molestus esse, nec priusquam alibi deponatur, corpus novis lacestere potest cruciatibus: tum, inquam, propter consequentem anginæ ad interiora factam metastasin, futuram indicat mortem. Quorsum autem eadem commigraverit, alterius morbi successio, & signa partis oppressæ noviter adparentia, denunciant. Ita si morbus, sedatis dolore & tumore in faucibus, ad pulmones versus fuerit, febris, & lateris insuper confessim acedit dolor, juxta p. 470. 2. de *morbis,*

*morbis*, tunc dementiam, peripnevmonicis haud insolitam, ut in *Prænotionibus* observat, aliquando infert. Anginosum vero erysipelas intro vergere, indicium est, si evanescente rubore pectus gravatur, & æger spiritum difficilius trahit, ut 366. *Coac.* inquit; qua declaratione fidelissimus *Præceptor* discipulos suos ad ineundam morbi, vel male recurrentis, vel resolutione optato discedentis discretionem, procul dubio manu quasi ducere voluit, siquidem hoc in casu pectori sua manet illibata respirandi libertas, in illo vero contrarium usu venit. Quam cum morbi vicissitudinem æger noster expertus fuerit, anginam illius in pulmones translatam fuisse, nemo, ut opinor, in controversiam ducet.

Adeo clandestina interim & insidiosa est hæc palindrome, ut ubi ægri, insperato sublatis anginæ molestii, se jam tenere arbitrantur portum, ibi vitæ faciant naufragium, quemadmodum militi apud HEURNIUM *Commentar.* in *Hippocr. Sæt. V. Aphor. 10.* accidit robustissimo, qui gravilaborans angina, postquam ea in peripnevmoniam abiisset, rogabat ex Medicis, quid jam concepissent spei, se enim calamitate illa defunctum esse: responsum, parum id sibi placere; jussit ergo 12. ova coqui, quibus devoratis eadem periit die. Imo ORIBASIUS, referente in dicti *Aphor. Commentario BRASSAVOLO*, annotavit, ignaros quoque Medicos, credere ægros anginæ jam effugisse discriminem, quos docti in grandius, propter illius in pulmones descensum, incidisse cognoscunt. Quam pernicialis enim anginarum hæc utplurimum sit metaprosis, nemo quisquam, venerabili nostro sene, longo morborum usu, præside ingenii sagacitate incomparabili exercito, (quæ utraque conquirendæ scientiæ medico-practicæ probatissima sunt adminicula & instrumenta) perspexit accuratius. Sic autem primum compendiose *Sæt. V. Aph. 10.* pronunciat: *Qui anginam effugiunt, id est citæ ex ea mortis defunguntur periculo,* *iis in*

in pulmonem vertitur, & intra dies septem intereunt, quos si evaserint, suppurati fiunt: quod dein fusius 367. Coac. explicat, dum ait: *Quibus angina ad pulmones divertit, partim quidem intra septem dies pereunt, partim vero liberati pus intro colligunt, nisi pituitosa sursum educantur, hoc est, resolutio inflammationis interveniat.* Tandem fusius id Lib. 2. de morbis p. 470. dilucidat, si angina, inquiens, ad pulmonem versa fuerit, plerumque moritur æger (ex sphacelo scilicet pulmonum, in quem omnis vehementior & pepasmi expers inflammatio natura sua fatiscit); quodsi, pergit, quinque effugerit dies, purulentus evadit (inflammatione in suppurationem conversa), nisi ipsum confessim tussis corripuerit, qua exscreato & repurgato sputo (per resolutionem staseos intercedentem) convalescit. Quamvis autem doctissimus DURETUS in 367. Coac. expositione, anacatharsin salutarem vix esse sperabilem pronunciet, parte nempe adfecta ab humore, qui propriæ substantiæ corruptione in vitio est, labefactata, MARTIANUS tamen in eadem Coacarum *Commentatione*, non tam assentatione, quam potius assensione & illustris ægri exemplo convictus, Præceptoris tuetur sententiam, quem utpote ex angina ad pulmones transposita, nec obiisse, nec purulentum redditum fuisse, sed per copiosam materiæ pituitosæ exscreationem superstitem manasse vidit, quamvis parotides insuper, sed jam sano, succeſſerint & suppuraverint. Quo forte respexit CELSUS, dum Lib. II. Cap. VII. si angina, inquit, subito finita est, in pulmonem id malum transit, & intra diem septimum occidit, quod nisi incidat, sequitur ut aliqua parte suppuret; parotidibus namque, aut crurum fistulatis tuberculis, pulmoniacos ab interitu quandoque vindicari Hippocraticum est dogma. Sed, utrum pulmone suppurato, vitæ salus sperari possit, dubitanter 365. Coac. quæritur, vix enim aliqua aut certe nimium angusta spes restat, ut natura his se expediat diffi-

cultatibus, partim quod priusquam inflammatio in suppurationem convertatur, sphacelus & mors plerumque interveniat, partim quod efferi humores citius computrescant, quam in pus laudabile abeant. Hinc rotunde & explicite *I. de Morbis p. 453.* enunciat, nullam spem dari ægrum superesse posse, si quodvis erysipelas extra diffusum introvertatur, pulmonemque prehendat, sed brevi potius, putrido ac purulento pulmone reddito, peritulum esse, nisi duobus, tribus aut ad summum quatuor diebus (priusquam scilicet is pus conceperit) diffusum fuerit, & quod intus est, foras transierit, sic enim plerumque, inquit, *sanus evadit.*

Quod autem Peripneymonia secundaria, anginæ nimurum succedanea, præceps magis, si non in exitium, tamen in suppurationem ruat, (peripnevmoniam enim inducias diem quatuordecim, imo & quandoque longiores, nisi mors præveniat, concedere, ex HIPPOCRATE constat) mirari haud licet: In pulmonem namque translatam materiam, ceu incendii febrilis & restagnationis circa fauces labe jam inquinatam, non ita facile subigi, resolvi & eliminari posse, sicuti de inquilina, in pulmonibus inflammatis recenter genita, illud possibile est, facile a priori per rationem constat, indeque etiam illius decursus brevior, quam hujus, esse solet, si nempe lethalem præcipue fortitur eventum. Termini vitæ, quos HIPPOCRATES diversos præfixit, facile, præeunte MARTIANO, conciliabuntur, si eundem modo ab anginæ exordio, modo ab illius in Peripnevmoniam transitu, numerum iniisse dixerimus, quamquam nec una eademque semper & omnes fors maneat. Dignissimus enim BOERHAAVII discipulus, Illustr. van SWIETEN, in *Aphorismorum ejusdem 809.* Commentario testatur, se non saltet saepius anginarum in pulmonum metaptoeses observasse, dum subito evanescenti in faucibus dolori, in pectore stertor, modo cum lateris puncturis & summe difficiili redita

## *De Anginæ in pulmōnum inflammationem &c.* III

dita respiratione, modo citra hæc, successit, sed plurimos etiam, quos tractavit, tertio, quarto, vel quinto die, adhibitis licet in tempore remediis efficacissimis, periisse, paucis admodum, idque non nisi cum multa molestia, servatis. Imo ipse HIPPOCRATES Polemarchi uxorem, ex simili anginæ transpositione, cum nimirum sublatam faucium suffocationem difficilis & sonora exciperet respiratio, septima aut nona die mortuam fuisse *s. Epid. Hist. 62.* narrat.

Quamvis de reliquo anginosa materies interdum ad hypochondriorum quoque viscera, & præcipue Hepar, juxta 374. *Coac.* & experientiam laudati *van SWIETEN*, transferatur, imo caput aliquando impetat, ut idem ex eo prætendit, quod anginosam mulierem, evanescente quinto die dolore faicum, & illico cephalalgia, cum ardoris sensu, succedente, qui nequidem pressionem pulvinaris tolerans, omnem denegabat decubitum, intra biduum periisse viderit. In angina namque, absque ulla crisi in capite se se exserentes cum febre dolores, quos ceu perniciosos 372. *Coac.* damnat Præceptor, noni transpositionis ejusmodi, sed propagationis exemplar sunt: unde significanter & suo pro genio emphaticè dixit *in*, non *ex* angina, & quidem absque ulla significatione in caput eos prorepere, hoc est, anginæ sine ullo levationis signo superstiti, adeoque pari, ac prius, dolore molestæ, eosdem super accedere, non vero in locum evanidæ succedere. Omnim tamen frequentissime ad pulmones commigrare affoleret, quare etiani sagacissimus alias DURETUS, hanc unicam anginarum dari metaptozin falso sibi persuaserat: cuius singularitatis hanc potissimum causam esse arbitror, quod congestoria humorum in faucibus stasis, per venas reduces in massam sanguinis delata, & cum hoc per cavam superiorem in cordis ventriculum dextrum corviata, nonnisi trajectis pulmonum anfractibus, in corpus

pus universum dispensari queat, atque toties publicum hunc progressum subire debeat, quoties absoluto vitali circulo noviter in orbem circumagenda est: quibus proinde, prægressa in faucibus restagnatione, spissitudinis & immeabilitatis contractum vitium, primum & eo promptius affricat, quo minus nondum satis subacta, nec sanguini intime remixta, (pro more chyli, quem, facta paucis a pastu horis venæsecione, eidem supernatare non insolens est) ultimos arteriæ pulmonaris fines inoffenso cursu superare potis est, hincque subsistens in pulmonibus magis magisque acervatur. Hæc etiam ratio est, cur omnem exanthematum, tuberculorum, & quorumvis tumorum palindromen, dyspnœa plus minus gravis, semper presso, ut ajunt, pede excipiat. Nemo interim inde offendatur, quod recitatæ HIPPOCRATIS prognosēs Cynanchen in specie pro objēcto habent, indifferenter namque eundem, citra nominum deletum, (quem posteri, dictionis ad pompam magis, quam utilitatem comparatæ aucupio, nimis curiose excogitaverant,) hac voce usum fuisse, ut iam olim recognovit GALENUS, extra controversiam est.

Sed stationarios & respective quietos alibi humores, in venas & sanguinem resumi, atque cum hoc alio atque alio transferri, plura adhuc suppetunt documenta. In vulgus quippe notum est, quævis exanthemata, sive cum febre, sive citra hanc exclusa, rubores etiam & tumores erysipelaceos, ut clam & subito retrocedere, ita vicissim repullulare: grandiores item ecchymoses, sive sanguinis per contusionem extravasationes, nec non perniones, & conclusas in vesicis, per combustionem vel ambulationes longas in pedibus genitis, serositates, remeare in venas. Usu insuper & experientia Medicis constat, conquiscentem unius tonsillæ inflammationem transire in alteram: Anginæ minui periculum, si rubor in pectori prodeat, adeoque foras se conver-

tat

tat morbus (vid. *Sept. VII. Aphorism. 49.*) : inflammationem pulmonis, fistulosis crurum abscessibus exsolvi 396. *Coac.* varices crurum, vel longam dysenteriam gibberorum lumbarium, a tuberculo humorumque ibidem collectione oriundorum, libertatem adferre, *Lib. de Art. p. 806.* Imo cruentrem extra vasa, in cavitatem thoracis, ex vulnere in illam penetrante, compluendo accumulatum, per mihtum, *AQUA PENDENTIS* testimonio, secedere: ut ad Empyema-tum, aquarum hydropicarum expurgationes per alvum & vesicam, arthriticorum, œdematosorum, vel magna item vulnera comitantium, tumorum; parotidum porro & bubo-num retrocessiones temerarias, pluraque practica hujus generis experimenta, non provocem. Quæ cuncta, dari in corporis vivi œconomia resorbitiōnem humorum, palam demonstrant, quam ipse jam olim HIPPOCRATES perspexit & *Lib. de Art. p. 805.* indicavit, auris enim suppurationem celeriter incidere ex eo dissuadet principio, quod multa, inquit, ex his, quæ suppurari videntur, quandoque resorbeantur, cum scilicet materia inflammationis, pepasmo, priusquam genuini puris adipiscatur naturam, ita meabilis redditur, ut a bibulis sorberi venis, atque per eas torrenti vitali tradi, cum hoc undiquaque circumfluendo, ad cuncta corporis adpellere secretoria, ibidemque sequestrata, tandem eliminari possit. Unde est, quod, ut naturæ peritissimus HIPPOCRATES multis didicit experimentis, urina crassa & multa, in omni stasi systrophica, futuræ suppurationis vindex sit, parotidumque retrocedentium noxæ, per largas multi sedimenti urinas, vel biliosum alvi profluviū, salutariter intercipiantur: quorum hoc in purpuratis infantum præcipue febris, frequenter observavi, quibus utpote si rubra cutis absque crisi dispareant exanthemata, circa aures tuberculæ excludere familiarissimum est, quæ si absque suppuratione retrograda fiant, in posturam & collusionem in ægri signifi-

cant necem, nisi vel postliminio repullulent, vel ad vesicam aut alvum convertantur.

Omnem ergo anginæ in pulmones transitum, ut id pro observationis adjiciam coronide, pro solo puris in hos per guttur prolapsu, cum LINDANO interpretari, quo FORESTUM quoque, experientissimum alias Præticum, inclinas- se, ejusdem Lib. XV. Obs. 24. persuadet, non optimum, ut ETTMÜLLERO quandam visum est, sed tam a veritate, quam & mente HIPPOTRATIS potissimum, alienissimum est. Contra indolem namque anginæ laryngis, quam supponit LINDANUS, est, eo usque adolescere, ut pus concipiatur, sed nisi resolvatur, confessum strangulat: vel si forte requisitas concederit inducias, ex puris tamen in trachæam descensu præsens potius suffocatio, quam Peripneumonia, impenderet. Anginosis interim puris dari aliquando metastases (communiter enim prorumpit in fauces,) non diffi- teor, imo HIPPOCRATEM easdem 375. Coac. exposuisse o- pinor, dum inquit: *In angina laborantibus, absque ulla signi- ficatione gracilescitibus faucibus, dolor intensus ad pectus aut, (ut alii legunt) & ad alvum progressus, purulentas de- jectiones facit: alioquin autem tale quid solutionem præ se fert. Fauces scilicet si in angina, pharyngis præcipue, sine signo resolutionis, vel ad cervicem & sternum foras trans- missionis, adeoque immerito gracilescant, ut sit remittente, confecta pure, inflammatione, pectoris & ventris accedens dolor, ob puris, abscessu rupto, maxima ex parte in stoma- chum per gulam, aliqua vero per glottidem in pulmonum canales (secus enim illico præfocaret descensu) purulentas facit excretiones, hoc est, pus eo transpositum per vomitum, alvum, & sputa vacuabitur; diachorisis enim nomen, quod originalis adhibet Textus, non alvi saltēm dejectiones, sed promiscue quasvis saepe excretiones significat, quibus angi- næ interim exsolvuntur & terminantur. Et hancce meam para-*

paraphrasin, si forte non conceptui HIPPOCRATIS, experientiæ tamen consonam, inter alia FORESTI, ad quam paulo ante provocaveram, illustrat & confirmat observatio.

Utrum postremo humores in hoc ægro, intra fauces intercepti proprio in pulmones transilierint impetu, vel crebriori injectionum cum syringa impetu sedibus suis depulsi fuerint, jam non disquiram: suspicione minimum justa non caret, eosdem, provocata intensiori fibrarum in faucibus strictura, Naturam in transversum egisse, pari fere modo, ac in cachecticis, si forte tertiana accesserit, per illius rigores, sive superficiales cutis spasmos, inveterata œdemata interdum reprimi, & periculoso cum eventu ad pulmones transponi contingit. Ejusmodi anginæ quatriduanæ restrictionem, ex Essent. Pimpinell. alb. saccharo auctiori dosi excepta, & post gargarismatis injectionem in ore detenta, prognatam fuisse doctiss. SCHUSTERUS *Act. N. C. Vol. VII. Obs. 49.* refert, cuius subitaneam retroactionem, restaurata simul solida æque ac fluida deglutiendi potentia, quamvis graviores exempli spasmодico-lipothymici, summa præcordiorum stipati anxietate, exceperint paroxysmi, prodeunte tamen purpura & menstruis ex ordine redeuntibus, materia nimirum anginæ in pulmonibus nequaquam consistente, sed partim ad summitatem corporis transposita, partim per uterus evacuata, rariori fortuna ex scopolis his enavigavit hæc ægra.

(Eperieso Halam missæ, d. 15. Februar. 1748.)

## OBSERVATIO XXIII.

Dn. D. FRANC. ERNEST. BRÜCKMANNI.

*Petrefactum singulare & curiosum, dentem seu palatum piscis Ostracionis referens.*

In Epistola mea itineraria LXIV. Ann. 1737. Lithophilis curiosis lapidem quendam figuratum, Tab. V. Fig. 3. iterum delineatum, ad indagandum exhibui, addita brevi descriptione, quod nempe sit lapis Musei mei figuratus, rarissimus, forsan quoque unicus sui generis, qualem nullib[us] in ullo unquam haec tenus Museo curioso, etiam si instructissimo, conspicere mihi licuerit; quod ratione coloris flavescentis, in uno latere laevis, quasi a natura politus, rugosus, & papillulis ad latera undique obsitus, in altero vero inæqualis magis & brunnuis sit, incertæ simul pattiæ. Addeci porro, plane me latere, aut sit insectum marinum petrefactum? an non rectius palatum integrum vel dens molaris piscis cuiusdam majoris marini, nullibi haec tenus, quantum quidem tunc constabat, delineati? Concretum hocce lapideum jure hæreditatis in meum transferat lithophylacium, nemo vero haec tenus, decennio & ultra jam elapso, nomen lapidis & ejus originem, itemque patriam cum loco natali, indicare potuit. Tandem præterito mense Jānuario anni curr. Excellentiss. Dn. Emanuel Gottl. Harrer, Reipublicæ Ratisbonensis Consiliarius & Senator, similem lapidem, cuius effigiem Tab. V. Fig. 4. fistit, sub nomine dentis Ostracionis petrefacti, ad pagum Kneiting, non procul Ratisbona, cum glossopetris minoribus flavis inventi, gratiose ad me misit. Ex litteris Ejusdem sequentia addere placet: „Offero „ Tibi hic petrefactum, me judece, certe rarissimum, & quan- „ tum.

„ tum constat, a nemine, nisi a Te, Vir Prænobilissime,  
„ modo delineatum & breviter saltem descriptum. Fortu-  
„ na favente, nuper adeo originem laudati corporis petre-  
„ facti paulo penitus detexi. Cogitationes meas super  
„ hoc concreto officiose hic Tecum communicabo. Patria  
„ hic in lapidina Kneitingensi existit; in hac, licet rarius,  
„ haec petrefacta cum glossopetris, dentibus lupi marini &  
„ aliorum piscium dentibus lapidefactis, quorum jam alia-  
„ vice exemplaria quædam ad Te dedi, inveniuntur. De-  
„ scriptio Tua, quam in jam citata dedisti Epistola, cum no-  
„ stro concreto accurate coincidit. Non dubito, quin ex-  
„emplar Tuum ibidem Fig. V. exhibitum, æque dictam la-  
„ picidinam pro loco inventionis agnoscat; juxta figuram  
„ vero Tuum exemplar unum ex maximis existit, reliqua  
„ enim hic inventa paulo minora, quandoque etiam paulo  
„ elatiora deprehenduntur. Olim hoc petrefactum retuli-  
„ ad piscium dentes, quos LUIDIUS Anglus, in *Lithophy-  
„ lacio Britann.* Class. X. Caps. 20. & Tab. X. sub nomine,  
„ *Siliquastri*, delineavit, & quos WOODWARDUS, æ-  
„ que natione Anglus, in Libro, cui titulus: *Fossils of all  
„ Kinds dissected into a Method*, Epist. II. p. 14. distinctius  
„ paulo explicavit, & quorum quoque peculiaria specimi-  
„ na in Ephemeridibus Academ. Regiæ Scientiarum Parisinæ  
„ hinc & inde notantur. Sed obviam mihi factus piscis ma-  
„ jor Brasilianus, 17. pollices; seu uncias Rhenanas, longus,  
„ & 14. cum dimidia proxime ad caput, in regione, qua-  
„ duæ pinnæ prostant, in circumferentia crassus, totus un-  
„ dique spinis obsitus, exsiccatus & infarctus. Caput ejus-  
„ dem magis compressum, quam rotundum. Palpebrae  
„ præminentibus; orbitæ oculorum ovales & satis magnæ;  
„ os ranarum ori simile; aculei, quibus totus horridus ac  
„ superstratus, supra nasum versus anteriora inclinant; in  
„ capite in altum erecti visebantur; in qualibet palpebra

„ quatuor supra, & quatuor infra numerantur ; reliqui in  
 „ abdomine ac dorso, quippe qui in lateribus præcipue om-  
 „ nium longissimi, immediate cutim tegunt ; circa eandem,  
 „ minores facti, plane evanescunt, ita ut spatio duarum un-  
 „ ciarum a caudæ pinna sat rariores, hinc & inde modo u-  
 „ nicus, obseruentur. Quod ad aculeorum substantiam at-  
 „ tinet, sunt satis acuti, inflexiles, & ad basin, qua parte cor-  
 „ tici vel corio sunt implantati, duabus radicibus, triangu-  
 „ lum quasi constituentibus, firmati. Pone caput, ante duas  
 „ pinnas, unciam unam cum dimidia longas, in utroque  
 „ piscis latere, uti in reliquis hujus generis piscibus, duo ob-  
 „ longa foramina notantur. Duabus unciis a caudæ pinna,  
 „ alia pinna in dorso, & iterum alia in abdomine, priori è  
 „ diametro obversa, parum tamen major, videnda. Piscis  
 „ hic, breviter sic consignatus, uti judico, ad *Orbes* pertinet,  
 „ & certe est idem cum CLUSII *Exoticor.* Lib. VI. Exp.  
 „ 21. sub nomine *Hystricis*, & ex dicto Auctore desumptus  
 „ WILLLOUGHBEY *Ichtyol.* §. 8. p. 146. item KLEINII in  
 „ *Miss. III. Piscium* p. 20. Num. 13. sub nomine *Crayracio-*  
 „ *nis oblongo-rotundi*, ore producto, diametri trium un-  
 „ cialium, bidentulo, superciliis elatis, spinis undique hor-  
 „ ridi, nec non ARTEDI in *Gener. Piscium* Num. 19. p. 60,  
 „ & *Synonym. Pisc.* Num. 21. p. 86, sub nomine *Ostracio-*  
 „ *nis conico-oblongi*, aculeis undique densis, basi trique-  
 „ tris, &c. Cum pisce horum Auctorum noster in totum  
 „ convenit, nisi quod exsiccatus colorem perdiderit, nec  
 „ puncta nigra amplius obseryanda sint, quippe exsiccatus  
 „ colorem ex brunno-viridem in dorso, in abdomine vero  
 „ similagineum exhibet. Os piscis, in diametro tres uncias  
 „ habens, angulum acutum trianguli præbet, ex duobus  
 „ modo ossibus, maxilla nempe superiore & inferiore, con-  
 „ stat ; bina ossa in margine parum elata, satis dura, parum  
 „ acuta, hinc ac inde acute-crenata, dubio procul, quo  
 „ , piscis

„ piscis semel captam prædam eo tenacius in ore retinere  
„ queat. In binarum maxillarum media parte magnus,  
„ magis quadratus, quam rotundus, dens observatur; hujus  
„ anterior & planior pars versus oris apicem, posterior ve-  
„ ro gulam versus vergit. Dens ipse fornicatus, in superio-  
„ ri parte rugis, per transversum currentibus, instructus,  
„ extra maxillam tantum parte sua elatiōri fornicata pro-  
„ minet. „

Hic in ore istius piscis repertus ac delineatus dens omni ex parte convenit cum meo petrefacto, &c, si non ex hac piscium specie desumptus fuerit, tamen certe ex alia, cum Ostracionis bidentuli plures dentes dentur species: WILLOUGHBEY enim XVII, ejusdem descripsit; ARTEDI in *Generibus piscium* novem enumerat, quemadmodum etiam celeberr. Dn. KLEINIUS in cit. *Miss. III.* varias allegat; ipse quoque ego duas in Museo meo adservo species, sed proh dolor! mandibulis destitutas. Credo firmiter, unam & alteram Ostracionum speciem eundem dentem in maxilla gerere, idque eo magis, cum WOODWARDUS l. c. talem dentem hoc piscium genus in palato gerere affirmaverit. Quod autem petrefactum illud sic palatum vel dens cuiusdam pisces, de eo vel exinde nullum superest dubium, cum inter glossopetas & aliorum piscium dentes in nominata occurrat lapidicina, in quam aquæ diluviales probabiliter pisces & horum partes cum aliis animalibus marinis transtulerunt.

Figura ergo I. Tab. VI. sistit integrum exsiccatum pisces.

Fig. 2. maxillam inferiorem, quæ extrahí potuit.

Fig. 3. maxillam superiorem, & quidem utramque harum in magnitudine naturali, ubi a dentem ipsum in specie, b vero marginem maxillarum denotat.

Fig.

Fig. 4. tandem ipsum dentem exemptum petrefactum, admodum fornicatum exhibet.

(*Guelpherbyto Halam missa d. 26. Februar. 1748.*)

## OBSEERVATIO XXIV.

Dn. D. GEORG. FRIDER. MOHR.

*Specimen Historiae naturalis subterraneæ agri  
Giengensis ejusque viciniae.*

In sesquicentum camporum sylvarumque circiter spatiis, ad plus quam triginta oppida, pagos villasque pertinentibus, ultra quingentas, quas detegi & collegi, fossilium varietates historice & physice magno animi ardore conscribere quidem incepi; oblatis vero mihi, præter spem & exspectationem, in aliis quoque locis, compluribus adhuc aliis, multitudine ac varietate insignibus petrefactis, & indidem adhuc pluribus obvenientibus, ulterius hasce observationes & perscrutationes continuare mecum constitui, initium tamen jam, suasu & hortatu quorundam Fautorum, cum recensione eorum facturus, quæ circa monticulum felinum, in fossa circa urbem Giengam ducta, cui ædicula custodis portæ Heydenheimensis superstructa est, inveniuntur.

Hic monticulus spectat septentrionalem urbis regionem; ipse vero tractus, e quo tam varia protrahuntur petrefacta, versus meridiem patet, versusque radices speculæ & carceris illius in fastigio hujus urbis conspicui, ubi rudera sic dictæ *Arcis antiquæ*, jam dudum dirutæ, quam Comites de *Heffenstein*, civitatis hujus quondam Domini, inhababant, obvia sunt.

Nomen autem istud hic monticulus non a felibus obtinuit, sed ab Idolo Cimbrorum, quod felis figuram rebat,

rebat, & hic loci astolidis paganis olim colebatur religiose; quemadmodum etiam Arx illa ruinosa in Comitatu Oettingensi, agro Giengensi vicino, *Katzenstein* dicta, simile delubrum fuisse dicitur.

Latus ergo meridionale illius monticuli conflatum esse videtur ex fäxo calcario, mediocris magnitudinis, coloris cæsi, illiusque quidem frustulis apparentibus deformibus, quæ interjecta terra argillaceo-margacea & arenosa in unam quasi massam concreta, murum natura productum repræsentant; cuius vero materies aëri exposita injuria tempestatum tam friabilis facta est, (quod *verwittern* vocant Mineralogi) ut pueri, lusus gratia hic convenientes, partim cultris ordinariis, partim vero solis digitis, pulverulentis illis ruinis inhærentia petrefacta effodere & colligere valent.

Sunt autem ea omnino friabilia, & facile destruenda, unde pauca specimina integra haberi possunt. Colorem ex albo cæsi, quem ex argilla superinducta natæ sunt, de reliquo per totam suam substantiam perpetuo repræsentant. Ex hac ratione stricte loquendo haud *petrefacta* dici possunt, quippe sale margaceo seu calcareo imprægnata, insuperque, qua indolem nativam, in secula conservata sunt.

Quicquid igitur de ipsis marino-terrestribus concretis figuratis effoditur, id ipsum olim fuerunt, quod jam in forma repræsentant lapidea, ut ut friabiliori; sicut ossa in cæmeterio pro reliquiis viventium olim hominum habentur. Certe nil aliud, quam ipsum mare ejusque fundus talia conchyliorum ac coralliorum genera semper producit, unde ista corpora non nisi ipsius fluctibus in terram habitabilem potuerunt deferri, sive hoc factum fuerit diluvio universalis, sive quodam particulari, in quibusdam regionibus, sive ante diluvium mare fuerit in illa parte globi nostri, ubi nunc terra est. Sufficit, ejusmodi corpora, tanquam vera marina,

præsentiam maris quondam satis probare, ubi jam inveniuntur, quocunque etiam tempore talis nostræ telluris fuerit facies.

Theca ista lapidea, extus deformis, intus vero ad *angustas* mathematicam, tanquam adæquatissimus modiolus vel ectypus undiquaque circumvolutus, contentis suis figuris respondens, evidenter loquitur, se prius fuisse mollem, seu limum, dum alio modo solida aliis solidis haud jungi possunt, nisi continens, ob mollitatem præviā sufficientem, a contento impressionem recipiat. Species deinde contentum tanquam nativitate solidum corpus, ut ipsam concham, ab animali molli carnoſo olim inhabitatam, quod una cum domicilio nativo & indumento novo limoso superaddito in lapideam sensim sensimque duritiem, postquam mare, quocunque fuerit tempore, vel casu, vel ratione, suam fedem relinques, siccum deseruit fundum.

Jam scire licet, quod, sicut petrefacta marino-terrestria monticuli modo dicti felini Giengensis, duris lapidibus adhaerentia, vel lapideæ farragini, in calcem defatigenti, immersa ac obruta, occurrunt: ita alijs in locis Giengæ vicinis lithophyta supereffe, ipsa quidem illibata structura, in achatinum lapidem conversa, ubique tamen argillæ subtilissimæ pingui figulinæ immersa, adeo, ut cavitates quoque majores lithophytorum illorum, ut Madreporarum, Favaginarum, &c. eadem argilla farcta appareant.

In hisce ergo speciminibus suo tantum agri Giengensis in angulo, eoque argilloso, occurribus, ut apud omnes in confessu erit, cum certa aliqua, quæcunque demum illa fuerit, mundi Epochæ ut corpora dura terræ immersa fuerint, hancce immersionem in molle corpus, argillam scilicet, obtigisse; ita apparet, quæ ante tot secula argilla fuerit, eandem adhuc dum similem tueri substantiam, idque phænomenon, circa petrefactorum indagationem alibi etiam obvium,

vium, sic nunquam sua pro dignitate notatum fuisse, ideoque hac occasione ejusdem speciatim mentionem facere licet, quia complures Geosophi terras omnes, itemque argillas & arenas, in lapides tandem mutari autumant.

Quod enim ad arenas attinet, reclamat multo magis Tischingensis & Nider- Stoizingensis ager, uterque Giengæ vicinus, cum suis arenariis (tria millaria circiter a se invicem distantibus), conchis admodum copiose repletis, quarum quædam, in primis ex Pectinum classe, hinc inde repertæ, plane non sunt mutatae, sed testaceam suam nativam lamellatam substantiam, qua tanquam maris incolæ olim gaudebant, nulla habita ratione tot post hominum memoriam revolutorum seculorum, quibus ad nos sint delatae, ita retinuerunt, ut nulla differentia compareat, inter illas & ipsissimas conchas, quas mercatores, e locis maritimis huc venientes, afferunt. Eorum vero comites atque affines, Pectunculi nimirum, facilius mutationi sunt obnoxii, siquidem de iis sola tantum vestigia, tanquam modioli, arenas stratis planioribus, placentarum formam exhibentibus, innumerabili copia impressa, nunc conspiciuntur.

Sic arena etiam, qualis tunc erat, cum primum sepulchrum præberet conchis, talis adhuc deprehenditur, nec in lapidem arenarium mutata. Alibi tamen locorum quod marmora obtингant, negandum haud est, manifesto monstrantia, ea natales suos argillæ, mediante spiritu quodam gorgonico (placet jam loqui cum vulgo, dum sentio cum eruditis) in marmoream duritiem mutatae, se debere; quemadmodum utique cautes prægrandes lapidis arenarii & molaris, nil sunt aliud, quam cumuli maximi arenas olim contiguæ, jam in lapidis continuitatem compactæ.

Cur vero quædam terræ ac arenas in lapides fuerint mutatae, tales contra eadem manserint, quales tempore immersionis corporum marino-terrestrium fuerint: itemque,

eur marmoreis & molaribus lapidibus fere nunquam, reliquis vero saepius petrefacta talia saepius nominata immersa obseruentur, hac vice aliis indagandum relinquo, contentus phænomeni haec tenus neglecti nova inculcatione. Firmum autem illud & observatione confirmatum argumentum, non omnes scilicet terras mutari in lapidem, occasionem suppeditavit, quod *terræ quædam medicamentosæ* salutatæ fuerint *Adamiticæ*, qualis præstantissima est Memmingæ illa Kunersbergensis, quam celeberr. Dn. EHRHART publici juris nuper fecit, circa cujus usum medicum saltem in transitu hic notare licebit, Illustrum HAMBERGERUM in Dissertatione, *de modo agendi terreorum*, solidissimis argumentis physicis refutasse Dn. D. TRALLES, Virum ceteroquin celeberrimum & doctissimum, qui scripto singulari usum talium remediiorum tanquam irritum & supervacaneum prorsus rejicere tentavit.

Sed redeo ad monticulum nostrum felinum. Superficies integra ejus spatii lithophori constituit tantum longitudinem aliquot perticarum, ultra quarum terminum plane nihil de marinis conspicitur. Merito hinc mirandum utique est, in spatio tam angusto non solum multa, sed etiam adeo insignis diversitatis petrefacta, nimirum ultra triginta eorum species, & quidem exilissimas, in hoc loco, tam proxime sibi junctas fuisse notatas, quod in tota reliqua vicinia observare haud licuit, quemadmodum etiam hoc notatum pariter maxime dignum est, quod saltem in spatio illo supra descripto etiam de belemnitis valde exiguis quidam offendantur, quorum ne unicus quidem in reliquis adjacentibus locis, ad aliquot milliaria usque, conspici potest.

• Saepius vero hoc observatur, quod in parvo aliquo spatio terra insignem contineat copiam corporum marino-terrestrium, quorum ne unicum quidem ultra hosce terminos per longam dein camporum seriem videre contingit. Ceb-

leberrimus & doctissimus Auctor Dissertationis, *de Belemnitis Suevicis*, tanquam caussam allegat fundi marini alibi locorum speciatim conchyliorum feracis, alibi vero, longosque per tractus, prorsus sterilis, haud secus ac Arabia deserta animalibus cicuratis lætisque segetibus destituta est, cum vicina mox Arabia, felix dicta, omnibus iis abundet. Sed celeberrimus MORO, Italus, juxta novam suam hypothesisin hujus phænomeni explicationem, longe clariorem promittit, ad quem idcirco Lithophilum curiosum, plura desiderantem, remittimus, designationem nunc illorum petrefactorum exhibituri, quæ in unico illo monticulo felino inveniuntur.

- 1) Lapilli corallini extremitatibus bulbosis, lævibus.
- 2) Similes lapilli, extremitatibus furcatis asperis & striatis. Neutri simile in iis Auctoriis Lithographis, quos evolvere mihi licuit, deprehendo, ut idcirco nova genera esse existimem, nedium in plantarum historiis, quæ de submarinis egerunt, uti MARSIGLI *Historia maris*, allisque talia offendere potui.
- 3) Corallites tubæformis exitu nutante, vel limbo extimo ad latus inclinante.
- 4) Corallites comæformis flore fructuue tam adhuc præditus, quam iisdem destitutus. Vid. *Memoires pour servir à l'histoire naturelle des petrifications*, Pl. XIII. Fig. 70. & 71.
- 5) Coralliorum lævium & tuberculorum fragmenta.
- 6 & 7) Coralliorum quorundam extremitates quasi umbilicatae, quarum nonnullæ ostendunt centrum magis minusve concavum, nonnullæ stellulam quandam 5. vel 6 crenis excavatam. Vid. idem modo citatus liber Pl. XIII. fig. 55 - 57. ubi nominantur: *Especie de fruits de Coralloïde*, & fig. 60 - 64. *Fruits & fleurs des Plantes marines*.

- 8) Asteriæ columnares exilissimæ.  
 9) Asteriæ obtusangulæ exiles.  
 10) Asteriæ acutangulæ exiles.  
 11) Echinites ejusque crustulæ mammilaræ.  
 12) Bidentula, seu ossiculum internum Echini marini.  
 13) Lapis Judaicus, seu aculeus Echini marini, & quidem  
     a) Ventricosus tuberculis secundum longitudinem ordinatae positis, suprema parte lævis;  
     b) Cylindroides mucronatus sulcatus tuberculis ordinatae positis;  
     c) undique lævis teres;  
     d) muricatus seu spinosus cylindroides;  
     e) lævis triquetrus;  
     f) Acicularum fragmenta.  
 14) g) Aculei forsitan species, conum regularem repræsentans, in cuius basi acetabulum, magis amplitudine, quam profunditate, nec non substantia eleganter candida conspicuum. Similes lapidis Judaici varietates in edecumata Dissertatione Illustr. Archiat. Brand. Culmbac. D. D. WAGNERI, enarrantur.  
 15) Entrochi & trochitæ diversæ magnitudinis & structuræ, præsertim trochitæ tam in medio depresso, quam in medio turgentibus, sive doliati exiles.  
 16) Belemnitarum parvulorum fragmenta.  
 17) Num Belemnitarum aut Pistilli Aronis fragmenta.  
 18) Vermicularia conglomerata.  
 19) Opercula diversarum cochlearum marinorum.  
 20) Cochleola umbilicata forsitan terrestris.  
 21) Exemplar Ostreæ Gaideropodæ parvulæ, aut ostracitæ, quales in agro Echterdingensi eruuntur, & Lemnosteritæ Scaphusiensibus audiunt.  
 22) Pectunculus exiguis ni fallor LISTERI.  
 23) Pe-

- 23) Pectinis partim striis & sulcis latioribus conspicui, partim subtilissime striati fragmenta.
- 24) Articulorum ad Stellam marinam arborescentem ROSINI duæ species.
- 25) Tellinitæ haud exiguae fragmentum unice repertum.
- 26) Turbinites lœvis parvulus, conum obtusum exacte repræsentans. Vid. Liber supra citat. Pl. XXXIII. fig. 215 -- 217.
- 27) Num fungitæ species, auriculis quasi prædita, unice hic reperta.
- 28) Fungites umbilicatus, superficie spongiosa, summitate plana.
- 29) Verrucæ fossiles Echini papillaris vel mammillati (species ovi anguini) a celeberr. KLEINIO in naturali dispositione Echinodermatum. p. 19. Tab. VII. A. B. C. proprie *Cidaris Mauri*, *Morche Talband*, & a RUMPHIO p. 33. Tab. XIII. Num. 3. *Echinometra digitata secunda* appellati. Hæ verrucæ in tergo animalis circa anum ejusdem prostant, facileque decidunt, quoniam non adeo firmiter adnexæ sunt. Reperiuntur etiam in arena nostra Fichtelbergensi, referente Illustri Archiastro WAGNERO.
- 30) Ossiculum metacarpi ad Encrinum marinum in uno exemplari mutilato.
- 31) Fragmenta de Ostrei pectinati & falcati duabus speciebus.
- 32) Species conchæ, quam *quadrispinatam* & *trifurcata* nominamus, quia protopodio avis aquaticæ palmi pedis similis est.
- 33) Juvat hic simul exponere ossicula, sive spinulas Stellarum marinorum exilissimas, quales magnus ille Oryctologus, Illustr. WAGNERUS, cum multis aliis quoque figuratis marinis perparvulis, haud ita pridem collegit

legit ex arena illa copiosa, quam rivulus quidam, prope pagum *Monchau*, ex montis Piniferi famosissimi scaturigine evomit. Sunt autem quæ singulari ipsius in me benevolentiae accepta fero, sequentia:

- 1) Arena ipsa ex scaturagine modo dicti rivuli, diversa marina continens.
- 2) Lapilli varii nulla certa figura præditi, originis coral-linæ.
- 3) Corallia minima non ramosa striata cum suis radicibus, seu parte sessili.
- 4) Eadem diffracta vel in fragmentis.
- 5) Eadem duplicitriplicique fronte prædita, seu ramosa.
- 6) Coralliorum crassiorum & geniculatorum fragmenta.
- 7) Ostracodermatum fragmenta.
- 8) Lapidés Judaici, seu aculei Echinorum marinorum cylindrici confracti.
- 9) Papillæ seu fragmenta Echinorum papillarium, vel *ovi anguini* PLINII.
- 10) Asteriæ pentagonæ variæ magnitudinis.
- 11) Ossicula seu spinulæ Stellarum marinarum.

Reliqua in aliud differenda sunt tempus, quo prioris designationis ulteriorem suppeditabo continuationem.

(*Gienga Norimbergam missa d. 18. Mart. 1748.*)

## OBSERVATIO XXV.

Dn. D. JOANN. BALTHAS. EHRHARTL

De

*Mixturis oleofis polychrestis.*

**R**arius omnino, immo vix unquam haftenus, nostris maxime in oris, in usum vocatæ fuerunt in medicaprxī  
Mixturæ

Mixturæ quoad maximam partem ex oleo quodam paratæ, & quidem sequentes maxime ob rationes, quoniam 1) oleosum omne & pingue, quando rancidum evadit, tantam ordinarie concipit acredinem, ut ipsas etiam solidas moliores partes arrodere valeat, siquidem e. g. lardum admodum rancidum, aut caro fumo indurata pinguior & vetusta, paulo largius vel frequentius comesta, facile raucedinem imo erosiones & ulcerationes superficiales in faucibus excitare valet. 2) Quia homines admodum obesi, quando febris putridis velexanthematicis, itemque morbis a viscerum qualicunque labore graviori oriundis, cachecticis maxime & hydropticis, laborant, gravius longe adfliguntur, quam macilenti. In illis enim si anorexiā simul experiuntur, & a ciborum abstinent adsumtione, pinguedo resoluta ex folliculis undique expansi contextus cellulosi, aut panniculi adiposi, ad massam sanguineam revehitur, dumque illa ordinarie ex ramosis constat particulis, hinc nova talis earum admixtio vitalem sanguinis maximeque lymphæ circulum aut per angustissimos mæandros progressum difficiliorem reddit, eoque ipso morbum jam præsentem necessario augere & diutius sustinere valet. 3) Quoniam apud omnes in confessio est, pinguibus ulcera reddi fordida magis, siquidem etiam idcirco tonsorum squalida linimenta, *axungiae* optimo jure dicenda, i. e. axibus curruum inungendis digna, similiaque emplastra, toties omnis generis abscessus & ulcera deteriorare deprehendimus. Pone autem jam internos quosdam morbos materiæ purulentæ vel ulcerosæ deberi, sive dispersæ adhuc per universam viscerum substantiam, quod in suppuratione ex inflammatione prognascente contingit, sive jam in certo spatio collectæ, quod in ulceribus internis pulmonum, mesenterii, renum, vesicæ, uteri, usu venire solet: nonne his oleosa medicamenta maximam adferent noxam? Oggeris quidem, plebeio experimento plithi-

sin saepius sanatam fuisse pinguedine canis, longo usu cochleatim etiam adsumta. Consideres vero qualis fuerit phthiseos species, & qualis pinguedinis exhibitae indoles. Non enim illa ulcerosa ultimo in gradu constituta, sed sicca erat, a compressis vesiculis pulmonalibus, iisque ichore quidem, at parcissimo & acri, irritatis, concurrentibus simul stricturis mesenterii & primarum viarum spasmodicis. Pinguedo item canina, sub tali statu adhibenda, debet esse recentissima, tenerior, ex juniori sanoque cane desumta. Non possunt ergo nocere, sed potius sub variis casibus per quam utilia & proficia esse 1) pinguia delibatissima, recentia, ex recenti subjecto parata, ipsaque teneriora, i. e. domestico humore rorido nondum destituta, & subinde cum aliis quoque medicamentis adpropriatis conjuncta ac in virtute sua exaltata: 2) Sub certis potissimum indicationibus exhibita, in affectibus a partium stricturis spasmodicis in primis ortis, indeque maxime dependentibus viscerum infartibus & obstructionibus, in lymphæ nimia acrimonia, & muriatica falsedine; in tussi rheumatica sicca, frequentistimulo per quam molesta & alios pulmonum fonticos affectus facile post se trahente, aliisque similibus morbis, præcipue etiam colicis & calculosis, prout hoc in exemplis quibusdam, per experientiam satis jam confirmatis, nunc seorsim monstrare lubet.

Ut vero priori satisfiat requisito, oleum amygdalarum dulcium paretur, expressum sine igne, aquam limpidam penne non tantum colore, sed & sapore referens, ex amygdalis integris, albidissimis, non flavescentibus, non rancidis, non cariosis &c. a vermibus erosis, verbo, selectissimis. Eadem macerentur prius aqua, in qua salis communis largior portio soluta fuit, iteratis quibusdam vicibus affusa, aut inde cohobata, qua ratione sapor ordinarius naturalis iisdem restituitur (Chymia enim docente sali communi vis inest regenerandit).

nerandi & oleosa depurandi); falsedo dein omnis per simplicem & puram fontanam aquam calidam eluatur, sicque simul amygdalæ decorticentur, deinceps vero optime iterum exsiccentur, calore tamen temperatissimo, ac tandem in mortario calido in pullem teneriorem contundendo redactæ novoque linteo fæcculo exceptæ, prelo pariter calidiusculo subjiciantur, & unica saltem vice exprimantur, sic enim largientur oleum amygdalarum regium, haud admodum pretiosum; remanentia enim, sicuti vocant, pro confienda pasta amygdalina, aut sapone etiam adhiberi potest, imo & in certam emulsionis speciem redigi. Ceterum recens semper tale sit oleum & apto in loco adseretur; justo autem vetustius dein semper pro clysteribus, emplastris, unguentis aut linimentis destinari potest, ad instar olei amygdalarum vulgari methodo parati.

Ex tali autem delibatissimo oleo speciatim sequentia admodum efficacia parari possunt remedia:

### I.) *Mixtura oleosa antispasmodica.*

Rec. Olei amygdal. dulc. n.d. Vin. Malvatic. alb. ver. ana unc. j. cum dimid. Effent. Millefol. & carminat. Wed. ana drachm. dimid. spirit. nitri dulc. scrup. ij. Syr. Cort. Aurantior. drachm. j. M. offeratur optime prius agitata & quantum fieri potest calidissima.

Tormina abdominis, cardialgiæ, plures spasmodicos affectus saepe in instanti compescit: vomitum etiam iliacum sifist, & licet forsitan rejiciatur, statim tamen denuo oblata dein remanet in ventriculo, optatas vires exsferens. Præterea quoque urinam promovet & flatus efficacissime exturbat. Talis simplicior mixtura ex oleo amygdal. & vino malvat. parata jam olim CRATONI, Medico celeberrimo, laudata, & Præceptoris forte ejus, Bapt. MONTANO, usitata, abhinc & a SYDENHAMO imitata legitur. Medicamen-

tum vere saponaceum videtur, spirituosis salinorum loco illud ingredientibus pinguibusque nuptis, quæ papillas linguae non tantum blandius afficiunt, sed & partim vasa absorbentia, per fauces ad ventriculum disseminata, celerrime subeunt, partim vero exhalantia vasa abstergunt, quo fit, ut, restituta in his partibus ordinaria transpiratione per emissaria illa, quæ juxta bulbulos resorbentes tam solide detexit celeberrimus Dn. D. LIEBERHÜHN, effectus adeo laudabilis hac ratione obtineri queat. Per transpirationem autem modo nominatam non cutis illam Sanctorianam intelligo, sed periphericam viscerum, quam, ceu HIPPOCRATI jam olim notam, è tumulo resuscitavit doctissimus Abraham KAUU BOERHAAVE. Ex eo quoque carminativus effectus omnium optimus, nostri dependet remedii, quia digestiva simul & canalem alimentarium relaxante gaudet efficacia, cum reliqua flatibus pellendis dicata medicamenta intestina sæpe magis irritare soleant. Ne vero chorda semper oberremus eadem, talis formula variari etiam poterit, pro ratione morborum ac individuorum diversorum. Hystericis & quibus dulcia sunt adversa, Essent. Gentian. rubr. commode additur, uti in *syrupo illo longævitatis* ZWINGERI in Actis hisce descripto, dulcia amaris commode sunt mixta, natura sæpe præeunte, uti in Polypodio, magisque in Dulcamara vel Solano scandente, Arnicæ vires æmulante, observamus. Hydropico - tympaniticis addimus Essent. alexipharm. Stahl. Essent. levistici, vincetoxic. & sal Sediizense. In partu difficulti conjungimus Essent. Succin. sal gemmæ ol. Cinnamom. ver. & pauxillum Theriac. cœlest. In ischuria senili, a diathesi scorbutica seri & atonia tubulorum renali oriunda, adjecimus plus simplici vice lætiſſimo cum eventu syr. de Althæa, Tinct. martis cydoniat. Lap. cancror. & Cinnabar. nativam.

*II. Mixtura oleosa pharyngica.*

Rec. Ol. Amygdal. dulc. n. d. Syr. Rosar. solutiv. Syr. de Mann. Aqu. Cinnamom. vinos. ana unc. j. Misc.

Modus exhibendi idem est ac prioris, ut nimirum bene calida & conquassata porrigitur, hac enim ratione emulsionem quadantenus refert, sicque pro dosi cochlear unum vel duo præberi possunt, quoniam deglutitio pene abolita plus haud admittit. Optime scilicet conductit hæc mixtura non solum in angina rheumatica, sive muscularis, sive tonsillis affectis, sed & in angina apostematode & parotidum inflammationi sæpe juncta. Tum enim blanda sua indole oleosa stricturas spasmodicas relaxat doloresque mitigat, maturationem, deficiente staseos resolutione, adjuvat, pus latens provocat, ruptorisque vices tandem agens, id educit, & quod palmarium est, congestionem ulteriorem abstergiva sua efficacia avertit & præcavet.

*III. Mixtura oleosa becchicæ.*

Rec. Ol amygdal dulc. n.d. Syr. de Althæa, pulv. Sacch. cand. rubr. ana unc. j. Aqu. Cinnamom. vinos. drachm. vj. Spec. diatrag. frig. recent. scrup. ii. M.

Apta & sedula mixtione consistentiam nanciscitur smegmaticam, ut nihil fere de oleoso appareat, grato illis maxime ægris spectaculo, qui oleosa cane pejus & angue fugiunt delicatuli, licet oleum illud nostræ descriptionis nunquam eos, qui maxime nauseabundi fuerunt, rejecisse recordor. Hoc vero becchicum suapte consistentia, dosibus parvis, at sæpe repetitis liguriendo sumtum, tusses catarrhales molestissimas compescit, dum sub tarda deglutitione irritatis ab acri lympha, glandulis aliisque laryngis partibus exterioribus ac fauces respicientibus adhærentis, particulis suis oleoso-mucilaginosis insignes illas tussiculosas commotiones citius tollit,

tollit, aut eximie mitigat. Possunt etiam tali mixturæ quædam dulcedinem mitigantia, simulque resolventia, adjici, ex quorum numero sal ammoniacum depuratum paucis saltem granis additum, convenientius erit nitrosis aut salibus neutrīs, recte docente doctissimo Dn. de GORTER.

#### IV. *Mixtura oleosa antinephritica Brunneri.*

Rec. Lap. Cancror. subtiliss. præparat. unc. dimid. Coquum vini Acronian. vel Bodamici (est vinum saturate flavum valde acidum) unciis jx. ad consumtionem dimidiæ partis, in vase apto: Colaturæ adde Ol. amygdal. dulc. drachm. vj. syrup. de Althæa, Papav. alb, ana unc. dimid. M.

Vires titulo respondent, dum remedium, paulo diutius continuato usu renū tubulos abstergit & liberat a viscosis ac tartareis impuritatibus, simulque tonum partium restituit, cum absorbentia acidis soluta tonicam quoque, specifice in renes, exserant efficaciam, juxta egregiam Dissert. Illustr. de HEUCHER, *de adstringentium usu in calculo.*

V. *Mixtura oleosa emulsiva occultata.* Artificium illud, oleum amygdalarum dulcium sub emulsionis forma tegendi, ut Jovem lapidem jurares, nullum inesse oleum, laudavit jam olim Christian HELLWIGIUS, Wratislaviensium Poliater dexterimus, sed modum compositionis non detexit. Facile vero præstabitur id, dummodo Ol. amygdal. dulc. n. d. cum vitello ovi & amygdalis ex-corticatis subtilissime contusis subigatur, & aquæ destillatæ dein admisceantur, subjunctis absorbentibus candidis cum saccharo, quemadmodum talem oleosorum saponem optime demonstrat doctiss. BOERHAAVIUS. Tales emulsiones exe-

exerunt vires egregias demulcentes, simulque gustui præ omnibus aliis gratissimæ sunt.

VI. *Mixtura oleosa cum Balsamo de Tolu, in quibusdam Ptbiseos speciebus maxime proficua,* inter primas referri meretur, satis clare jam descripta in *Pharmacopœia extemporanea FULLERI*, complures formulas medicas efficacissimas exhibente. Uno verbo, remedia demulcentia latissimo patent usu, hincque benignissimus Creator plantas ex genere Malvarum, Althææ, Ketmiae, Alceæ, undique terrarum progerminare voluit, reperiesque veritatem hanc confirmatam sive de frigidissima regione LINNÆUM consulas, utpote plantarum Lapponicarum egregium Commentatorem, sive Zonam adeas torridam, in qua quot malvacei generis sponte nascantur herbæ, & Illustr. SLOANE de *Jamaica*, & BURMANNUS de *Capite bonæ spei* & *Auctores Horti Malabarici* & RUYSCHIUS de *Amboina* testatum dabunt.

(*Memminga Norimbergam missa d. 12. April. 1748.*)

## OBSERVATIO XXVI.

Dn. M. BONIF. HENR. EHRBERGERI.

### De *Tabulis striatis.*

Inter deceptiones opticas, per anamorphoses factas, ultimo quidem loco *tabule striatae*, in planis intercisis ac scalaribus exhibitæ, quas Per illustr. ac Generosiss. WOLFIUS tessellatas imagines adpellat, referri solent a quibusdam, etsi ratione artificii non ultimum locum mereantur. Mentionem earum fecimus *Obseru. XCIII. Voluminis VII. horum Acto-*

*Autorum pag. 320. seqq.* atque in nos tunc temporis recepi-  
mus, ex instituto easdem aliquando explicare, id quod etiam  
nunc exequi studebimus.

Sunt autem scalares istæ Tabulæ striatæ superficies plu-  
res certo intervallo disjunctæ, in quibus pictura integra ex-  
hibetur ita delineata, ut omnes partes ex certo loco visæ  
adpareant unitæ & continuæ, ita, ut spectatorem facile in  
admirationem convertat, maxime cum ex diversis oculi  
punctis diversas inter se invicem eodem in loco observat  
picturas, vel etiam cito in alias conversas. Divisimus enim  
hasce Tabulas in *immobiles & versatiles*, illas dicemus, quæ  
ex eodem oculi loco eandem semper imaginem fistunt: has,  
quæ imagines ex eodem oculi loco visas mutant. Atque  
harum utrarumque materiam, quod concernit, constant istæ  
communiter vel ex ligno, charta vel linteal inducto, vel ex  
laminis ferreis stanno obductis, quibus chartæ folia adgluti-  
nata sunt, vel etiam ex alia materia, cui imago induci potest.  
Ex meris autem foliis chartaceis compositas merito rejici-  
mus, quod e situ suo facile dimoveantur, ita ut in justum  
redigi ordinem difficulter possint.

Relicta tamen materia, curæ magis mihi sit forma, cu-  
jus fundamentum in *Theorem. 68. §. 308. seqq. Elementor. Opticæ Wolffianæ*, aut in ejusdem *Compendio Theor. 7. §. 54.* vel etiam in *Tabulis Sturm. Opticæ Prop. XIX.* quærendum  
est. Quod nimirum disjuncta eo modo, ut remotioris ob-  
jecti radii, ex inferiore parte emissi, & radii superiores ob-  
jecti propioris, unam faciant lineam, videantur conjuncta.  
Id quod, cum in Opticis demonstretur uberius, nec percep-  
tu sit difficile, a demonstratione prolixa aliquatenus me su-  
persedere jubet.

His autem suppositis, Tabulas striatas sequentem in mo-  
dum construere jubent: In picturæ alicujus, aut etiam fi-  
guræ æri incisæ, superficie aversa illinitur glutinum, huic-  
que

que prismata triangula lignea, itidem glutine madefacta, imponantur tam vicinia, ut continuam quandam tabulam eorum bases conficiant. His bene coalitis cum pictura, cultelli acie prismata contigua discindantur. Postea vel stilo super mensam aut afferem eretto, vel orbiculo perforato, in certa ab assere distantia elevato, ibique oculo adplicato, prismata eo usque aut admoventur sibi, aut dimoventur a se, donec margo supremus propioris prismatis cum margine imo sequentis optice adpareat connexus. Id quod *Figuras. Tab. VII.* reddet clarius.

Sint aliquot Prismata æqualia 1, 2, 3, 4, 5, (quo plura, quoque minora, ut tamen integrum picturam capiant, eo melius); adsumatur punctum oculi erectum, circa O, ex quo super apices prismatum ad bases proximorum ductæ redæ OCD, OGH, OWM, OIK, eorum inter se distan-  
tias determinant, ut linea CL superior cum inferiore Dm,  
GN cum Hb, WP cum MQ, &c. optice coincidat. Quod-  
si igitur pictura in superficiebus prismatum e regione oculi  
O rite est adglutinata, ista in superficiebus XTSK, RIMQ,  
PW<sub>H</sub>b, GN<sub>m</sub>D, & ACLd ex O spectatis adparebunt uni-  
tæ, & figura discissa nunc redintegrata.

Quoniam autem prismata hæc tres admittunt picturas pro ipsorum superficiebus, possunt istæ picturæ aut figuræ eodem modo reliquis superficiebus induci. Hoc tamen ob-  
servandum, ut eorum ordo probe teneatur: tunc enim ni-  
hil amplius agendum est, quam ut iisdem in locis prismata invertantur, si aliam cernere velimus imaginem, puncto  
oculi servato.

Quodsi vero duobus simul spectatoribus ex adverso-  
constitutis picturæ essent exhibendæ, tunc superficies VTXB,  
YRIZ, & reliquæ hujus lateris ita non convenient, uti ex  
altera parte. Remotiora enim ibi prismata hic sunt vici-  
niora: adeoque non ubique totæ superficies pictura sunt  
*Autor. Ph. M. Vol. IX.* S indu-

inducendæ, sed quantum visus admittit, ne prismata remota rora aliquam partem latentem habeant picturæ.

Aliud vero incommodum comitatur Tabulas striatas hucusque descriptas, ubi nimirum folia figuræ discissa sunt adglutinata: quod extremitates laterales picturæ in foliis discisis non rite respondeant. Aliud enim fundamentum opticum communiter negligitur, quod in *Tabb. Sturmianis* est *Prop. XIV.*, in *Elementis autem supra citatis Theor. 29. §. 211.* & in *Compendio, Exper. V. Cor. 3.* & *Theor. V. §. 52.* Quod, quo propius est objectum oculo, aut quo majorem angulum format res visa, eo major quoque adparet, & quo remotior est res ab oculo, aut, quo minorem angulum visorum efficit in oculi fundo, eo minor sistitur visui. Ex his enim dijudicatu facile est, imagines in ære incisas & in charta impressas, prismaticis ligneis adglutinatas non ubique ita exhiberi, ut tanquam integræ ac convexæ visui obversentur. Quanquam enim pictura aut imago circa medium in omnibus suis segmentis bene respondet, non tamen in suis extremitatibus lateralibus exæcte convenit: quia remotiora ab oculo segmenta justo adparent minora, & propiora e contrario, utpote majorem angulum visorum formantia, reliqua magnitudine excedunt, id quod ex schemate *Figuræ 4. Tab. VIII.* infra uberius explicando, patet facile. Ubi longitudo BC ex oculi puncto V non major adparet quam on, & reliquæ lineæ RQ, YX, Za, &c. isti prorsus æquales, successive minores, aut ex W visæ successive majores. Nam RQ, utrinque lineam DA adparenter exceedit portionibus NR & PQ, & sic in reliquis.

Quo remotior tamen oculus a tabulis striatis abest, ut lineæ, ab oculi puncto ad extremitates remotioris lineæ (AD) ductæ, parallelis propiores evadant, eo minor fit differentia segmentorum, ut tandem sensibiliter evanescat. Id quod in *Tabulis striatis Suenofurtensibus* *Volum. VII.* horum

rum Aëtorum, Observ. XCIII. p. 321. memoratis, observatum videmus.

Ibi vero non prismata triangularia sunt adhibita, sed lamellæ tenuissimæ, æqualibus intervallis distantes, & tabulæ planæ fundamentali perpendiculariter impositæ: quas *Tab. VIII. Fig. 3.* pars superior adumbrat, nimirum ABCDFV, non quidem tanto numero lamellas exhibens, quanto in tabulis istis adparent; attamen pro explicatione sufficentes, ut compositionis ac structuræ ratio exinde intelligi possit. Ubi simul duplicates tabulas striatas, nimirum inferiores etiam, exhibemus, ut sic sex picturas distinctas ex sex diversis oculi locis observare liceat.

Scilicet lamellæ superiores monstrare possunt figuram ex punto oculi O cognoscendam, & aliam ex altero lamellarum earundem latere e regione cernendam, tertiam autem in intersticiis plani superioris ABCD, quæ ex transverso, sive directe visa, velut per cancellos repræsentantur. Et sic ex opposito in parte inferiori similiter tres figuræ oblectare possunt spectatores, tribus diversis in locis diversæ spectandæ, una scilicet in lamellarum inferiorum A I, g 2, e 3, x 4, X 5, B 6, latere dextro, ex punto infra W adsumto conspicienda, altera e regione sinistra in istarum lamellarum latere sinistro, ac tertia in plana superficie inferiore in intersticiis conspicua. Noster hic adparens schematismus unum tantum latus exhibet. Quo explicato cætera facile intelliguntur. W denotet distantiam spectatoris ab imagine depicta, O altitudinem oculi, ex quo punto exurrentes rectæ occultæ OIH, ONK &c. determinant latitudines segmentorum sive foliorum adglutinandorum EI, IL, NP, QR, ST, VB, in quibus (*Fig. 5. Tab. VIII.*) junctis figura exhibenda esset delineanda.

Quod vero nunc attinet ad Tabulas striatas prismaticas, quarum structuram superius jam descriptissimus, notandum

porro, illa prismata omnia simul & eodem momento ver-  
satilia fieri posse, ut, si triplici imagine in diversis suis pla-  
nitiebus prædita sunt statim alia post aliam exhiberi & è cer-  
to puncto oculi conspicisci adcurate possint. Nimirum ista  
prismata singula in media fronte triangulorum suorum, ubi  
numeri 1, 2, 3, (*Fig. 5. Tab. VII.*) adscripti sunt, instruantur  
manubriis angulatis vel incurvatis æqualibus, eodem situ in  
eandem plagam gaudentibus & cum prismatibus ita firmi-  
ter conjunctis, ut omnia simul moveri possint. Quem in  
finem novum schema *Fig. 1. Et 2. Tab. VIII.* adjunximus,  
ubi id, quod in tribus tantum prismatibus ibi videre est, in  
pluribus facile intelligi poterit. Scilicet in medio triangu-  
lorum, prismata singula terminantium, tam anteriori, quam  
postico, ex porriganter axiculi aut styli teretes, ut prismata  
eorum auxilio vel in foraminibus, vel crenis imposta, cir-  
cumvolvi possint.

Imponantur igitur prismata 1, 2, 3, crenis suis in ere-  
ctis asserculis A B C D & E F G H, tanquam fulcris, & ex  
altera parte, ubi asseri circa r, a, b, imponuntur, aptentur  
manubria angulata, quorum forma paullo expressior nume-  
ro 2. exhibetur in R S T V. His manubriis in fronte circa  
V, aut num I, circa u, x, y adplicetur asserculus alias IK  
minoris latitudinis, ut in foraminibus suis u, x, y, manubria  
sint volubilia. Quodsi hic asserculus protrudatur, etiam  
manubria omnia æquali motu cum prismatibus se conver-  
tent, aliamque post aliam superficiem, alia pictura prædi-  
tam, obvertent.

Deinde hoc incommodum notavimus in superioribus,  
extremitates laterales figurarum aeri incisarum non respon-  
dere exacte in prismatibus, se invicem subsequentibus; ut,  
si figura includatur parallelogrammo rectangulo, illud in  
prismatibus ex oculi puncto super W aut V adsumto visis  
(*vid. Fig. 4. Et 5. Tab. VIII.*) exhibeat minime, sed po-  
tius

tus formam scalæ ex utroque latere repræsentabit, superior vero ac inferior latitudo, Trapezii potius latera parallela formabunt. Remotius namque ab oculo prisma minori magnitudine adparet, & quod in illo sistitur, justo est minus, maxime, quod in extremitatibus utrinque exprimentum esset. Hincque paullo majus esset exhibendum, & reliquæ figuræ in prismatibus, quo propius accedunt ad oculum spectatoris, eo minore magnitudine gaudere deberent: quod tamen in figuris aeri incisis fieri haud potest. Hinc igitur cavendum, ne tales figuras prismatibus adglutinemus, quæ in latitudinem nimium extenduntur, sed potius in medio & circa istud conspiciuntur, maxime autem facies, manus, & quæ tanquam unum corpus continuum sunt exhibenda. In lateribus autem figurarum, grama, flores, fructices, montium remotissimorum cacumina, &c. quæ unam seriem continuam & exactam haud requirunt, oculis possunt objici. Hac tamen cautione opus non erit, si picturis juxta punctum oculi delineatis prismata inducantur; de quibus infra plura. Tunc vero opus non est, ut prismata inæqualiter a se invicem distent.

Quodsi denique prismata hæcce omnia rite includantur cistæ, superne vitro aut linteo subtiliori ac perspicuo tectæ, ita ut manubria angulata a latere dextro promineant; & sic extra cistæ parietem asserculus manubriis commode applicatus moveatur ad tertiam partem circuli, atque ex punto oculi, seu foramine, in media latitudine superne adsumto, introspiciatur; satis spectabilis cernetur figurarum subita mutatio.

Hactenus de *tabulis prismaticis*. Nunc ad *tabulas lamellis adornatas* pergimus: quæ cum superius nondum sufficienter explicari potuerint, nunc paullo planius sunt explicandæ.

Nimirum super tabula ABCD (*Fig. 3. Tab. VIII.*) prout jam antea monuimus, ex lamina ferrea stanno superinducta facta, parallelogrammi rectanguli formam habente, transverse erigantur lamellæ tenues, æquales & æqualiter a se distantes, tot quidem numero, quot requiruntur ad integrum picturam excipiendam, ea etiam longitudine, (EF, IM, &c.) quam latitudo tabulæ desiderat. Altitudo (AE) sit circiter dimidii digiti, ac distantia lamellarum (Ag, ge, &c.) plus minus sesqui digitum æquet. Quodsi his lamellis pictura aeri incisa esset adglutinanda, non omnes lamellarum superficies inducendæ partibus figuræ transverse sectis; sed duæ solum lamellæ oculo proximæ, verbi gratia VC & ST: reliquæ vero eam tantum altitudinem adquirunt, quam linea O ur, O ab, &c. ex puncto oculi O super lamellam proximam ST, in u ductam ad sequentem posticam in r, designat. Nimirum latitudo minor erit, quam in lamella præcedenti, ut QR. In subsequenti denuo lamella linea On b adhuc minorem partem, nimirum NP, quæ latitudinem  $\gamma b$  habet, determinat. Et sic porro posterior lamella visui dabit ex O partem IKL M, tandemque ultima EFGH.

Quia etiam remotior ab oculo lamella ADFE, ex O super W visa, non major adparet, quam pars proximæ lamellæ ft, id quod ex lineis ex W ad A & D ductis elucescit; aut ex *Fig. 4. Tab. VIII.* ubi AD ex W visa non major exhibetur, quam linea FE, aut si punctum oculi esset in V, latitudo BC adparet in magnitudine no, & reliquæ lamellæ successive maiores. Igitur necesse esset, ut partes lamellarum pictura ornandæ, aut potius chartarum folia, in quibus futura pictura esset depingenda, prius juxta *Figuram 5. Tab. VIII.* conjungerentur; nimirum fe esset pars picturæ adglutinanda lamellæ oculo propiori, quæ occuparet in *Fig. 3. Tab. VIII.* portionem ft; hg esset pars inducenda lamellæ

mellæ posteriori, *ki* subsequenti, & sic porro. Atque in his foliis figura ita quidem esset depingenda, ut quælibet pars haberet picturæ partem ex alia atque alia magnitudine formatam. Nempe pars *qrda* esset pars picturæ, cuius integra magnitudo convenienter parallelogrammo *abcd*; pars *pn* autem caperet partem picturæ, cuius latitudo paulo minor eadem longitudine gauderet, & sic in reliquis, semper minor latitudo picturæ requireretur. Quia vero hoc valde est incommodum, ideo huic medela quovis modo est adferrenda. Non autem alio fieri modo perfecte potest, quam si pictoris oculus in O constanter hærens (*Fig. 3. Tab. VIII.*) picturam in lamellis delineabit, id quod etiam in reliquis Tabularum striatarum generibus tutius existimandum. Nisi forte tota imago aut pictura circa medium WS (*Fig. 5. Tab. VIII.*) cernatur, & oculi punctum remotius eligatur.

Quod circa partem superiorem Tabularum striatarum observatum est, idem etiam circa inferiorem tenendum, & quod in latere dextro fieri jussi, id quoque in sinistro faciendum, prout supra jam monui.

Unum hoc adhuc moriendum duco, genus hoc Tabularum speculo plano augeri & exornari posse, quo medianente, si unum latus lamellarum nudo visui est conspicuum, alterum per reflexionem observabitur. Sed tunc alterum latus lamellarum non tanquam ex eadem oculi distantia, sed dupli potius est designandum, & modo quidem inverso: lamella enim oculo proxima in speculo sit remotissima.

(*Coburgo Halam missa d. 28. April. 1748.*)

## OBSERVATIO XXVII.

Dn. D. JOANN. HERM. FÜRSTENAU.

*Hernia scrotalis cum febre lenta tabifica  
lethalis.*

**H**ernias plerasque, si non omnes, a ruptura vel relaxatione peritonæi oriri, hanc vero a violentia qualibet externa produci, una est peritorum in arte sententia; ac licet non pauci, saniores in primis, hernias a causis quoque internis, flatulentia præsertim, non raro proficiunt experti fatantur; plerique tamen rem hancce ut minoris momenti, & nullis aut paucioribus junctam molestiis, omnisque expertem periculi, obiter & quasi aliud agendo attingere videntur. Et si dicendum, quod res est, in omni ætate, qualibet vitæ genere, sexu etiam utroque exempla. passim sunt obvia eorum, qui varii generis hernia, ex levioribus interdum causis orta, laborantes, vix aliud inde incommodum, quam quod subligaculorum necessaria gestatio adfert, experintur, vitamque subinde absque singulari molestia incolumem ad seram usque senectutem transigunt. Quin imo alios inter, ex rusticana gente nuper occurrit, qui herniam, quam diu circumfert, scrotalem, absque omni ligatura sibi relictam gerit, & laboribus agrestibus plerumque sufficit, herniæ ipsius incarceratæ, qui subinde adfuit, metum, aut paucissimis remedii domesticis, aut *άυτοχρησια* Naturæ & *άυτοχρησια* licita & honesta, aut gratia potius divina superans, quin & liberius & alacrius cum sacculo isto foras propendente, quam intus retracto, & quovis modo coarctato, degens. Quid si intestina, quorum longissimum volumen, arcto abdominis spatio comprehensum, sedulos naturæ scrutato-

tatores dudum in admirationem rapuit, ex qualibet caussa interna liberius adfectantia naetaque spatium, succi, cui sunt destinata, nutritii confectioni & ad massam sanguineam derivationi magis paria evadant, ipsisque herniis, absque externa violentia generatis, critici quidpiam subsit? sequens certe, quod memoratu dignum visum est, exemplum hancce conjecturam confirmare videtur. Vir 65. annorum, insigni naturæ robore gaudens, in lauto vitæ genere adpetitui plerumque forti strenue indulgens, in Veneris castris ab ipsa inde pubertate militans, gonorrhœa quondam adfectus, dysuria quoque & mihi cruento subinde adfictus, plerumque tamen vegetus & alacris in negotioso vitæ genere permansit: Hoc vero cum otioso magis ante biennium fere commutato æger non iracundiæ tantum more solito frequenter indulgens, sed & tacitum atque occultum in præcordiis moerorem alens, frequentiorem flatulentiam, alvique, quam per omnem vitam fluidam expertus est, quādam fēgnitatem observavit, eoque veritatem Aphorismi Hippocratici *Sed. II. 20. & 53.* proprio docuit exemplo. Hinc vero absque alia causa manifesta hernia scrotalis in latere primum sinistro, hinc dextro quoque lentis initii exorta, & brevi incrementum notabile naeta, ægrum ad conquirenda congrua auxilia mature quidem impulit satis. Vinculis vero & subligaculis aliis ex aliis adplicatis, cum pleraque etiam exquisite elaborata & congrue satis adplicata prolapsis intestinis in situ retinendis minime sufficerent, inventum est tandem, adplicatum & absque singulari incommodo gestatum ab ipso aliquod, nec nisi noctu leviter relaxatum, quod eadem firmiter retineret. Sed mox inter mali gliscentis initia, febris lentæ & tabificæ indicia haud fallacia adfuere. Præterquam enim, quod abdomen, antea turgidum, mox laciniæ instar corrugatæ flaccesceret, lassitudo, oris siccitas, sitis, ciborum fastidium, vertigo, agrypnia & similia sympto-

ptomata singulis matutinis horis accendentia, & circa meridiem aucta laeti nihil ominari videbantur, præsertim cum æger remedia ipsi convenientia identidem exhibita constanter respueret, & spretis salutaribus monitis in ipso febris statu, invito licet adpetitu, laute non raro & opipare prandebat, neque ad regimen diapnoicum, illo præsertim tempore necessarium, debita ratione & congruis præsidiis promovendum, ullo modo disponi potuerit, aquis nonnullis mineralibus, Selteranis, Pyrmontanis, Wisbadenisbus, frustra spiritu vero Tartari, salis ammoniaci, Cornu Cervi, & similibus stomachicis & aromaticis, ad vires restaurandas aliunde ingentibus dosibus exhibitis, diu fatis, sed majori cum sanitatis detimento usurpatis.. Nimirum æger, s. d. symptomatibus sensim auctis, accidente demum respiratione difficultima & laboriosa, stranguria admodum dolorifica, agrypnia perpetua, summa virium prostratione & linguæ peraliquot dies impotentia, haud dubio mortis imminentis indicio, pulsique tremulo & intermittente d. XXIV. Jul. anni præteriti vitam cum morte commutavit.

### OBSERVATIO XXVIII.

Dn. D. JOANN. HERM. FÜRSTENAU.

*Tremor universalis a vermibus.*

Tremoris universalis & particularis exempla in qualibet ætate, quo vis vitæ genere, utroque sexu, haud infreuenter occurunt, nec parca ejus apud Scriptores praticos sit mentio. Qui vero Pathologiam cerebri & generis nervosi, & praxin ejusdem clinicam seorsim tradiderunt, WILLISIUS, HILDESHEIMIUS, WEDELIUS, de MOOR, BELLINI, adfectus hujus, passim obvii, id quod merito mireris,

reris, vix ac ne vix quidem mentionem fecerunt, ea forsitan ratione industi, quod malum hocce aliis plerumque, & ad finibus convulsivis praesertim complicatum vitiis notaverint. Præter Auctores vero systematicos, RIVERIUM, SENNERTUM, ETTMÜLLERUM, HOFFMANNUM & alios, qui in evolvenda ejus natura & tradenda medendi ratione, laudabilem operam posuere, illustris in primis SCELHAMMERUS commemorandus venit, utpote qui in adfectu hoc, peculiari Diatribe excutiendo, data laboravit opera. Hi ad unum omnes, & quotquot præterea evolvere licuit Auctores, in eo consentiunt, tremorem a debilitate generis nervosi, & liquidi nervei, vel si mavis, spirituum animalium inordinato & irregulari in organa motibus voluntariis dicta proficisci influxu, utrumque vero vitium ab ætate senili, vulneribus aliisque morbis & læsionibus generis nervosi, a venenis & medicamentis narcoticis, ab effluviis arsenicalibus, mercurialibus & metallicis, ab intempestivo & immido Veneris usu, ab inebriaminibus, ab animi pathematicis & variis aliis causis, naturalibus, non naturalibus & præternaturalibus produci & foveri, eundem vero & a vermis originem trahere, a nemine observatum vel commemoratum memini, præterquam, quod illustris PECHLINUS nullum morborum genus tam insolitum, tam <sup>difficiliter</sup> pronunciaverit, quod non vermis originem debeat. Illud vero puer me docuit quinque anni quadrantes natus, qui vix ablatatus, prævio paroxysmo epileptico, cum symptomatibus febrilibus & diarrhoea aliquamdiu colluctatus & vix sibi restitutus, Majo mense in aere libero horrido & boreali versatus & placentis aliisque farinaceis & saccharatis affatim pastus, tremore corripitur universalis nunquam per somnum quidem prorsus remittente, latus vero sinistrum magis, quam dextrum, adficiente & siti, æstu, ciborum fastidio, similibusque symptomatibus stipato. Mali somitem

in primis quærens viis, digestivis, emeticis & catharticis interpositis una cum absorbentibus, temperantibus & dia-phnoicis strenue sibi pugnandum vocatus duxit Medicus, nullo tamen alio inde consequente effectu, nisi quod malum in eodem tramite persistens nullum neque incrementum, neque detrimentum, neque aliis vitii accessionem admitteret. Ant-helminticis autem prioribus admistis, & mercurio inprimis vivo cum saccharo subacto ab ægro pusillo, omne alias medicamentum aversante, diligenter usurpato, quarto & decimo morbi die exacto, & lumbrico ingenti per alvum excreto, tremor sensim remisit, ægerque cum sanitate brevi in gratiam rediit.

### OBSERVATIO XXIX.

Dn. D. JOANN. HERMANN. FÜRSTENAU.

*Icterus cum diarrhoea, nausea & vomitu assumtorum perpetuo, accedente singultu lethali.*

Vir 55. annorum habitus corporis teneroris, pauci cibi, sed multi & generosioris potus, Venæctioni semestri, atque simul annuo acidularum Pyrmontanarum usui a multo tempore adsuetus, a pane per annum fere spatium abhorruit, & variis digestionis primæ vitiis, doloribus in primis colicis, cum diarrhoea subinde adfictus, opem quæsivit, & remediis carminativis, absorbentibus & catharticis identidem exhibitis invenit. Autumnali æquinoctio nuper elapso, præviis variis diætæ erroribus, & commessionibus mutuis in seram noctem, honoris caussa, ut fieri solet, protractis, accedente vehementer animi commotione, V. Sæ impedie ex more administrata, serum ex viridi flavescentis sanguini educto & patina excepto innatare, simul & fecibus alvinis

vinis fluidis ut plurimum aliquid sanguinis sinceri admixtum deprehendit. Ex eo tempore icterus habitum corporis universum & album in primis oculorum, cum vicina regione, intensa flavedine tinxit, æger vero ὡρῶσ αἴστος per integrum Octobrem & Novembrem mensem mansit, & interdiu obambulans, vesperi mature lectum petens, per integrum noctem profundo & placido somno gavisus, sed & ciborum fastidium sensim auctum, & diarrhoeam perpetuam expertus est, viribus utcunque constantibus, ab omni insultu febrili, dolore, tumore, siti, tussi & respiratione difficiili prorsus immunis. Variis remediis aperientibus, temperantibus, digestivis, blandis quoque emeticis & catharticis frustra per aliquod tempus adhibitis, acidulas tandem Pyrmontanas, toties hactenus cum fructu usurpatas, & solas fere ictero pertinaci debellando pares, nullo contradicente, per modo dicta, præsente, proposui. Per octo quoque dies circiter æger easdem, in conclavi amplo & tepido obambulando, non sine manifesto levamine haurire visus est, vomitu assumtorum hactenus perpetuo per triduum fere constanter inde emanente, aquis vero per alvum & urinam exitum consuetum cum ἐνθορία ejusdem invenientibus, sed adpetitu ciborum neutiquam redeunte, morboque nil quicquam inde remittente, viribus sensim prostratis, accidente ad ultimum singultu, sopore & levi delirio interpolato, initio Mensis Decembris a.p. placida morte defunctus est.

(Rintelio Halam transmissæ d. 10. Jun. 1748.)

## OBSERVATIO XXX.

Dn. D. WOLFGANG. THOMAE RAU.

De

*Cardialgia cum enormi ventriculi sensibilitate indeque nata hectica stomachica.*

Clericus quidam, ætatis 51. annorum, sanguineo - chole-  
 ricus, multis abhinc annis passionibus hypochondriacis, hæmorrhoidibus anomalis, interdum decoloratis, interdum albis, obnoxius, alvique obstructionibus & flatulentijs vexatus, cardialgia spasmodico - flatulenta graviter de-  
 cubuit, a qua quodammodo liberatus, circa initium anni  
 1747. denuo cardialgia cum ardore stomachi, phlogosibus,  
 fiti, inadpetentia, alvi pertinaci obstructione & dolore  
 lumbari correptus fuit. Medicus, quem per litteras consu-  
 luit, malum pro febre continua mesaraica, tum temporis  
 epidemica, habuit, & varia temperantia & bezoardica fixa,  
 conjuncta Ess. alexipharmacæ, eidem opposuit; sed sub ho-  
 rum, præsertim Essentiæ usu, de intolerando fere ardore &  
 æstu ventriculi conquestus fuit, qui brevi adeo increvit, ut  
 nulla penitus esculenta ferre potuerit æger, insuper potus  
 quoque ingestus statim prægravationes pectoris & ventricu-  
 li, crebrioresque ructus ipsi excitaverit; ex quo factum, ut  
 sudor copiosus & colliquativus corpus tabidum penitus ema-  
 ciaret, & æger, consumtis, ob rebellem agrypniam, viri-  
 bus, cum pulsu debili celerrimo, perpetuo lecto adfixus  
 jaceret, & per alvum nec feces, nec flatus per 3. continuas  
 septimanas emitterentur, insimulque etiam urina flammea  
 parcissime secederet. Talem inveni deploratum morbi sta-  
 tum, ad ægrum vocatus. Praecedentem cardialgiam ven-  
 triculi erosionem reliquisse, ex qua hectica stomachica enata  
 fuerit, haud injuria conijiciebam, sed ægro aliquid exhibere,  
 quod

quod ventriculus absque molestia ferret, hoc opus hic labor erat. Hunc tamen in modum Deo benedicente feliciter rem gessi : quovis bihorio cochleatum exhibui hanc mixturam : Rec. Aqu. chamomill. ʒij. millefol. menth. ana ʒiſ. Perlar. ʒiſ. nitr. purif. Rhab. Or. Cort. Peruv. ana ʒiſ. matr. perlar. Cinnab. nativ. C. C. sin. ign. ppt. Gum. Arab. & tragacanth. ana ʒiſ. Mucilag. sem. Cydonior. cum aqu. rub. id. parat. Succ. Citr rec. Syr. papav. rh. ana ʒiſ. M. Ad ventriculi ardorem demulcendum somnumque conciliandum Rec. MP. balsam. ʒiſ. Extr. Cort. Cascarill. ʒiſ. chamomill. gr. xiiij. Theriac. coel. gr. viij. Balsam. Peruv. q. s. M. f. Pil. pond. gr. iiij. Num. xxx. obduc. O. Dof. quavis nocte x. Pro potu sit hordeum mundum grossius, cum passulis minoribus in sero laet. caprill. decoctum, addito post colaturam pomi Citri in taleolos incisi dimidio & sacchari tantillo. Pro alimento nil nisi juscula hordeacea & carnea adsumantur, in quibus Gelat. C.C. cum Succ. Citri & Conf. Alkerm. paratae cochlear unum & alterum solvatur. Verum si tepide tantum haec adsumeret, statim insignis ardor & prægravatio ventriculi, cum præcordiorum anxietate, subsequebatur. Hinc suasi ut æger etiam juscula frigide adsumeret, quo facto verbis mihi se satis exprimere haud posse testatus fuit, quam egregiam inde refectionem, absque ulla noxa senserit. Ad alvum solvendam clyisma injectum fuit domesticum, ex juscule carnis cum sem. anis. & carvi decocto addito ol. olivar. vitell. ovor. & sale communi, quo multæ siccae & nigricantes fordæ, cum flatibus, excretæ sunt: dolor lumbaris, applicatis ad anum hirudinibus, conquievit. Postea ex usu sequentis Electuarii alvus quotidie cum euphoria fuit referata: Rec. Extr. pulp. Passul. minor. Conserv. flor. tunic. ana ʒiſ. pulv. Rhabarb. Or. ʒij. Cort. Peruv. elect. ʒiſi. pulv. stomach. Birekm. sine Sacch. ʒiv. Gumm. Arab. Tragacanth. spec. diacret. Myns. Nitr. purif. Lap..

Lap.  $\text{\textcircled{S}}$ . ppt. ana 3*lb*. Corall. rubr. ppt.  $\text{\textcircled{E}}$ j. flaved. Cort. Orant.  $\text{\textcircled{Z}}$ *lb*. Bals. Peruv.  $\text{\textcircled{E}}$ j. Syr. Rosar. solutiv.  $\text{\textcircled{Z}}$ iv. M. dos. quater de die quantum duo cultelli cuspides capiunt. Nihilominus ardor ventriculi, aestus internus, & crebriores phlogoses acriter vigebant, & urina adhuc parcus reddebat, hinc sequentem praescripti Emulsionem: Rec. Semin. 4. frigid. major. ana  $\text{\textcircled{E}}$ j. Sem. Cannab. papav. violar. ana 3*j*. aqu. rub. id. Chamomill. millefol. menth. ana  $\text{\textcircled{Z}}$ i*lb*. F.l. a. Emulsio, Colat. add. Nitr. purif.  $\text{\textcircled{E}}$ ij. Gumm. arab. & tragac. ana  $\text{\textcircled{E}}$ j. aqu. Perlar. Syr. dialth. Fernel. ana 3*vj*. M.D. saepius cochleatim, sic etiam haec symptomata imminuta fuerunt; ast ancilla mihi retulit, adsumta juscula hordeacea indigesta plane per alvum fuisse dejecta, non sine ventris tormentibus, ideoque ut tonus ventriculi & canalis alimentarii firmaretur: Rec. Extr. Calam. aromat. 3*j*. Cort. Cascarill. aquos.  $\text{\textcircled{E}}$ ij. millefol. gentian. rubr. ana 3*lb*. Nitr. purif.  $\text{\textcircled{E}}$ j. solv. in Aqu. menth.  $\text{\textcircled{Z}}$ i*lb*. M. dos. LX. gutt. bis de die. Hoc Elixirium ominosam illam lienteriam ex voto sustulit & æger jam ex usu juscotorum refectionem sensit. Supra memorato autem Electuario, quum paullo fortius alvum movisset, post ejus consumtionem aliud mitius & magis roborans substituendum censui, quod talis erat compositionis: Rec. Conserv. Menth.  $\text{\textcircled{Z}}$ *lb*. pulv. Cort. Peruv. 3*vj*. Cascarill. Rhab. Or. ana  $\text{\textcircled{Z}}$ ij. rad. Zedoar. Nitr. purif. ana  $\text{\textcircled{E}}$ iv. Gumm. arab. Tragac. Lap.  $\text{\textcircled{S}}$ pp. ana  $\text{\textcircled{E}}$ ij. flaved. Cort. Aurant.  $\text{\textcircled{Z}}$ *lb*. Bals. Peruv.  $\text{\textcircled{Z}}$ *lb*. Syr. flor. tunic.  $\text{\textcircled{Z}}$ iv. M. Utendi modus erat ut prioris, sed non idem effectus; alvina enim excretio per aliquot iterum dies ægrius successit, flatusque retenti phlogoses & pungitivum dextri hypochondrii dolorem excitarunt, ut quamvis adpetitu redeunte ventriculus ova sorbilia aliaque evpepta jam ferret, virium tamen incrementum vix senserit ægrotus. Usui itaque Electuarii interpositus fuit hic pulvis visceralis: Rec. Pulv. Cort. Peruv. stomach.

stomach. Birckm. sin. facch. ana 3j. Rhab. Or. 3ij. Pulv. Corn-nach. 3*fl.* Nitri purif. 3*iv.* Crystall. Tart. 3*j.* Lap. 5*o.* ppt. Matr. perlar. ppt. ana 3*fl.* Macis 3*j.* Sem. anis. 3*j.* flaved. Cort. Orant. 3*ij.* Ol. de Cedro gtt. v*j.* M. F. Pulv. Hujus usu alvus rite soluta fuit, flatum molestia & phlogoses ces-farunt, ventriculus bene se habuit, ut pauxillum vini Neccarini nullum ardorem aut sensibilem calorem crearet, & æger viribus redeuntibus, & carnoso corporis habitu, opinione citius recuperato, spatio 4. septimanarum plenarie convalesceret.

Postquam ergo hac ratione idem ille Clericus per semestre, integra sanitate gaudens, vixisset, ex vehementi iracundia & mentis mœrore concepto, nec non ex ingluvie acetariorum, denuo de ventriculi indigestione & prægravatione, oris siccitate, flatulentis, torminibus & alvi segnitie conqueri cœpit. Præscripsi primo pulverem sequentem, post meridiem & vesperi in aqua Cinnam. sin. vino ad sumendum: Rec. Pulv. antispasmod. 3*j.* Rhab. Or. 3*j.* Magnes. alb. 3*fl.* Cort. Peruv. 3*fl.* M. Exinde vero nihil levatus fuit, sed potius phlogoses, cum intercurrentibus horripilationibus, pulsus insimul celeritas, sitis, ardor & prægravatio ventriculi post quævis adsumta, & plenaria inadpettentia, pristinam ludi tragœdiam ipsi ægro persuadebant: ideoque ob alvum iterum pertinaciter suppressam sequens præscripsi Apozema: Rec. Fol. Senn. s. st. Passul. min. exaci-nat. ana 3*fl.* flor. Chamomill. vulg. p. j. Crem. Tart. Cort. Cascarill. ana 3*ij.* Sem. anis 3*fl.* Coqu. in aqu. simpl. q. s. ad remanent. 3*iv.* in quibus dissolv. Mann. Calabr. 3*vj.* Nitr. purif. 3*fl.* aqu. Cinnam. s. vin. 3*ij.* Syr. Rosar. sol. 3*fl.* M. Quum æger inde sexies blande & copiose purgatus fuisset, subjunxi Mixturam, ex aqu. Menth. 3*ij.* Millefol. Chamomill. ana 3*fl.* Cinnam. s. vin. 3*fl.* pulv. antispasmod. 3*iv.* Cort. Cas-carill. Rhab. Or. Conch. ppt. ana 3*ij.* Sal. Absynth. 3*fl.* Liqu. Astor. Pb. M. Vol. IX. U miner.

Lap.  $\text{\textcircled{S}}$ . ppt. ana 3*lb*. Corall. rubr. ppt.  $\text{\textcircled{E}}$ j. flaved. Cort. Orant.  $\text{\textcircled{Z}}$ *lb*. Bals. Peruv.  $\text{\textcircled{E}}$ j. Syr. Rosar. solutiv.  $\text{\textcircled{Z}}$ iv. M. dos. quater de die quantum duo cultelli cuspides capiunt. Nihilominus ardor ventriculi, aestus internus, & crebriores phlogoses acriter vigebant, & urina adhuc parcius reddebat, hinc sequentem præscripti Emulsionem: Rec. Semin. 4. frigid. major. ana  $\text{\textcircled{E}}$ j. Sem. Cannab. papav. violar. ana 3*j*. aqu. rub. id. Chamomill. millefol. menth. ana  $\text{\textcircled{Z}}$ *lb*. F.l.a. Emulsio, Colat. add. Nitr. purif.  $\text{\textcircled{E}}$ j. Gumm. arab. & tragac. ana  $\text{\textcircled{E}}$ j. aqu. Perlar. Syr. dialth. Fernel. ana 3*vj*. M.D. sæpius cochleatim, sic etiam hæc symptomata imminuta fuerunt; ast ancilla mihi retulit, adsumta juscula hordeacea indigesta plane per alvum fuisse dejecta, non sine ventris torminibus, ideoque ut tonus ventriculi & canalis alimentarii firmaretur: Rec. Extr. Calam. aromat. 3*j*. Cort. Cascarill. aquos.  $\text{\textcircled{E}}$ j. millefol. gentian. rubr. ana 3*lb*. Nitr. purif.  $\text{\textcircled{E}}$ j. solv. in Aqu. menth.  $\text{\textcircled{Z}}$ *lb*. M. dos. LX. gutt. bis de die. Hoc Elixirium ominosam illam lienteriam ex voto sustulit & æger jam ex usu juscotorum refectionem sensit. Supra memorato autem Electuari, quum paullo fortius alvum movisset, post ejus consumptionem aliud mitius & magis roborans substituendum censui, quod talis erat compositionis: Rec. Conserv. Menth.  $\text{\textcircled{Z}}$ *lb*. pulv. Cort. Peruv. 3*vj*. Cascarill. Rhab. Or. ana 3*vj*. rad. Zedoar. Nitr. purif. ana  $\text{\textcircled{E}}$ iv. Gumm. arab. Tragac. Lap.  $\text{\textcircled{S}}$ pp. ana  $\text{\textcircled{E}}$ j. flaved. Cort. Aurant.  $\text{\textcircled{Z}}$ *lb*. Bals. Peruv. 3*lb*. Syr. flor. tunic.  $\text{\textcircled{Z}}$ iv. M. Utendi modus erat ut prioris, sed non idem effectus; alvina enim excretio per aliquot iterum dies ægrius successit, flatusque retenti phlogoses & pungitivum dextri hypochondrii dolorem excitarunt, ut quamvis adpetitu redeunte ventriculus ova sorbilia aliaque evpepta jam ferret, virium tamen incrementum vix senserit ægrotus. Usui itaque Electuarii interpositus fuit hic pulvis visceralis: Rec. Pulv. Cort. Peruv. stomach.

stomach. Birckm. sin. facch. ana 3j. Rhab. Or. 3ij. Pulv. Cor-nach. 3ß. Nitri purif. ßiv. Crystall. Tart. ßij. Lap. S. ppt. Matr. perlar. ppt. ana 3ß. Macis ßj. Sem. anis. 3j. flaved. Cort. orant. 3j. Ol. de Cedro gtt. vj. M. F. Pulv. Hujus usu alvus rite soluta fuit, flatuum molestia & phlogoses cesarunt, ventriculus bene se habuit, ut pauxillum vini Neccarini nullum ardorem aut sensibilem calorem crearet, & æger viribus redeuntibus, & carnoso corporis habitu, opinione citius recuperato, spatio 4. septimanarum plenarie convalesceret.

Postquam ergo hac ratione idem ille Clericus per semestre, integra sanitate gaudens, vixisset, ex vehementi iracundia & mentis mœrore concepto, nec non ex ingluvie acetariorum, denuo de ventriculi indigestione & prægravatione, oris siccitate, flatulentius, torminibus & alvi segnitie conqueri cœpit. Præscripsi primo pulverem sequentem, post meridiem & vesperi in aqua Cinnam. sin. vino ad sumendum: Rec. Pulv. antispasmod. 3j. Rhab. Or. ßj. Magnes. alb. 3ß. Cort. Peruv. 3ß. M. Exinde vero nihil levatus fuit, sed potius phlogoses, cum intercurrentibus horripilationibus, pulsus insimul celeritas, sitis, ardor & prægravatio ventriculi post quævis adsumta, & plenaria inaduentia, pristinam ludi tragœdiam ipsi ægro persuadebant: ideoque ob alcum iterum pertinaciter suppressam sequens præscripsi Apozema: Rec. Fol. Senn. s. st. Passul. min. exaciat. ana 3ß. flor. Chamomill. vulg. p. j. Crem. Tart. Cort. Cascarill. ana ßij. Sem. anis 3ß. Coqu. in aqu. simpl. q. s. ad remanent. 3iv. in quibus dissolv. Mann. Calabr. 3vj. Nitr. purif. 3ß. aqu. Cinnam. s. vin. 3ij. Syr. Rosar. sol. 3ß. M. Quum æger inde sexies blande & copiose purgatus fuisset, subjunxi Mixturam, ex aqu. Menth. 3ij. Millefol. Chamomill. ana 3ß. Cinnam. s. vin. 3ß. pulv. antispasmod. 3iv. Cort. Cascarill. Rhab. Or. Conch. ppt. ana ßij. Sal. Absynth. 3ß. Liqu.

miner. anod. Hoffm. Eff. carmin. Wed. ana 3j. Succ. Citr. rec. 3ij. Syr. Cort. Orant. 3ß. Sub pastu insuper adsumsit gtt. LX. Elixir. balsam. in haustu apozematis diæterici, ex hord. passul. min. Succo Citr. & rub. id. Sic flatus quidem absque multo conamine succedebant, verum alvus semper sicca, ut plurimum per biduum suppressa, haud sine tenesmo & dolore lumbari ejusq[ue] scybalis induratis, permanxit. Quare molimina hæmorrhoidalia subesse ratus, clyisma domesticum injicere iussi, cui successerunt hæmorrhoides torminosa, decoloratae, spumosæ, quibus cum per aliquot dies indulsissem, opposui Apozema ex rad. Chin. Sassafrill. cichor. polypod. quern. ana 3ß. ras. Lign. Sassafr. Guaiac. ana 3j. anis. stellat. sal. Tart. ana 3ij. quarum specierum 3ß. cum mensura aquæ fuit decocta, addito post colaturam, ob ardorem ventriculi & suspectam febriculam lentam erraticam, sequente Julapio : Rec. Mucilag. Tragac. cum aqu. simpl. fact. 3ß. Syr. acetosit. Citr. rub. id. berber. papav. rh. de Cinnam. ana 3j. Nitr. purif. 3ij. M. Sic omnia successive evanuerunt symptomata, superstite tantum molesta alvi segnitie & ventriculi debilitate, cui tamen etiam medelam attulit Electuar. ex pulp. tamarindor. extr. 3ß. Conserv. Cochlear. 3vj. pulv. rad. Jalapp. fol. Senn. s. ft. ana 3i. Lign. Sassafr. flaved. Cort. Orant. ana 3j. Caryophyll. aromat. 3j. spir. nitr. dulc. 3j. Syr. rub. id. q. s. hac methodo iterum æger convaluit & celebrata postea consueta venæ sectione autumnali in pede, jam per 7. menses sanus & vegetus officio suo fungitur.

## OBSERVATIO XXXI.

Dn. D. WOLFFG. THOMAE RAU.

De

*Diversis speciebus motuum epileptico - convul-*  
*sivorum.*

Hortulanus Geislingensis uxor, 42. annorum, obesa, succi plena, in matrimonio sterili vivens, potui spiritus frumenti dedita, jam a 12. abhinc annis menstruum tributum stata quidem periodo, ast justo parcus exsolvit, quem defecatum vasa sanguifera exiliora quidem quodammodo arguant, ast mala articia, quæ ad menses cohibendos in juvenute adhibuit, absque dubio maximam partem effecerunt. Ab hoc tempore pathemata hysterica valde eam vexarunt, tandemque in adfectum spasmodico - convulsivum degenerarunt, cujus hæc est facies: Prægressis pandiculationibus & præcordiorum angustiis, totum corpus rigidum quasi fit & immobile, postea dextrum brachium versus humerum oblique extorsum incurvatur, ut musculi flexores cubiti & carpi indurati & constricti adpareant, non sine intensissimo ægræ dolore, quem ejulatibus prodit; remittit dolor simulac brachium vi quadam extenditur, sed statim fauces stranguantur & respiratio ad suffocationem usque intercipitur, atque tunc, irritis aliis, V. S. in brachio sinistro extremum est remedium. Post paroxysmum ægra omnium, quæ sub eo ab adstantibus acta fuerunt, conscientia est, & tantum de lasitudine corporis conqueritur, a medicamentis vero, ob gulae sensibilitatem, abhorret, & hinc nulla spes sanationis supersit, quamvis paroxysmi adeo frequentes non sint, si a potu spiritus frumenti abstineat ægra; simulac vero eundem

dein largius ingurgitat, statim vehementi paroxysmo crapulæ pœnas das. Alia foemina linteatoris Geislingenensis uxor 28. annorum, iracunda, hysterica & plethorica, menstruum tributum rite solvens, paroxysmo epileptico, post graves cum viro altercationes habitas, aliquoties decubuit, sub cuius initio ægra primo adscendentem quasi ex utero vaporem & faucium angustationem sensit; sequebantur postea pandiculationes, mox mens deficiebat, artus conveltebantur atque subtotius corporis, cum vociferationibus, agitatione, pollices in pugnum imprimebantur: accedente dein respiratione sonora, paroxysmus remisit, & ægra ad se rediens defiti & lassitudine conquesta est, immemor antea actionum; post breves autem inducias pristina ludebatur tragœdia, ita ut me præsente intra horæ spatum tres paroxysmos superaverit. Exhibitit selectioribus antispasmodicis & nervinis, qualia sunt Liqu. C. C. succinatus, mineral. anod. Hoffm. & Eff. Castor. itemque pulvis antispasmod. antiepilept. lumbric. terrestr. denique pilulæ balsam. cum Castoreo & aſa foetida ruptæ, per semestre paroxysmus emansit, nunquam forte reversurus, si mulier ista moderaminiſ adfectuum studiosior effet.

In Xenodochio Geislingensi foemina annorum aliquot ultra viginti, cachecticō - hysterica, rite alias menstruata, quæ biennio ab hinc in Nosocomio a scabie ferina liberata fuit, ex improviso horrendis convulsionibus corripiebatur. Administrata fuit in ipso paroxysmo venæfictio, (qeam aliquoties prætermisit) statimque ad se rediit ægra, ac datis postea, in forma mixturæ, antea nominatis medicamentis, haſtenus per Dei gratiam a malo hoc immunis vivit.

Puella sex annorum, pusilla & tenera, convulsiva dextri brachii agitatione, ſæpius recurrente, laboravit, corpore tunc rigido & immobili manente. Ob nauseosam ejus re-luctationem nulla medicamenta eidem exhiberi poterant, præter-

præter Liqu. C. C. succinatum, anod. min. Hoffmanni & Tinct. Tart. quibus Extr. helleb. nigr. ob vermium suspicione, admiscui, non sine felici successu: successive enim malum remisit, tandemque puellam penitus deseruit. Alia puella 10. annorum, præcedente terrifico corporistremore, sæpius convulsivis artuum agitationibus concussa fuit, absque tamen pollicis in pugnum intrusionem, aut oris spuma; extra paroxysmum adpetitus ad frigida & lacticinia maxime ferebatur, adspectu erat pallida, oculique torvi & rigidi adparebant, ac de dolore morsicante circa umbilicum interdum conquerebatur. Nata hinc fuit justa de latentibns vermis suspicio, nec fecellit me conjectura: exhibito enim pulvere anthelmintico, ex pulv. Cornachino, ad Verm. Aug. antispasmod. Musc. Corallin. C. C. ust. æthiop. mineral. myrrh. Sem. santon. alb. & bals. Peruv. lumbricus ex terebratum genere, longitudine dimidiæ ulnæ, cum multis minoribus suæ profapiæ per alvum fuit expulsus, tandemque sub juncto usu sæpius laudati Liqu. C. C. succinat. anod. Hoffm. & Ess. Castor. nec non pil. balsamicar. cum Extr. panchym. Croll. & mercur. dulc. a motibus convulsivis plenarie liberata fuit.

## OBSERVATIO XXXII.

Dn. D. WOLFFG. THOMAE RAU.

De

*Vetulis menstruatis.*

Honesta matrōna, sanguine mihi juncta, 80. annorum, integris adhuc externis & internis sensibus gaudens, cessantibus XLVII<sup>mo</sup> ætatis suæ anno mensibus, siccios habuit ab hoc tempore rivulos genitales, usque dum LXXI<sup>mum</sup> annum complevisset: Tunc autem denuo sanguis ex genitalibus ipsi

stillavit, parcus quidem, ast sine intermissione, ut per novem annos vix tridui spatio siccum plane habuerit sinum muliebrem; & ubi hoc quandoque contigerit, semper fere Erysipelas faciei, cum scotomia, somnolentia & sensuum hebetudine, haud sine metu apoplexiæ, accessit. Sumto autem Rob Juniperi, ipsi in hoc casu euporisto, discussum fuit Erysipelas, fluxusque rediit, a quo nullam ceteroquin patitur noctam, quam quod corpus antea obesum jam sensim contabescat, ut brevi subsecuturum marasimum senilem eidem ominatus sim. Venæ sectionem annuam, antea consuetam, ex consilio Medici cuiusdam sub initio hujus fluxus omisit, nec ego, ab ea postea in consilium vocatus, aliter sensi, quum eodem illo sufficientem sanguinis jacturam patiatur, atque ideo hæc artificialis sanguinis ventilatio majori cum fructu in casu necessitatis, & accedentibus post ejus suppressionem apoplexiæ prodromis, administrari queat.

Alia mulier, sexagesimum nonum ætatis annum agens, catameniorum fluxu consueto tempore finito, ab eo immunitis fuit, usque dum septuagesimum septimum annum attigisset, a quo tempore sanguis iterum periodice quavis quarta septimana per quatriodium circiter ex genitalibus prodiit, ast sine euphoria, potius cum valetudinis damno: pedes enim oedemate jam gravantur, & abdomen lento gradu tenditur & intumescit, urinæ mictio imminuitur, alvus sicca evadit, & flatus retinentur; paucis, tympanites cum ascite complicata præsto est, quod rebelle malum ægram, omnia medicamenta respuentem, tandem jugulabit. In utraque ceterum muliere non semper sanguis sincerus, sed tenuis & ichorosus, cum molesto quandoque genitalium pruritu, sedicit, ob scorbuticam procul dubio humorum dyscrasiam, cui maxime adscribendum est, quod oscula vasorum uteri, in ætate senili crux rubicundo alias haud pervia, hinc inde erodantur. Idcirco etiam non tam naturalibus catameniorum

rum causis, quam acrimoniae & salsedini massæ sanguineæ ejusmodi rariores sanguinis excretiones, quarum plura exempla exhibet Excell. Georg. Franck de FRANCKENAU, in *Satyr. med. VI.* p. 96. adscribendæ sunt.

*OBSERVATIO XXXIII.*

Dn. D. WOLFFG. THOMAE RAU.

De

*Lochiorum defectu plenario in quinque puerperiis,  
tandem in maniacum furorem desinente.*

Quos in præcedenti Observatione de naturæ in excretiō-  
nibus sanguineis luxuria recentiū binos casus, merito  
excipit aliis, de ejusdem in hoc negotio defectu. Rustici  
nempe uxor, 35. annorum siccioris & stictioris corporis  
habitus, a primis pubertatis annis mensium vel anomalia,  
vel plenaria suppressione, atque inde procul dubio emergen-  
tibus melancholico - hysteris pathematis laboravit: ma-  
rito vero nupta, in quinque puerperiis utero haud purgata  
fuit, ita ut de lochiis vix ullum indicium comparnerit. Ul-  
timo vero puerperio exantlato menses per 20. hebdomadas  
plane suppressi fuerunt, calor vero & intestina agitatio hu-  
morum adeo increvit, ut in furorem rapta, nemine id anim-  
adverteente, ex improviso in puteum ædibus suis vicinum se-  
se præcipitaverit. Quum vero vicinorum auxilio ex eo elu-  
stata, atque sic ex orci fauibus erepta fuisset, meticulosis &  
torvis oculis adstantes adspexit, & paullo post labores suos  
consuetos domesticos, quasi re bene gesta, continuavit, tan-  
tum de siti & pandiculationibus hysteris conquesta. Ad  
eam vocatus, Venæsectionem in pede, diætam refrigeran-  
tem & humectantem, cum medicamentis temperantibus an-  
ti-

tispasmodicis & aperitivis, ordinavi, quibus per aliquot hebdomadas adhibitis, copiose menstrua fluxerunt, instar hæorrhagiae uteri, & sequenti quoque periodo redierunt, ut jam sic satis bene degat hæc mulier.

## OBSERVATIO XXXIV.

Dn. D. WOLFFG. THOMAE RAU,

De

*Noxio succi Sempervivi in puerpera usu.*

**C**auponis cuiusdam uxor, post partum difficilem, primis puerperii diebus utero rite purgata fuit, & absque conspicua febre lactea satis bene se habuit. Cum vero suasu sciolæ obstetricis potui aquæ simplicis, injecta crusta panis tosta quodammodo medicatæ, succum Sempervivi, seu Sedi majoris, largiori manu addidisset, adsumptis vix aliquot hau-stibus hujus miscelæ, lochia plenarie ipsi substiterunt, subsequente horrore, calore, siti intensa, præcordiorum anxietate, cephalalgia, alvi siccitate & abdominis inflatione. Administrata tamen, coindicante sic pulsus plenitudine, venæctione in pede, atque adsumptis pilulis balsamicis & mixtura temperante, antispasmodica, carminativa & leniter bezoardica, ex aqu. meliss. rub. id. Cinnam. sin. vin. pulv. antispasmod. cephal. Mich. bezoard. minor. Wedel. Magnes. alb. Tinct. rhabarb. aquof. Eff. Succin. & Castor. Liqu. min. anod. Hoffm. & Syr. flor. Tunic. composita, bidui spatio cuncta hæc symptomata cessarunt, fluxus lochialis restitutus fuit, & per reliquum puerperii tempus optime dein se habuit.

OBSEVER.

## OBSERVATIO XXXV.

Dn. D. WOLFFG. THOMAE RAU.

De

*Contractura sinistri pedis in puerpera, ex suppressis lochiis.*

**U**xori rustici cuiusdam, cachecticæ, post infelicem partum, quo manu cuiusdam balneatoris foetus mortuus extractus fuit, lochia parcius primo fluxerunt, mox penitus suppressa fuerunt: quo facto non solum ex minima corporis motitatione acutum in coxendice sinistro dolorem sensit, sed ob tibiam quoque ejusdem lateris retro femur contractam, & genu rigidum & inflexible redditum, pedi nequidem insistere, multo minus ejus adjumento obambulare potuit, accidente simul duritie in sura, cum maculis hinc inde in tibia & femore livido - fuscis. In consilium ergo vocatus, usum balnei acidularum Überkingensium suasi, quarum visitatio inter officii partes a Perillustri Senatu Ulmensi mihi demandata est. Paruit ægra, & quotidie bis, cum necessario regimine, tali infessit balneo, juncto semper post ejus usum, ob incipientem partis adfestæ ariduram, linimento ex ungu. nervin. & populeon. ana ʒiſ. ol. lumbric. terrestr. ʒi. spirit. formicar. & Vin. camphorat. ana ʒiſ. ol. destill. majoran. & succin. ana gtt. vi. Interne ad uterum purgandum & menses, exantlato puerperio, instaurandos, adsumsit quotidie Elixir, aperitiv. Claud. cum Eff. Succin. pimpinell. & Tinct. antimon. acriremixtum, subjunctis simul pilul. balsam. cum mercur. dulc. & sale volatili C. C. nuptis, & ol. destill. caryophyllor. aromatisatis. Effectus ex horum usu fuit sati felix: menstruo enim spatio non solum catamenia rite fluxerunt, verum etiam durities & maculæ livido - fuscæ,

procum dubio a sanguine lochiali per metastasis in pede collectæ, penitus disparuerunt, atque mulier hæc pristinam ambulandi potentiam ex voto recuperavit, ut jam absque omni fulcimento libere incedat, parum tantum claudicans; nec ulla mihi subest dubitatio, reiteratum, proximo Vere, balnei ejusdem fontis salubris Überkingensis, usum, hanc quoque molestiam plenarie sublaturum esse.

### OBSERVATIO XXXVI.

Dn. D. WOLFFG. THOMAE RAU.

De

*Lethali ischuria cum vesicæ urinariæ inflammatione.*

Miles præsidiarius Ulmensis, in pago Aufhausen statio-  
nem suam habens, LXVI. annorum, tenesmo vesicæ  
& mictioni pultaceæ sæpe obnoxius, post hæmorrhoides  
coecas subito iterum disparentes atque in vesicam urinariam  
translatas, plenariam expertus est ischuriam, quam presso  
pede excipiebat penis & scroti ingens tumor & rubedo, cir-  
ca vesicæ urinariæ regionem in pube & hypogastrio quoque  
conspicua: jungebatur calor, sitis, ardor internus, alvi  
constipatio, agrypnia & inanis ad mingendum irritatio; at-  
que ita misere excruciatuſ æger per quatuor dies absque  
omni auxilio decubuit. Ego tandem cum Chirurgo accitus,  
præter enarrata symptomata, ægrum inveni summe debi-  
lem, & anxie respirantem, cum pulsu celeri, parvo, con-  
tracto. Omnibus penitatis, quum rebus sic stantibus ca-  
theterismo nullus esset locus, clyisma extemporaneum, ex  
laete vaccino, butyro, vitello ovi & tantillo salis communis  
injicere, partibus vero inflammatis Cataplasma de mica  
panis

panis Chirurgum applicare jussi, simulque interne Emulsionem ex Seinin. 4. frigid. major. Card. Mar. & papav. cum aqu. rub. id. Ceras. nigr. Scord. Chærefol. factam, addito antimon. diaphoret. & Syr. papav. alb. saepius cochleatim adsumendum ordinavi. Sic elapsis 12. circiter horis urina sponte quidem & magna in copia prodiit, ast sine euphoria & minime ex relaxato sphincteris spasmo & discussa ejusdem & adjacentium partium inflammatione, sed potius ex sensatione, ob lethalem in partibus affectis incipientem necrosin, sublata, altero enim die, sub vehementibus in regione hypogastrii doloribus, placide expiravit,

### *OBSERVATIO XXXVII.*

Dn. D. WOLFFG. THOMAE RAU.

*Improvida & noxia Arsenici applicatio in favo capitis.*

Puella rustica 14. annorum, defluxionibus serosis ab ipsa infantia obnoxia, favo capitis diu defœdata, atque a pediculis, ingenti in copia a pabulo ulcerum manantium enutritis, valde vexata fuit. Hinc ejus noverca ad eosdem enecandos pulverem contra pediculos (*Laus-Pul-ver*), sub cuius nomine rustici semen staphidis agriæ subintelligunt, e pharmacopolio petiit: Pharmacopœus vero ex errore intelligit pulverem arsenici albi, qui rusticis vulgo pulvis contra mures (*Maus-Pul-ver*) audit, ejusque 3ij. quæ ordinarie pro uno Crucigero venales prostant, exhibuit. Accepto arsenico, quum ejus dimidium, cum butyro frixo subactum, noverca per ancillam puellæ capiti inungi curaverit, paullo post subsequebatur immanis cephalalgia, sitis, difficultas deglutiendi, faucium inflammatio, inanes vomendi conatus,

tus, anxietas pectoris, virium dejectio, quibus ingravescentibus consilium tandem a me petebatur. Erroris commissi a Pharmacopœo certior factus, præscripsi emulsionem saepius cochleatim adsumendam: Rec. Amygd. dulc. exort. ʒiſ. Sem. 4. frigid. maj. ana 3ij. aqu. Cerasor. nigr. flor. Sam buc. ana ʒiv. F.l. a. Emulſio add. Sperm. Cet. rec. 3ij. ol. amygdal. dulc. rec. ʒiſ. mucilag. sem. Cydonior. & gumm. Tragacanth. cum aqu. Rosar. fact. ana ʒiſ. Theriac. Androm. ʒij. Syr. papav. alb. 3vj. M. Ad spicula arsenicalia obtundenda & involvenda, itemque ad dolorem moderandum, caput inungere jussi sequente Unguento: Rec. Unguent. alb. camphorat. Ungu. ad pediculos ana ʒiſ. Linimenti simpl. ol. jasmin. ana ʒiſ. bals. Peruv. ʒij. M. Ad os colludendum & fauces ab inflammatione defendendas, præscripsi mellis rosac. rob. diamor. ana ʒiſ. Lap. prunell. ʒij. M. admisc. aquæ simplici pro Gargarismate; sitim vero restinguere jussi lacte recenti vaccino. His sedulo adhibitis, tridui spatio omnia cessarunt symptomata & enecato (forte a veneno arsenicali) toto pedicularum agmine, puella tantum de dolore periodico capitinis conquesta fuit, qui, continuato usu prioris unguenti, successive tandem evanuit. Quia vero per quatuor dies ab inunctione arsenicali alvus adstricta mansit, hinc eandem sequente referavi potionem laxativa: Rec. Mann. Calabrin. ʒj. Crem. tart. 3j. solv. in decoct. Tamarindor. ʒij. add. resin. Jalapp. cum vitell. ov. solut. gr. iv. aqu. Cinnam. sin. vin. ʒij. Syr. cort. aurant. ʒij. post cujus adsumptionem quinque dejectionibus alvus cum euphoria fuit soluta, & puella brevi perfecte convaluit, manantibus tantum copiose ulceribus capitis pro quorum aliquali exsiccatione pulverem ex rad. Aristol. rot. Irid. Flor. ana ʒiſ. Mastich. oliban. Succin. ana ʒj. Tut. præparat. Nihil. alb. Ceruss. Nor. ana 3ij. subinde inspergere jussi.

(Geislinga Norimbergam missæ d. 20. Julii, 1748.)

OBSER-

## OBSERVATIO XXXVIII.

Dn. D. JO. PHILIPPI WOLFFII.

De

*Anasarca cum febre quartana duplii, in gravi-  
da, feliciter curata.*

Fabri cujusdam ferrarii uxor, septem & viginti annos na-  
ta, antea sat robusta & lacertosa, filiolum per totius  
ferme anni decursum lactans, languorem corporis virium-  
que aliqualem imminutionem sentiebat, eaque propter men-  
se Majo ann. præt. ut vigorem pristinum citius & facilius  
recuperaret, filiolum ablactavit. Spem autem frustrabatur  
successus, siquidem periodus tributi lunaris, antea extra la-  
tationis tempus solemnis, non unica tantum, sed sexta vice  
sicco plane pede præteribat, insuperque tussis admodum  
molesta, cum extenuatione corporis, respiratione difficult &  
dolore lateris dextri in regione hepatis, accedebat. Neque  
etiam hæ afflictiones, consumtionem hecticam omnino mi-  
nitantes, diuque perpetim uno in gradu perseverantes, suf-  
ficiabant, sed sub finem Octobris superveniebat adhuc fe-  
bris, eaque intermittens, de qua tamen non exacte indica-  
re queo, cui classi speciali a primordio invasionis annume-  
randa fuerit, quoniam serius in auxilium vocatus fui, post-  
quam ea per integras sex hebdomades jam jam duraverat;  
neque etiam ab adstantibus certi quicquam de ejus typo com-  
perire potui, utpote qui eundem statim ab initio anomalum  
fuisse referebant, in progressu autem, post aliquot hebdo-  
mades, se demum observasse adserebant, quod binos dies  
febriles unicus tantum intermedius, sine febre transiens,  
excepérat & adhuc dum excipiat, ita quidem, ut altero die  
plus frigoris quam aestus, altero vero plus aestus, quam fri-

goris, sentiat; sub horrore sitis intensior, unatum tussi admodum gravi, per totum paroxysinum durante, ægram adfligit, cuius vehementia insimul urina, sub molestissimis doloribus, citra voluntatem expellitur; hactenus pedes tantum occupaverat tumor œdematosus, nunc autem universum corpus tumore seroso, seu hydrope anasarca, infestatur, mammæ vero flaccidæ conspiciuntur. Quoniam etiam insuper crebriores borborygmos, motui foetus non plane absimiles, licet nondum exquisite talem æmulantes, ægra sentit, hinc in sextum usque mensem gravidam se se esse autumat, quumque id non plane improbabile mihi videretur, tutiorem in methodo medendi eligendam esse viam ratus, sequentem in modum eandem adornavi. Ad sitim restinguendam & tussis vehementiam mitigandam, die 16. Decemb. quo primum vocatus fui, sequens, potus ordinarii loco adhibendum, præscripsi decoctum: Rec. Radic. cichor. enulæ, lquiritiæ ana 3*fl.* Rasur. Corn. Cerv. 3*ij.* Sem. anisi 3*ij.* Concisa & contusa misceantur, & dimidia pars cum hordei mundati manipulo uno in binis mensuris aquæ fontanæ ad crepaturam hordei coquatur. Pro obtainenda vero humorum seroforum, in universo corporis habitu stagnantium & extravasatorum correctione & evacuatione, Infusum hocce per epicrasin laxans præscripsi: Rec. Radic. bryon. polypod. trifol. fibrin. ana 3*ij.* Folior. Sennæ sine stipit. 3*vj.* herb. Fumar. Trifol. fibrin. summitat. centaur. minor. ana manip. dimid. semin. anisi, foenicul. ana 3*ij.* Tartar. vitriol. 3*ij.* Concisa & contusa misceantur, cum quarta parte mensuræ aquæ ferventis infundantur, & post refrigerationem una vini mensura addatur, stentque sic per nycthemerum, & quotidie postmodum 3*vi.* matutinis horis adsumantur. Sub usu vini hujus medicati ingentem quantitatem humoris aquosæ ægra non solum per alvum, sed & per vesicam excrenebat, simulque urinam absque ullo incommodo & dolore retine-re,

re, atque urgente necessitate pro libitu libere reddere vallebat, tanto quidem cum exoptato successu, ut etiam febris, indies remissior redditia, tandem die 12. Januar. ann. curr. plane cessaverit. Quo plus igitur serosi humoris per alvum & vesicam evacuabatur, eo magis quoque tumor hydropicus subsidebat, siquidem modo dicto illo die cum febre omnis quoque tumor hydropicus profligatus erat, exceptis tantum pedibus, qui aliquali adhuc cedemate, gravidis, in ultimis gestationis mensibus constitutis, alias quoque familiari, obseSSI deprehendebantur; tussis autem nondum cessabat, longe tamen mitior erat, adpetitus quoque cum somno redibat, unde vires magis magisque augebantur, ut lectum tandem relinquere & negotiis domesticis iterum vacare potuerit ægra. Tunc etiam simul certior de vera reddebatur graviditate, siquidem, subsidente in toto corpore tumore hydropico, abdomen prætumidum durumque permanxit, motusque foetus vegeti satis distinctus tactu percipiebatur, unde ad tollendas morbi reliquias sequentis Mixturæ guttulas XL. bis vel ter de die adsumere jussi: Rec. Tinct. antimon. tartarif. Essent. Vincetox. Gent. rubr. Succin. ana 3ij. M. D. ad Vitr.

Restituto sic adpetitu & somno, viribusque ex voto recuperatis, nil nisi tussis, cum mammarum flacciditate, restabat; foemina vero ista, his non obstantibus, quum de reliquo satis integra frueretur sanitate, domicilium mutans, mense Februar. a. c. in pagum vicinum cum familia sua migravit, ubi etiam d. 2. Martii filiolum vivum & bene valentem, partu legitimo & facili enixa fuit. Ab eo vero tempore, tussi magis magisque increbescente, ob latitatem procul dubio puimonum graviorem labem, denuo corporis invalescebat extenuatio, cum virium manifesto decremento, ita ut intra aliquot hecdomadum spatium, accedente febre heptica, extincta tandem fuerit.

## OBSERVATIO XXXIX.

Dn. D. JO. PHILIPPI WOLFFII.

De

*Singultu hysterico ab insomnio terrifico excitato.*

Conjux cujusdam administratoris aulæ, triginta annorum, gracilioris corporis constitutionis, ceteroquin vegeta atque sana, quatuor etiam liberorum mater, temperamenti cholericō - melancholico, ira facile excandescens & passionibus hystericis frequentioribus obnoxia, proxime elapsō anno, die 29. Januar. optime antea valens, consueto alias tempore secure lectum petit, media autem nocte ab insomnio anxiō & terrifico turbata evigilat, summamque statim angustiam præcordiorum, continuis ruſtibus atque singultu perpetuo, cum metu subitanæ suffocationis, stipatam sentit. Catamenia haetenus ordinem & modum debitum servarunt, ægraque in diaeta nullum commisit errorem, alvi vero obstructione ſæpius laboravit, quæ in præsentiarum quoque per tres dies jam clausa erat. Prima ergo luce in auxilium vocatus, ante omnia sequens, pro obtinenda alvi reſeratione, injicere jussi enema: Rec. Specier. emollient. manip. ij. flor. Chamom. manip. j. baccar. Laur. exorcicat. 3ij. semin. anisi 3ß. Concifa & contusa misceantur, atque diuidia pars cum ſufficiente quantitate aquæ fontanæ coquatur, colaturæ ſalis culinaris & butyri recentis ana 3ß. addatur & applicetur. Ad ipsam autem illam vehementē ſpasmodico - convulsivam diaphragmatis conſtrictionem, in qua unice singultus, ægram hancce tam graviter adſfigens, conſiftit, provide moderandam, alternis horis bina cochlearia ſequentis mixturæ antiſpasmodicæ præbere jussi: Rec. Aquæ hirun-

hirundin. cum castor. florum chamom. ana ʒij. Elixirii Camphoræ ʒs. Castorei, cinnabar. nat. depur. nitri depur. ana ʒj. syrup. Card. bened. ʒs. M.

Postquam igitur ægra clysterem injectum per tres horæ quadrantes retinuerat, alvus aliquoties reserebatur, circa meridiem quoque sequentis diei 30. Januar. cum eandem iterum inviserem, neque de singultu, nec de angustia præcordiali aliove incommodo amplius conquerebatur. Nihilominus tamen, si forsitan etiam flatus, quorum præsentiam ructus crebriores, præterita nocte cum magno impetu erumpentes, indicare videbantur, in ventriculo & intestinorum canali adhuc latitarent, illos sequente haustulo laxante exturbare intendebam: Rec. Massæ Pilular. balsamic. ʒj. solvantur in aquæ seminis anisi ʒj. addantur tartar. vitriolat. ʒs. syrup. Rosar. solut. ʒj. M. D. ad Vitr.

Hoc ita una vice adsumto, subjuncto que infuso Theæ, cum circa vesperam alvus tamen clausa maneret, jussi demum ut binas adhuc drachmas Salis Epsoniensis, in aqua fontana solutas, superingereret, quo factò bis solvebatur alvus, omniaque penitus evanescabant symptomata. Sequente die equidem denuo recurrentem aliquam persentiscebant præcordialem angustiam; quum vero & ad hanc tollendam, & ad molestissimi singultus recursum avertendum, priorem mixturam, die 29. Januar. præscriptam, aliquoties iterum sumisset, in totum omnia conquiererunt symptomata, ipsaque ægra a permolesto & sontico tali malo prorsus liberata, insimulque hac ratione iterata vice eximia Camphoræ & camphoratorum virtus, quam in affectibus ex terrore subortis saepius jam expertus fueram, comprobata mihi fuit.

## OBSERVATIO XL.

Dn. D. JO. PHILIPPI WOLFFII.

*Status summe morbosus gravidæ, citræ noxam geomellorum in utero gestatorum, feliciter tandem devictus.*

Fœmina 34. annorum, strigosi corporis habitus & chole-  
rico-melancholici temperamenti, ordinatum & regula-  
rem haetenus menstrui fluxus successum experta, ante no-  
vem menses, & quod excurrit, virgo adhuc, scriuario ju-  
veni nupsit, statim vero, in initio matrimonii, prima vice  
imprægnata, vix per unum alterumve, ab eo tempore,  
mensem negotia sua domestica rite peragere potuit, quin  
potius illico variis molestissimis adfligebatur morbosis insul-  
tibus, intenso nempe capitis dolore, nausea, vomituque per-  
petuo, qui etiam tanta cum violentia miseram torquebat,  
ut ipsum sanguinem floridum, larga in copia, sub eo simul  
rejecerit, ipsumque etiam sputum, quod exscrebat, itidem  
cruentum adparuerit. Omnia hæc symptomata venæfæctio-  
ni, tempestive satis institutæ, neutiquam cedeabant, sed per-  
tinaciter continuando sub progressu graviditatis non solum  
magis ingravescebant, sed & aliis adhuc accendentibus gravio-  
ra reddebantur, siquidem ingens successive pedes occupavit  
tumor œdematosus, ingressum summe difficilem reddens,  
cui macies summa, faciem, brachia & thoracem occupans,  
se se dein jungebat, dum interim abdomen prægrande pro-  
minens, supra genitalia, quæ simul admodum tumida erant,  
propendebat, & hæc caterva malorum una serie usque ad  
diem 4. Maii ann. curr. continuabat, quo die misera hæc,  
quæ haetenus solum remedia domestica in usum traxit, ob  
aquæ

aquæ sanguine tinctæ ex utero effluvium, horrorem insig-  
nem, tremorem artuum, in primis pedum, & anxietatem  
præcordialem cum doloribus lumborum, dum insolita hæc  
symptomata metum ipsi incutiebant, de foetu ante partum  
forsitan morituro, tandem vesperi opem meam efflagitavit.  
Sub primo statim introitu horrorem hunc, tremorem & do-  
lores lumborum, ad uterum se extēndentes, veros esse pro-  
dromos partus instantis denunciavi, idque eo magis, quo fre-  
quentior aderat stimulus ad mingendum & desidendum, ob-  
stetrix quoque de situ naturali foetus me certiore reddebat.  
Itaque parturientis animum, fere dejectum, spe felicis adhuc  
expectandi eventus prius erigebam, utque ex parte quoque  
sua nihil negligenter, blande hortabar. Deinde ad vires ali-  
qualiter excitandas, sequentia in- & externa præscribebam  
analeptica: Rec. Aquæ meliss. flor. chamom. ana ʒij. aqu.  
cinnamom. cydoniat. ʒj. syr. cortic. aurantior. ʒs. Succin.  
præpar. cinnabar. nativ. depur. ana Ʒj. Misceantur & par-  
tim naribus odor excipiatur, partim etiam temporibus &  
carpis manuum linteamina madefacta imponantur. (\*)

Die 5. Maji, postquam præcedente nocte dolores & co-  
natus ad partum magis aucti fuerunt, hora sexta matutina  
filiolum vivum feliciter enixa fuit; obstetrix autem adseve-  
rabat, alium adhuc vivum foetum in utero restitare, cuius  
motum & membra sat distincte sentire posset, quemadmo-  
dum etiam exclusionem istius filioli neque sanguinis lochia-  
lis effluvium, neque secundinæ sequebantur, puerpera ve-  
ro nullos amplius dolores persentiscebatur. Ligato igitur fu-  
niculo umbilicali filioli debiteque abscisso, parte autem alte-  
ra ex utero propendente ad femur firmata, sequentem mix-  
turam successive adsumendam præscripti: Rec. Aquæ pu-  
leg. melissæ, menthæ, cinnamom, buglossat. ana ʒis. cinnab.  
nativæ depur. trochiscorum de Carabe ana ʒs. borracis Ve-  
netæ Ʒij. Syrup. cort. aurantior. ʒs. M. D. ad Vitr.

Die 6. Maji dolores quidem redibant, sed absque sufficiēte nisu mox iterum evanescebant, situs quoque fœtus præternaturalis notabatur, unde suadebam, ut puerperam jusculis nutrientibus reficerent & in lecto quiescere concederent, obstetricem vero instruebam, ut genitalia linteaminibus, lacte calido imbutis iterumque expressis, tepide foveret, ne tumor magis forsitan ingravesceret.

Die 7. Maji situs fœtus minus vitiosus erat, quam hesterno, & caput versus orificium uteri appropinquabat, virium autem summa aderat prostratio, nullosque ad partum necessarios dolores puerpera sentiebat. Obstetricem igitur, ut caput in situm naturalem modeste redigeret, hortatus sum, atque virium & dolorum defectui tali succurrebam Mixtura: Rec. Aqu. cerasor. nigror. buglossæ, melissæ ana 3ij. aqu. cinnamom. borraginat. 3j. pulv. hepatis anguillæ, nitri depur. ana 3ij. borracis Venetae 3ij. Confect. Alkermes incompl. 3j. syrup. acetosit. citr. menth. ana 3ij. Misceantur & frequentius aliquot cochlearia porrigantur.

Redeuntibus igitur quadantenus viribus, cum post meridiem sponte e lecto surgeret puerpera, dolores & horrores frequentiores ceu indubia signa partus instantis, iterum notabantur, qui quoque dein versus crepusculum absque intermissione continuantes, tandem effecerunt, ut hora decima vespertina, adeoque tertio demum die post priorem partum, filiolam itidem vivam felici partu excluserit. Quamprimum ergo hanc placenta uterina, quam bini hi infantes in utero communem habuerunt, cum binis funiculis umbilicalibus, firmiter eidem adhuc adhærentibus, secuta fuit, statim lochiorum quoque fluxus rite succedebat, & puerpera hæc, post tot tantasque perpeſtas ærumnas, non solum mater binorum infantum facta, sed & hi ipsi sani & vivi in lucem editi fuerunt, ac licet filiola, procul dubio ob nutrimenti necessariū defectum, elapsa vix octiduo, e vivis iterum

rum disceiserit, filiolus tamen, in hunc usque diem adhuc superstes, optima & illibata fruatur sanitate.

De reliquo equidem, quum primo statim die post ultimum partum, per exiguum licet temporis spatium, lectum desereret puerpera, lochiorum illico subsistebat fluxus, subsequente simul horrore & æstu, cum alvi obstructione; ast, prævia clysteris injectione, saltem infusum florum Cheiri calide subinde sorbillare, & quarta qualibet hora dosin sequentis pulveris exhibere jussi: Rec. Antimon. diaphor. 3j. borrac. Venet. 3ʒ. cinnabar. antimon. depur. nitri depur. ana 2j. M. F. Pulvis, divid. in vj. part. æqu. Sic altero statim die redeunte lochiorum fluxu, febriles non solum evanuerunt commotiones, sed & ipsa puerpera, restitutis per diætam congruam viribus, firmiore nunc, quam unquam alias, gaudet sanitate.

(Rüdenhusa Halam missæ d. 6. Augusti, 1748.)

## OBSERVATIO XLI.

Dn. Lic. CHRISTIANI FRIDER.  
JOERDENS.

### *Fractura tibiæ lethalis.*

Illustris quidam regius negotiorum administer, 60. annorum, bono corporis habitu præditus, &, præter podagram quandoque ipsum afflagentem, a longo tempore nullo morbo subjectus, in itinere e carpento, quod ab equis, turbato e sede suo rhedario, velocissimo cursu proripiebatur, saltu forti periculo imminenti se se subtrahere tentabat, sed infelici sidere fracturam in pede dextro cum vulnere, prope articulationem supra malleolum, patiebatur. Repositione fracturæ legitime facta, brevi post vulnus pus copio-

sum fundebat, ita, ut ligaturas sæpius relaxare & deligationes solito frequentius reiterare opus fuerit, præcipue, dum ligatura strictior, ob magnum humorum affluxum, inflammationem gangrænamque minitantem, minime locum habere videbatur. Elapsis tribus mensibus fistulosum evadet ulcus, quod, præter vulnus primarium, quatuor alia ostendebat orificia, quorum unum in parte externa fracti ossis fibulæ conspiciebatur, omnia vero injectionibus balsamicis institutis communicationem inter se prodebant. Incisione, vel reformidante ægro, vel metu hæmorrhagiæ, a læsione forsan arteriarum non evitanda orituræ, intermissa, varia ab empiricis commendata remedia adhibebantur, e quibus notari meretur rusticæ dissito loco accersiti curatio per annum continuata. Hic enim, præter interne exhibita, externe sevum vel cervinum, vel aliud quoddam, qualibet instituta deligatione immittebat ulceribus, atque Unguentum e vegetabilium succis & gummatibus, in cerevisia triticea solutis, œdemate pedis jam præsente, frigidissime applicabat, hocque remedium quovis quarto, vel quinto die renoyabat, donec separatis pluribus osseis particulis ex aper- turis protractis, hæc ipsæ partim coibant, aliæ vero denuo, prægressis prius motibus febrilibus, oriebantur, & omnes tandem consolidabantur, præter earn, quam primarium vulnus reliquerat; hæc enim in sordidum ulcus convertebatur, & partim saniem tantum, partim fœtidam materiam, ramentis aut festucis osseis interdum mixtam, cum inflammatione pedis, sub novis motibus febrilibus, reddebat. Elapso anni dimidio rusticæ hujus curationis, lympha quædam, quandoque sanguine tincta, præputium inter & glandem penis prodire incipiebat, quæ tandem dolorem urentem & excoriationem inducebat; subsequebatur in inguine dextro tumor & prope radicem dorsi penis tuberculum scirrhosum. Varia a variis adhibebantur remedia incassum. Chirurgus voca-

vocatus iterum ex ulcere pedis notabile frustum cariosi ossis extrahebat. Cachexiæ præsentiam indicabant utriusque pedis oedemata, superveniebant dolores arthritici, motibus febrilibus juncti, defectus somni & appetitus, tumores in inguine dextro & in penis dorso indies magis dolorosi, inæquales, diverse colorati, & in margine duriores evadebant, tandemque excoriabantur, præcipue inguinalis e parvis aperituris aquosum, fœtidum, sanguineque coagulato mixtum liquorem fundebat, quæ aperturæ omnes in unam coibant, cuius orificium digitum minorem admittebat & profunditate ad longitudinem digiti accedebat. Sudores colliquativi denique, de febre putrida testantes, mortem brevi secutram annunciatabant, quæ etiam omni miseriæ imponebat finem.

### Scholium.

1) Ex hoc casu patet, quantum negotiū pareat fractura cum vulnero, præsertim in subjecto humoribus abundante, in quibus jam acrimonia præsto est, cuius præsentiam testatur podagra, cui æger noster quandoque obnoxius fuit: Prohibet enim humorum affluxus & copiosior suppuratione atiore deligationem, quæ tamen summe necessaria est, quia hac mediante ossa fracta, debite reposita, firmiter adunata servanda sunt. Relaxatione igitur frequentiore ligaturarum facta, quam materia collecta, tumor pedis supra ligaturam a stagnatione increscens, dolores & color partis, sphaceli metum incutiens, suasit, ossa etiam nec firmiter cohædere, multo minus coalescere possunt, immo interstitia eorum facile ulcerosam admittunt materiam, quæ cariem inducere ipsis, variosque ulcerosos in carne sinus excitare potest.

2) Incisio, quæ proponebatur, ad cariosas partes detegendas,

gendas, hic non locum habebat, quia rami arteriæ tibialis internæ nequaquam illæsi manere potuissent; his vero læsis hæmorrhagia certe periculosa, immo lethalis metuenda fuisset, ægrum e Scylla in Charybdim præcipitans. Quilibet enim probe expertus novit, quantus labor, omnisæpius successu felici destitutus, requiratur in sistendo arterioso sanguine, quippe qui impetu fortí, quasi e syringa continuo pressus, urgetur in distans, omniaque summa industria adplicata removet, licet vulnusculum parvum arteriæ inflictum sit.

3) Pinguia ulceribus a rustico rustice adplicata noxia admodum fuisse, quilibet facile judicabit: ea enim cariem accelerarunt, unde ulcus magis sordidum evasit, præsertim cum Unguentum, e succis vegetabilium & gummatibus in cerevisia triticea solutis confectum, frequenter admodum & frigidissime pedi jam tum cœdematoso impositum fuerit. His enim effectum est, ut, repulsis partibus acribus, lymphæ copiosæ immersis, non solum febrilibus accessibus & inflammationi pedis ansa præberetur sed & communicata cum massa sanguinea acrimonia putrida, salinisque partibus indies auctis, hæ copiosius deponerentur in glandulis glandis penis & præputii, quibus hinc arrosis profluebat lympha, vel potius ichor, quandoque a læsione ramusculorum sanguiferorum rubore tintitus; immo diætus humor repressus largius ad glandulas inguinales delatus, tumorem in inguine excitabat, qui successive cancrosam indolem prodebat, & in ulcus depascens transibat.

4) Cancrofa hæc dicenda fuisse ulcera, qualitas eorum docuit. Aderat enim fœtidus, ichorosus, erodens liquor, & rosione dolores pariens, margines ulcerum luxuriantes, duræ, inæquales, variis peregrinis coloribus notatae, in quibus vasa sanguifera atro - rubentia tumebant, indoles ulcerum etiam erat rebellis, dum, optimis & efficacibus licet adhibitis medicamentis, indies in pejus mutabantur,

5) Cur plerumque in glandulis oboriantur tumores ejusmodi, in ulcera cancroſa abeuntes, earum officium, cui destinatæ sunt, indicare videtur. Lympha enim, quæ salia in massam sanguineam delata solvit, in glandulis fecernitur, qua simul salia ipsis ingeruntur; his auctis lympha successive coagulatur, ut non tam promte vasa glandularum transeat; mora ſic interveniente oritur dispositio ad stagnationem, ac demum ipsa stagnatio, quæ fibras extendit, & in tumorē glandulam elevat, primitus tam diu dolore deſtitutum, quamdiu lymphæ novæ accessus salia copiosa diluere adhuc potest; hoc ipſo vero, ob majorem lymphæ coagulationem & auctum magis infarctum, ceſſante, salia stagnantia acriora fibras arrodunt, & ulcus tandem cancroſum producunt. Comprimuntur etiam insimul a vasis ferociſ glandulæ vasa ſanguifera, unde continuo durante affluxu novi ſanguinis hæc expanduntur & capaciora evadunt, ita ut ſanguinis color magis transpareat, oculisque atro-ceruleum līſtat.

### OBSERVATIO XLII.

Dn. Lic. CHRISTIANI FRIDERICI  
JOERDENS.

#### *Cancroſum ulcus penis & glandulæ inguinalis.*

Rusticus 58. annorum, insultu febrili quavis ſexta vel octava ſep̄timana redeunte corripiebatur, qui nunquam ultra 24. horas durabat. Frigoris ac æſtus accessus hic ſemper tumore & rubore penis ſubsequente, instar eryſipelatis, finiebatur, ardore quodam, ſi urina emittenda erat, ſtipato. Hæc incomoda quavis vice brevi ſua ſpōnte tranſibant. Ante quatuor menses male veftitus, frigida tempeſtate, in ſylva nimis diu commorabatur hic rusticus, nimiamque pen-

nis refrigerationem patiebatur, unde brevi post liquore præputio, absque ullo ardore, instar seri laetis, profluere incipiebat. Adibat hinc medicastrum, qui pro interno usu commendabat Decoctum, & externe emplastrum quoddam membro virili imponebat, unde quidem stillicidium hujus liquidum & præputio cessabat, sed emplastro remoto arrosio in penis medio conspiciebatur, quæ, foliis plantaginis impositis, non solum continuabat, sed etiam superiora versus in pene serpebat, & successive glandi penis circumcirca, ad hujus usque medium, ubi incepérat arrosio, ulcus depascens, inæquale inducebat, primitus nullo dolore stipatum, qui tamen postmodum leviter affligebat, si paululum refrigericeret membrum. Balneator quidam, in auxilium vocatus, venereum hoc esse ulcus declarabat, atque stillicidium liquoris & præputio ante hac observatum, gonorrhœam virulentam appellabat, eaque propter medelam unice a salivatione mercuriali expectandam promittebat. Instituit etiam hanc, & per integras tres septimanas saliva copiose fluebat, ita, ut corpus viribus admodum destitueretur, sed successus spectatus non adparebat, & malum in eodem statu permanebat, quare balneatorem dimittebat æger, meamque opem anxius implorabat. Statim, probe exploratis omnibus circumstantiis & præcipue ulceris qualitate, cognoscebam, gangrænofum adesse malum, quare internis balsamicis, acrimoniam corrigentibus, externisque mundificantibus, defensivis, rosivamque materiae indolem destruentibus sufficientibus, immo & decantati illius specifici, succi nempe Onopordæ, applicatione rem aggrediebar, quibus quidem efficiebatur, ut ulcus cancrosum, quod interim penem ferre ad medium usque consumserat, non ulterius serpserit; attamen margo sanæ partis purus, inæqualis, vasis sanguiferis atro-coeruleis tumidus manebat, dolorque sensim cedebat, qui postmodum successive augebatur. Proinde etiam

etiam tumor, nucis juglandis magnitudine, durus, absque dolore, in inguine dextro observabatur, quem intactum relinquebam. Nulla igitur spe superstite, quomodo reliquum penis integrum servari posset, Chirurgum instruxi, qua ratione illud in parte sana, prope radicem penis, tollere queat. Jussi nempe, ut cannulam plumbeam, sufficienti longitudo gaudentem, conficiendam curet, cui alia adaptetur, clypeo munita, quæ priori immitti, & pro lubitu extrahi possit; prior cannula intrudatur urethræ ita, ut ultra locum, in quo resectio instituenda, progrediatur, & sic a ligatura simul comprehendi & constringi in urethra possit, circumducendo nempe penis partis anæ aliquoties linteum complicatum, digitii transversi longitudinem æquans, hocque filo crasso fortiter constringendo ita, ut amputatione penis supra ligaturam facta, nil sanguinis evasis resectis promanare queat, cui deinde, relaxato paululum funiculo constrictorio, concedatur aliqualis exitus, ut impurus evacuetur, & orificia vasorum patefiant, quibus vitriolum Cyprium admovetur, & totum vulnus optimis stypticis & deligatione conveniente bene muniatur, & circumducta fascia, quam vocant *spicam inguinalem*, firmetur, intrusa priori antea altera cannula, tegmine praedita, ut pro lubitu extrahi, urinaque libere emitti possit. Hoc dicto modo Chirurgus feliciter rem peregit, & vulnus intra spatium trium hebdomadum sanavit, ita, ut rusticus, successive collectis viribus, domesticis & agrestibus laboribus absque ullo incommodo aut dolore præfuerit. Elapsis sic aliquot septimanis, tumor ille in inguine dextro dolorosus reddebat & magnitudo ejus fere ad duplum augebatur. Defensivis a Chirурgo applicatis emplastris, tandem ad rupturam deductus fuit tumor, pusque optimum & bene coctum reddidit, quod vero successive ichorosum evadebat, & ex apertura fonticulum referente effluebat. Collabebatur dein tumor & dolores evanesce-

nescebant, ita, ut negotia rustica iterum peragere & aliquando pecudes fugitivas cursu persequi valeret, unde spem concipiebat Chirurgus, fore, ut ulcer, exhibitis convenientibus remediis, perfecte tandem sanaretur; sed ecce! ichor inopinato iterum fluere incipiebat copiosius, cum fœtore, tumor etiam denuo augmentum capiebat, colorem mutabat in livido-coeruleum, dolores accedebant & successive augebantur, cavitasque ulceris, exploratione instituta, ad os femoris usque extensa inveniebatur, unde quandoque sanguine tintitus ichor proveniebat, donec tandem, erosione majori vasorum facta, hæmorrhagia lethalis ægrum, dum solus & absque suorum confortio erat, vita privaret.

### Scholium.

1) Attentionem meretur frequens insultus febrilis, qui, semper in pene deposita acrimonia, deferbuit. Communisime & frequenter admodum in dispositis fieri solet, ut febrilis accessus, erysipelate in parte aliqua corporis erumpente, tollatur; sed rariorem utique habendum esse huncce casum existimo, ubi materia febrilis semper ad glandulas penis & præputii delata fuit.

2) Quemadmodum erysipelas, in aliis corporis partibus ex febre natum, satis saepe in suppurationem abire solet; ita in nostro ægro ex insultibus febrilibus levior peni inducta est inflammatio, quæ æstu & ardore tantum se prodidit, unde tandem ulcerofæ evaserunt glandulæ interiores præputii & exteriores glandis penis, lymphamque seri lactis instar stillarunt.

3) Ut in alia corporis parte, si erysipelas suppuratum forsitan exitum non inveniat, aut supprimatur, materia purulenta stagnatione fit acrior, partesque vicinas arrodit: ita humor

humor salinus, in glandulis penis & præputii majori copia depositus & excretus, postmodum vero repressus stagnatione majorem acquisivit acrimoniam, & pro indole sua maligna validius arrodendo partes adjacentes, ulcus ibidem produxit depascens cancrosum, quod non solum præputium, sed & glandem penis consumxit.

4) Chirurgi hic culpanda est ignorantia & negligentia, qui, conspecto ulcere glandis penis, statim pro venereo illud habuit, & prævium liquoris stillicidium male *gonorrhœam* adpellavit, antequam penitus indagaret in viam, unde prodierit ille liquor, quippe qui, referente ægro desuper interrogato, minime ex urethra, sed ex præputio tantum promanavit, nec culpam ejus minuit consensus Medici eujusdam, cui is casum hunc se proposuisse adseverabat, quum ulceris qualitas eum docere debuisset, non venereæ, sed cancrofæ illud esse indolis, ob labia dura & tumida, contorta, inæqualia, vario colore tincta, quam inæqualitatem & colorem diversum etiam tota ulceris peripheria ostendebat, quæ vero in ulcere venereo non observantur. Et licet primitus ichor valde foetidus doloresque cancrosis ulceribus proprii defuerint, attamen modo dicta phænomena de cancrofa ulceris indole eum convincere potuissent.

5) Confirmatur hoc casu experientia eorum, qui mercurium lymphæ glandularum vitiæ optimum domitorem in morbis aliis, in cancro vero minus aptum & insufficiens esse remedium, dixerunt.

6) Patet etiam ex nostro casu, quantum differat inter se acrimonia, quæ ulcus venereum, & quæ cancrosum producit. Immo ipsa acrimonia, cancrofa ulcera efficiens, non semper unius ejusdemque est qualitatis, dum remedia, quæ cancrosum corruptionem sistere & tollere possunt in una corporis parte, in alia plane nullum effectum exferint, quod exemplis illustrari posset, si spatium id cedederet.

## OBSERVATIO XLIII.

Dn. Lic. CHRISTIANI FRIDERICI  
JOERDENS.

*Sternutatio insolita nimia, a scabie retropulsa.*

Vocabar ad puerum 12. annorum, qui jam per 17. septimanas sternutationibus nimiis affligebatur, & quidem adeo frequentibus & immedia<sup>t</sup>e se se excipientibus, ut nullo vel noctis, vel diei habito discrimine, ægrum, vel brevi, vel longiori mora interje<sup>c</sup>ta, adfligerent. Inveniebam eundem mensæ adsidentem quiete, & brevi post meum accessum manus subito abdomini admoventem, quas vero eo ipso momento, & cogitatione fere citius, injiciebat capiti, a sternutatione illico subsecente fortiter moto. Plus quam quinquages sternutabat puer, & per momenta quædam cef-sans malum pari modo redibat. Adstantes adseverabant, sternutationum numerum quandoque hunc, quem vidisse, superare. Quærebam ex puero, quare in initio paroxysmi manus abdomini admoveret? isque respondebat, se dolorem momentaneum sentire in infimo ventre, cui manibus succurrere dum cogitaret, statim illas in caput, pro eo suf-fulciendo, quoniam sensatio eo ipso momento illuc transiret, conjicere debere, facto tunc insimul sternutationis initio. Nihil interim ex parentibus & ægro rescire poteram, quidnam proprie ansam huic molestæ afflictioni dederit. Hinc eandem pro convulsivo habebam morbo, cujus causa in acrimonia quadam nervis inimica, in abdomine latitante, varias partes irritante, & per consensum nervos in tunica narium pituitaria admodum sensibili feriente & vellicante, consisteret. Interne igitur exhibere jussi liquorem mineral. anod.

anod. cum oleo Cajeputi mixtum, & externe pulverem hæmagogum naribus attrahendum dedi, qui sanguinis coagula e naribus produxit, quo facto medicamentum internum intra octo dierum spatium puerum a malo hoc liberavit. Et licet illud post aliquot dierum intervallum redierit, attamen reiterato usu horum remediorum iterum cessavit, efflorescente demum purpura rubra in toto corpore. Hæc excretio purpuracea ansam mihi dedit sciscitandi, an forte puer ante mali ortum eadem, aut aliis cutis inquisitionibus, laboraverit, quæ intempestive repressæ fuerint? Parentes tunc referebant, puerum ante ortam sternutationem scabie laborasse, ipsis vero minime cognitum esse, quod ullum aliquid medicamentum, pro ea abigenda, adhibitum fuerit. Interim alii fide digni testes mihi indicabant, puerum scabiem unguento quodam profligasse.

## Scholium.

1) Perrarum esse hunc sternutationis insolitæ affectum, quilibet expertus fatebitur. In *Annalibus medico-physicis Wratislaviensibus* equidem talis casus occurrit, qui vero cum nostro collatus ratione originis & reliquarum circumstantiarum differt. Ille enim, uti mihi videtur, solum a nimis sensibili narium tunica nervæ ortum duxit; hunc vero ab acrimonia quadam in abdomine latitante & nervos tunicæ narrum in consensum trahente provenisse, circumstantiæ fere mihi persuadent.

2) Observationes medicæ satis superque docent, quantum noxæ scabiei repressio in corpore humano afferat. Quanta inde in nervos redundaverint mala, ex iisdem pariter liquet; & licet de sternutatione insolita inde orta nihil, quantum quidem mihi constat, adhucdum prostet, attamen exp-

experientia testatur, præter alios affectus, etiam spasmodicos & convulsivos, immo ipsam epilepsiam ex hac causa provenisse.

3) Quale fuerit unguentum, quo puer scabiem suppressit, me quidem latet; si vero speciatim supponatur, unguentum istud fuisse mercuriale, quale plerumque plebeii adhibere solent, a quibus procul dubio illud, parentibus insciis, obtinuit puer, & quidem, prout merito suspici licet, non rite, quod ad mercurium attinet, præparatum, ipse hic mercurius, utpote nervis inimicus, omnium facillime sinistrum talem in hoc subiecto effectum produce-re potuit.

4) Ut ratio pateat, qui fiat, ut affecto uno alterove in abdomine nervo, ab acrimonia illuc hospitante, nervi capitis & præcipue olfactiori, in tunica nervea narium expansi, in consensum trahantur, ut hic sternutationis se exferat effectus, ad vermium præsentiam in intestinis provocare placet, utpote quorum rosio, vel exhalans ab eorum recre-mentis acrior vapor, nervis inimicus, eosque vellicans, in junioribus æque ac in adultis titillationem & pruritum in na-ribus, immo ipsam sternutationem producit.

5) Effectus medicamenti, quod acrimoniam, in inter-ioribus abdominis latentem, ad corporis peripheriam ex-turbavit, manifesto ipsam docuit causam, ita ut nullum du-bium amplius supersit, eandem fuisse eam acrimoniam, quæ ex scabie retropulsa sub forma purpuræ iterum pro-diit.

(*Curia Variscorum Halam missæ d. 23. August. 1748.*)

*OBSERVATIO XLIV.*

Dn. D. JOANN. SEBAST. ALBRECHT.

De

*Salicu[m] Rosi fictis, neque bonorum, neque ma-  
lorum nunciis.*

In tanta corporum, quæ tellus alit, copia, & inter anima-  
lia & inter plantas, non raro nata observantur, quæ par-  
tium sive situm consuetum, sive numerum justum, sive fi-  
guram debitam, sive posituram ordinatam species, sive deni-  
que magnitudinis & totius habitus rationem habeas, mul-  
tum a lege naturali & ordine aberrant,

*Multaque tum tellus etiam portenta creare  
Conata est, mira facie, membrisque coorta (a).*

Vocantur ejusmodi corpora monstra, & quia prædicere ali-  
quid, non a plebe tantum imperita, sed etiam ab eruditis  
nonnullis, falsa ratione seductis, creduntur, prodigiis ad-  
numerantur (b).

Experientia docet, plantarum gemmis id esse a natura  
tributum, ut, quoconque in loco existunt, novæ progeniei  
rudimenta, mirifice complicata, in se contineant & cum stu-  
pore nostro tandem expellant, quamvis ipsius propagatio-  
nis ratio non semper eadem observetur. Notum enim est,

*Autor. Ph. M. Vol. IX.*

A a

aliter

a) Tit. LUCRETIUS Libr. V. de rer. natur. 835.

b) CICERO de divinat. Lib. I. cap. 93. *Offenta, portenta,  
monstra, prodigia vocantur, quia aliquid ostendunt, porten-  
dunt, monstrant, prædicunt.* IDEM de Natur. Deor. Lib. II.  
cap. 7.

aliter illam fieri per semen, aliter per surculos & stolones, aliter per radices fibrosas & flagellantes, aliter denique per bulbos & sic porro. Gemmarum hinc duplex observatur ordo. Aliæ enim flores & fructus continent, floriferæ & fructiferæ inde dictæ, aliæ vero radicibus novas fibrillas suggерunt, in trunco & ramis autem novos cum foliis producunt surculos & vocantur *steriles*. Priorum quidem tempus adeo statum non est, plerumque tamen arborum fruticumque gemmas vernali tempore flores proferre observamus: posteriorum vero tempus magis ordinatum est, quo solutis vinculis, depositisque tegumentis, nunc evolutæ, præsente majori succi nutritii copia, opitulante aëris clementia, vi sua elastica, recentes surculos emittunt cum foliis ambitu, distantiis certis, in longa serie dispositis, ut succedentibus denuo gemmis nutritionem aptam commoden. His finibus adsequendis commodissima esse tempora, vernale & aestivum, omnibus constat: hinc Germanis nobis illos surculos diversis nominibus, *Frühlingsprossen*, & *Sommerlatten*, vocari solere novimus: magnam autem florum copiam, una cum prioribus, ex propriis gemmis eniti, posteriores vero surculos priorum meras esse prolongationes, observationibus æque pater, ac illud, quod hæc omnia etiam diversis salicis speciebus, eodem modo, contingunt.

Quemadmodum vero animantium embryonibus, tam a causa interna, quam externa, multa accidere possunt; quæ regulari partium dispositioni officiunt: ita hoc idem tenellis vegetabilium partibus, exeunte autumnali tempore & sub initium hyemis, vitali actu in publicum quasi producendis, evenire posse, sana ratio dicitat. Quicquid enim causarum tenerimam fibrarum, ex quibus partes solidiores compositæ sunt, structuram & tonum elasticum, quacunque ratione, vulnere, stricatura, erosione, corrugatione vel forte etiam alia, laedere valet, illud succi nutritii inæquali distributione

ad anomalias in plantis efficiendas tanto magis sufficit, quanto plures causarum forte concurrunt. Quod jam dum observavit vir quondam celeberr. Job. Daniel MAJOR (c).

Vernali tempore prægressas solis blanditias sæpe excipit rudior aëris intemperies, qua in vegetabilibus adhuc teneribus earumque partibus nondum satis obsfirmatis, copiam succi nutritiū, solis calore jam in motum acti, & ad vasa tenella adpulsi, inspissari, & ab ulteriore progressu impediri, nemo facile dubitabit, qui frigoris effectus bene noverit. Perit autem simul elasticitatis vis, fibrillæ teneræ & ex his constructa, non majoris roboris, vascula constringuntur, rigida fiunt, quo minus & surculi & illis adnata foliola adhuc tenera in debitam longitudinem excrescere valeant. Hinc breviora, crassiora, neque satis perfecta, neque justis distantiis dimensa, sed incongrue, copiose in unum quasi locum per circulos contiguos ita collecta observantur, ut rosæ figuram, satis tamen imperfectam, referant. Mira enim est cœli ambientis vis & efficacia.

Aestivo tempore alteri surculorum proventui accommodato, prægressa pluviarum copia, & subito orto calore diutius continuo, vegetabilibus eadem accidere possunt, quo minus in iustum longitudinem singulæ earum partes excrescere valeant. Quin immo hæc frugibus sæpenumero accidere, ruricolæ suo & publico damno, proh dolor! experiuntur. Exsiccantur enim & indurantur præpropere, sub hac tempestatis conditione, fibræ motrices elasticæ, in-

Aa 2

ter-

c) In Diff. botan. de planta monstrosa Gottorp. Schleswigæ, 1665. in 4. conf. Mr. CL PERRAULT de la circulation de la Seve des plantes. Oeuvres de physique Tom. I. p. 80. it. Noël REGNAULT, Entret. physiqu. Tom. III. nr. IV.

terdum etiam grandū um impetu ita vulnerantur, ut humores propellere nequeant. Hinc etiam, æstivo hoc tempore inordinatam ejusmodi, in surculis brevioribus, foliorum congeriem, tam in salicibus quam in aliis vegetabilium generibus, sub *rose* cujusdam ficta imagine observari, nemo mirabitur, in primis si salicis spongiosiorem substantiam novit.

Sunt porro hæc anni tempora modo memorata, insectorum copiæ excludendæ quam commodissima, ideoque etiam, licet non singulis annis æquali copia id fiat, fertilissima, quorum plurium in deponendis suis ovulis, ex Summi Numinis consilio & providentia, miram novimus esse sagacitatem & industriam. Vel enim vulnusculo gemmis, foliis, aliisque partibus junioribus inficto, his committunt suas ovula, vel asperso humore acri, glutinoso coarctant fibras, vel denique filamentis robustioribus, quasi sericeis, ex proprio corpore mirifice productis, aliisque mille artibus, folia contrahunt, & in his ovula sua solis calori ad fomentationem relinquunt, donec exire possint, eum in finem, ut statim post egressum e testis, de alimento nutritioni apto profectum sit foeturæ (d), licet hoc saepius fiat cum magno plantarum detimento, quod gallorum in plurium arborum foliis nascentium, aliarumque excrescentiarum exemplis, nec non sericeis fasciculis & contrafis inde in folliculi formam foliis, in surculorum plerumque apicibus conspicuis, est evidentissimum..

Hanc

d) vid. *Joh. Leonb. FRISCHII Beschreibung allerhand Insecten* XXter Theil, num. IV. p. 6. it. *Guil. DERHAM Physico-Theologie Libr. VIII. c. 6. Joh. RAY Gloria Dei Libr. II. cap. 13. Mr. REAUMUR, Memoires pour servir a l'hist. des Insectes Tom. I. num. 2.*

Hanc tamen ab industria insectorum in formandis ejusmodi rosis, si ita dicere fas est, desumtam causam tunc deum locum habere posse arbitramur, quando vel ex stigmate impresso, vel ex cavitate quadam, latentis vermiculi hospitio, vel ligatis ope filamentorum foliolis, aut aliis signis, praesentiam insectorum arguentibus, convicti de illa erimus; in quorum autem signorum defectu, alterutra adductarum causarum, a tempestatis conditione desumpta, erit potior. Nobis quidem varia ejusmodi roscarum fictarum exempla, sicca ab amicis missa, accurate intuentibus, nihil eorum observare licuit, quae insectis tribuere potuerimus. Interim tamen possibilitatem rei plane non negamus, virorum in detegendis naturae arcanis exercitatissimorum industria, observationibus (e) & fide convicti. Ex haec tenus dictis facile liquere putamus, cur ejusmodi foliorum in salice congeries praeter naturales neque omni anno, neque quovis anni tempore, neque ubivis locorum simul, sed tunc & ibi deum contingunt, ubi una vel plures causarum praesto sunt. Eas vero causas dicto anno non defuisse, diligentioribus rerum naturalium scrutatoribus manifestum erit, si observaciones aerometricas, in illis provinciis factas, ubi copia roscarum sic distarum uberior fuit, conferre velint.

Quemadmodum porro natura, ut aliarum rerum, sic actuum incrementorumque modum & ordinem tenet: nam

*Certum ac dispositum est, quicquid crescat & insit* (f), ita in arborum fruticumque parte supra terram eminente gemmas quoque & inde natos furculos vel in apice, vel in ramorum, in primis autem circa genicula, ubi adsunt, ra-

(e) *Marcell. MALPIGHII* in Oper. Tom. I. tr. de Gallis, p. 121.

Mr. REAUMUR I. c. Tom. III. Part. II. num. 12.

(f) *LUCRET. l.c. Libr. V. 133.*

rius autem in trunci ambitu, oriri videmus (g). Eadēnique est ratio, cur ejusmodi luxuriantes foliorum congeries non vase, sed tantum in apicibus, vel ad latera ramorum, etiam circa genicula, conspiciantur, ubi ante illas gemmæ extiterant.

Per haec tenus dicta satis quidem demonstratum putamus, folia ejusmodi non esse florū petala aut corollam, neque eorum compagem florem esse dicendam, qualis rosa est. Accedunt autem & aliæ rationes, quibus prohibemur, quo minus possimus eam pro rosæ flore agnoscere, nempe partium verum florem constituentium defectus, non solum pediculi proprii & calicis veri reliquias floris partes nobiliores sustentantis & tacentis, sed etiam harum nobiliorum, staminum, apicum, uteri, seu fructus & seminis, absentia, quarum usus in propagandis generibus & speciebus absolute est necessarius. Quibus autem, quoniam omnium oculis patent, immorari nolumus, pauca adhuc potius addituri de colore & aliis, a forma foliorum desuntis, differentiis.

Licet autem rosarum color non sit unus, sed præter frequentissimos, roseum & album, alii adhuc observentur, quibus Botanici species distinguunt; harum tamen rosarum, ex ingenio hominum magis fictarum, quam naturæ industria factarum colorem, cum nullo rosarum, sed potius cum illorum varietate colorum, qui in salicūm foliis, tam ætate, quam specie differentibus conspicuntur, convenire, tantum non omnes sanores & a præjudiciis liberi profitentur observatores. Ipse HERMANNUS, qui pluribus de his rosis & earum præfigio scripsit, fateri cogitur, roseum & album colorem illis plane denegandum esse, sed recentiores seu teneriores

g) vid. Dr. *Christ. WINCKLERI* Obsery. in Ephem. N. C. Decur. I. Ann. VI. Obs. CXVII. p. 155. Confirmant hoc etiam exempla, quæ ipsi possidemus.

riores adhuc colore viridi, nec odore rosarum, sed salicis esse præditas, adultiores factas, instar foliorum salicis, cerasi, pruina læsorum, non rubras, sed rubellas, non flavas, sed flavescentes, ætate tandem pressas obscuriores, quin imo nigricantes conspici (h). Reliquæ differentiæ quoad formam in illis conspicuæ a diversa, in diversis salicis speciebus, foliorum figura & habitu facile oriuntur. Lanuginosas in parte aversa, in superiori crenatas illas, vidit D. Christ. LEHMANN (i). Diligentissimus ille quondam historiæ naturalis investigator atque interpres, Joh. RAIUS, securos nos de nostri asserti veritate dimittit, his verbis illud confirmans: *Salix humilior, fol. angust. subcærul. ex adverso binis; Salix arborea vulgaris; Salix humilis angustifolia; Salix caprea longifolia; nobis observantibus, & aliæ fortasse pleræque species excrementum producunt, in ramorum fastigio, Rosæ æmulum, foliis confertim stipatis compactile.* Inde *Salix rosea* perperam a nonnullis pro distincta salicis specie habetur (k).

Observantur quidem aliæ adhuc in vegetatione salicis anomaliæ, v. g. rami in litui figuram incurvati, qualem vidit Illustr. quondam Vir & Germaniæ nostræ decus, Georg. Wolfgang. WEDELIUS (l). Excrecentias botryoides in eodem arborum genere observavit L. Sigism. GRASSIUS, Phys. quondam apud Suidnizenses celeberrimus (m); sed cum

h) Maslographiæ l. c. p. 242.

i) Im Historischen Schauplatz des Meißnischen Ober-Erz-Gebürges, p. 482. conf. Breslauischer Naturgeschichte VIIIter Versuch, pag. 714. it. XVI. Versuch p. 518.

k) In Synops. method. stirp. Brittann. p. 292.

l) Vid. Ephem. N. C. Dec. I. Ann. III. Observ. CXLIII. p. 264.

m) ibid. Observ. CCXIV. p. 477. ubi simul refert, se quotannis obser-

cum nostræ nunc non sint considerationis, lubentes illas mitimus ad reliqua progressuri.

Est hoc non recens aut nudius tertius demum natum, sed antiquum & ætate maxime proiectum hominum vitium, ut res quotidianæ, etiamsi admiratione vel maxime dignæ, transeant, contra vero nimiarum quarumque rerum, si insolitæ prodierunt, spectaculum fiat. Tunc, SENeca auctore, & experientia teste, urbes conclamant, pro se quisque vana superstitione trepidat. Nihil enim horum sine timore miramur (n). Ex quibus facile patet, ab ignorantia & credulitate natum superstitionis vitium, plus rebus virium tribuere, quam illis inest, vel inesse potest. Philosophia itaque naturalis, firmis principiis, observationibus, experimentis, rationibus superstructa, cum id agat, ut corporum vires, Mathesi adjuvante, metiatur, erit sane optimum, post sacras litteras, ad hunc animi morbum destruendum, remedium, quippe quæ docet, quid per illas vires, tanquam causas, fiat & fieri possit, sicque superstitionum tollit tenebras (o). Si vero scriptura sanctior nos consternari prohibet a signis cœlorum (p), quia consternantur ab il-

lis

---

observasse congeriem foliorum salignorum, rosarum figura, in salice latifolia.

n) Quæst. Natur. Lib. IV. Cap. 3. Lib. VII. Cap. 1.

o) TULLIUS de divinat. Lib. II. Cap. 149. *Ut religio propaganda, quæ est, juncta cum naturæ cognitione, sic superstitionis stirpes omnes ejiciendæ.* Et Mr. le SAGE, Cours abrégé de physique, p. 10. *Le plus grand usage, que nous retirons de l'étude de la physique, est de nous garantir de la superstition, de nous faire voir la vanité des présages ou des prognostics & l'abus des diverses espèces des divinations, qui se sont pratiquées dans le monde.*

p) JEREM. X. v. 2.

lis gentes: quanto minus nobis Christianis licitum erit, ex minimarum rerum contingentia in plantis, mali quid omniari aut inde tristari, cum ipsi gentium saniores satius duxerint, causas rerum inquirere, quam eas metuere (q).

Ex præmissis satis manifestum esse putamus, quibus ex causis rosæ dictæ salicis oriantur, quarum forsan aliæ plures esse possunt: ridenda itaque erit eorum vesania, aut potius temeritas, qui vel boni vel mali quid inde augurantur. At, Pacem tunc fore, quando ex Salice progerminaturæ sint rosæ, inquiunt, antiquum esse proverbium. Novimus illud, sed quæ proverbiorum vis sit, etiam non ignoramus. Attamen concederemus, tunc aliquid veritatis, quando vel unquam salicibus natas veras rosas nobis exhibuerint. Nam illas, quas proferunt, non esse rosas, sed anomalas foliorum congeries, rosæ tantum æmulas, satis probatum putamus. Regerunt creduli: experientia historica confirmari, quotiescunque floruerint ejusmodi rosæ, mox pacem esse restitutam. Provocant ad exempla: accidisse hoc ante hos centum annos, post belli trecennalis tristissima Germaniæ fata, pace tandem Osnabrugæ feliciter a Deo donata. Pacem cum Turcis, nominis Christiani infensissimis hostibus, anno 1698. Carlowitzii iterum initam, prægressam esse largam harum rosarum in Silesia copiam: Et hoc, non eo solum, sed aliis quoque temporibus accidisse concedimus; sed, cur in Silesia, non vero in Hungaria & Austria, belli calamitatibus magis pressis, floruerint, hoc nos quidem ignoramus. Quin nunc etiam, post pacem a Deo, pacis autore, cui laus & gloria sit, felici hoc anno restitutam, novo hoc exemplo suam sententiam, vel superstitionem potius, confirmaturi sint augures, nulli dubitamus. Sed quodnam tunc erit

*Autor. Ph. M. Vol. IX.*

Bb

ha-

q) SENECA l. c. Libr. VI. cap. 3. conf. CICERO de divinat Lib. II. cap. 49.

harum rosarum præsigium, quando nullum bellum, sed pax ipsa adest? At florere tunc in copia has rosas negant. Sed pace adversariorum, majore confidentia nos hoc negamus, celeberr. RAI & GRASSII, aliorumque virorum observationibus aliter edocti. Recentioribus temporibus, ex agitata lite, curiosorum animos excitatis & intentos in hanc rem, contrarium observasse ex D. HENNINGII, olim Medici Budissini celebr. & Job. Henr. LINCKII apud Lipsienses quondam l'harmacopœi curiosissimi, communicatis relationibus constat (r). Tunc demum firma & ab omnis superstitionis macula purgata stabit adversariorum sententia, quando rationem docuerint, qua, causæ plures naturales, fortuito antegressæ, quarum vim in producendis rosis illorum fictis supra demonstravimus, cum imperantium & eorum, qui illis a consiliiis sunt, animis, belli pacisque arbitris, connectantur: quod vero æque impossibile futurum judicamus, ac omne illorum studium vanum adhuc fuisse scimus, qui in stabilienda vi siderum, de cœlo in aulas Principum & omnium hominum fortunas fluente, laboriosissimi sunt. Veritas sibi semper sufficit, sed conjectura omnis, in qua divinatio nititur, ingenis hominum, TULLIO teste, in multas ac diversas, etiam contrarias partes sæpe diducitur, cum illa nihil quicquam sit incertius (s), se ipsa evertit, id quod etiam hic contingit. Quemadmodum enim quosdam ex harum rosarum, ut vocant, uberiori copia de pace futura divinare audivimus, sic alii, in partes contrarias abeuntes, belli futuri præsigia illas esse contendunt, alii vero calamitosum annonæ incendium tunc metuendum esse, vulgo persuadere conantur. Illis facile permittimus, ut litem adversariis

r) vid Breslauische Sammlungen XXV. Versuch p. 298. seq.

s) De divinat. Libr. II. Cap. 55. & 147. Edit. Lambin. & Godfr. hanc enim in manibus habuimus.

sariis suis, pacis patronis, moveant & cum illis arma conferant, securi interim, utra partium victoriam reportarit. His vero, sub ea conditione, accedimus, si ab earum præsentia, tanquam signo aëris constitutionis, vegetationi frugum minus proficuae, ad annonæ caritatem argumentantur: Sin minus, æque suspectæ erunt eorundem rationes, quas cum ignoramus, neminem nobis opponentis munus impositurum esse confidimus, donec nos de illis erudierint, itaque & hos cum reliquis suis sociis mittimus.

(Coburgo Halam missa d. 7. Septembr. 1748.)

### OBSERVATIO XLV.

Dn. D. JOANN. FRIDER. FÜRSTENAU.

De

*Pleuritide in summo vigore jam constituta & pef-  
simis Symptomatibus stipata, in pbthisico  
feliciter sanata.*

Civis hujus loci, quadraginta circiter annos natus, in juventute sua admodum vegetus, laboriosus, robustus, & habitum corporis valde carnosum præ se ferens, neglecta postea diæta, non solum perpetuo fere otio, sed & compositionibus diurnis & nocturnis indulxit, quare etiam respiratione difficiili, sputo cruento & purulento, adpetitu prostrato, & consumtione totius corporis laborare cœpit: Tandem vero, prævio horrore, æstu, siti, cephalalgia, oppressione pectoris, doloribus lateris sinistri punctoriis vehementissimis corripitur. Hoc sub rerum statu Chirurgus quidem accessitus Venæsectionem in brachio administravit, & Essentiam quandam, nescio qualēm, ægro exhibuit. Ast, non obstan-

obstantibus gravissimis symptomatibus, sensim auctis, æger quotidie libero feso exponebat aëri, & tremulus ac temulentus, caponas & spirituorum liquorum officinas, ipsa adeo adamatas, salutabat; cumque solus amplius pedibus haud valeret incedere, a commilitonibus & confratribus suis ad dicta se deduci passus est loca, donec tandem ibidem fere exanimis in terram concideret, & sic domum deportaretur. Uno vel altero die iterum elapso, dumque omnia ferre conclamata adparebant, meam denique implorant operam. Accedens itaque, ob symptomatum vehementiam ferre obstupui; delirium enim summum, rhonchum, stertoreni, respirationem difficillimam, linguam nigram aridam, vocem debilem, tremulam, pulsum convulsivum & tendinum subsultum, in artibus motus spasmodicos, urinam pallidam similiaque mali moris symptomata, observabam. Idcirco prognosi quidem me statim munivi; nec tamen ægrum sine auxilio relinquere volui. Binis itaque vesicatoriis in inferiori femorum parte, ad mentem BAGLIVII, statim applicatis, pulverem bezoardicum Wedelii, cum nitro & Camphora debita quantitate remixtum, omni bihorio exhibui, & interposita simul Mixtura cordiali analectica, infusum theeforme, ex adpropriatis radicibus, herbis, floribus, & seminibus pectoralibus, resolventibus & balsamicis, cui præcipue *Arnica flores* secundum *Att. Med. Berolinens.* erant adjecti, præscribebam, illudque calide frequentius hauriendum, linguæ autem mucilaginem *semin. cydon.* & *Syrup. Violarum & Moror.* illinendum suadebam. His igitur remediis rite & juxta præscriptum usurpati, blandus per universum corpus ermupebat sudor, & symptomata mitigabantur; quare in tramite cœpto aliquamdiu pergendum existimavi. Aeger autem adhuc dum intensissima siti vexatus & infusum istud theeforme, rarissimo exemplo, maximopere adpetens, illud in magna sibi parare jussit quantitate, & calide

calide æque ac frigide ad aliquot mensuras adsumpsit; quo facto, incredibile dictu, quanta materiæ purulentæ & sanguinolentæ quantitas per vomitum & tussim ejcta fuerit. Aeger autem sub horum remediorum usu, per ostiduum continuato, accedente simul diarrhoea pituitosa & purulenta, sensim cum sanitate in gratiam redibat. Quare superato morbo præter catharticum, etiam tonicam Tincturam ex Tin&t. Tartari & Spir. Salis ammon. anisat. concinnatam, una cum herbarum pectoralium decocto, exhibui, eo quidem cum effectu, ut de die in diem melius se haberet, & cum ante hunc morbum phthisicus adpareret, redeunte adpetitu, & carnis viribus resumtis, jam ultra semestre, & quod excurrit, spatium optima fruatur valetudine.

### *OBSERVATIO XLVI.*

Dn. D. JO. FRIDER. FÜRSTENAU.

De

*Pleuritide per institutam sexto demum die venæ-  
sectionem feliciter sublata.*

Vir plebeius, robustus, & laboriosus ultra triginta annos natus, postquam jam aliquoties Pleuritide esset correptus, M. Junio a. c. iterum eodem affectu, consuetis symptomatibus stipato, infestatur. Morbum autem ab initio vilpendens domestica saltem in usum vocavit remedia. Autem vero morbi impetu, die quinto omnia in peius ruerre coeperunt. Media itaque nocte in auxilium vocatus, ægrum inveni quasi moribundum & cum morte colluctantem: Tanta enim aderat respirandi difficultas, ut verbis sati exprimi haud possit: reliqua autem symptoma ita erant comparata, quemadmodum morbo huic solent esse propria.

Statim itaque non solum bina vesicatoria, sed etiam pulveres bezoardicos nitrosos & camphoratos, infusum theeforme ex pectoralibus & resolventibus, & Mixturam ex Gummi ammoniaco, in aquis adpropriatis soluto, addito insuper oxy-melle squillitico, & Syrupo de Manna, in usum vocavi, & congruum simul regimen injunxi. Sed vix sermone dignum fuit, quod æger inde sentiebat, levamen. Quare cum jam aliquoties de Venæsectione, quam æger per totam vitam nunquam administraverat, rogatus essem, illam, malo jam ad *auxilium* proiecto, prius dissuadebam. Quum vero optumis aliisque expertis & generofissimis remediis nihil efficerem, malum autem interea in momenta majora sumeret incrementa, & ægro suffocationem minaretur, anceps potius, quam nullum, in hoc ægro experiri consultius duxi remedium. Venæsectionem itaque sexto die, ad uncias circiter duodecim, celebrare jussi. Sanguis e vena extractus paucorum spatio momentorum omnem exuebat rubedinem, & instar gelatinæ tenacissimæ, pauca circumfluente aqua, in coagulum abibat; æger quoque sub ipsa venæsectionis administratione & convulsionibus & lipothymiis adspicere horrendis tentabatur; sed has plus terroris, quam periculi alere eventus docuit. Congruis enim remediis resolventibus, diluentibus, analepticis, diaphoreticis, & ultimo catharticis, forma varia, justo tempore & ordine exhibitis & quadam tenus continuatis, æger, benedicente Deo, pristinam recuperabat valetudinem.

## OBSERVATIO XLVII.

Dn. D. JO. FRIDER. FÜRSTENAU.

De

*Dentitione difficulti cum oppletione & infarctu pectoris conjuncta.*

Chirurgi cujusdam filiola, aliquot menses ultra annum nata, variis defluxionibus catarrhalibus in primis quoque ophthalmiae aliisque symptomatibus & affectionibus haud raro obnoxia, ob dentium eruptionem difficultem, gingivis tumentibus, atque insimul, praeter consueta alia accidentia, terribilibus, sine intermissione fere, per aliquot dies durantibus corripiebatur convulsionibus. Variis incassum tentatis & adhibitis remediis, filiolae parens, cum eandem iam in agone constitutam putaret, a me petebat consilium. Mixturam itaque ex aquis cordialibus & analepticis, additis simul specifico cephalico Michael. pulv. March. pauxillo Liqu. C.C. Succinat. & Syr. flor. Pœoniae præscribebam, quo quidem remedio effeci, ut convulsiones cessaverint, malumque mitius redditum fuerit. Cum vero sequentibus diebus pectoris infarctu & oppressione, tussi, respiratione difficulti, appetitu dejecto, vomitu aliisque symptomatibus adhuc excruciaretur, binos pulvisculos, quorum uterque ex sulph. aurat. antimon. gr. j. mercur. dulc. gr. iij. milleped. præparat. & corall. rubr. præpar. ana gr. iv. constabat, alterum vesperi, alterum autem mane cum potu calido diluente exhibere jussi. Eventus quoque exspectationi respondebat; priorem enim pulvereq; quidem unus vel alter in sequebatur vomitus, succedente tamen quiete & somno, altero autem exhibito manifestus non sequebatur effectus emetico cathartico.

tharticus, & puella, parentibus tale quid ne quidem suspicantibus, belle iterum valere incipiebat. Hujus autem modo dicti pulveris virtutem (quod hac occasione reticere nequeo) haec tenus plus vice simplici re vera expertus sum egregiam. Ita v.g. nuperrime adhuc vocatus ad puellam unius & dimidii anni, quæ post superatam pleuritidem tristis & languida apparebat, rhonchis & infarctu pectoris laborabat, & appetitu plane destituebatur; huic cum eadem forma, proportione ac tempore idem præscripsisse remedium voti iterum perfecte compos sum redditus. Plura exempla jam brevitatis causa silentio prætero.

### OBSERVATIO XLVIII.

Dn. D. JO. FRIDER. FÜRSTENAU.

De

*Autochiria juguli dissectione tentata.*

Rusticus melancholici temperamenti, perpetrato prius homicidio doloso atque enormi, a mala deinde conscientia in desperationem redactus, utque poenam effugeret proximam, cultro suo, uti vocant, rasorio jugulum sibi ipsi discindere tentabat; sed nescio quo casu vel fato, an vindicta, an gratia divina, suum haud exequi potuit propositum. Utut enim sectio ab una fere ad alteram penetraret aurem, partes tamen ad vitam absolute necessariae non ita enormiter erant laesæ, ut mors necessario insequi debuerit. Imo, quod magis mireris, per integras viginti & quatuor horas sine deligatione jacuit, nec ipse, nec propinquui, nec adstantes auxilium quæsiverant, donec a me & Chirurgo quodam, a Magistratu requisitis, visitaretur. Instituta igitur vulneris exploracione, præter laryngis musculos, sternonquo;

quoque mastoidei leviter itidem incisi, satis clare ac distincte in conspectum prodibant. Venæ jugulares externæ erant incisæ & sat magnam sanguinis quantitatem ploraverant, larynx vero ipsa uno tantummodo loco deprehendebatur læsa. Nihil itaque obstabat, quo minus acu incurva, quæ filum ducebat ceratum, abluto prius vulnere cum spiritu vi- ni, læsionem istam atque incisionem consueremus; quare novem suturis justo intervallo per partes institutis, filoque singulis vicibus, interposito prius panniculo exiguo, abscisso, vulnus adeo hians, ut palma manus in illud commode imponi potuerit, combinavimus, & Chirурgo, ut digestivum quoddam cum balsamico remixtum medicamentum cum linamentis vulneri imponeret, imperavi. Venæsectione deinde, ad avertendam vel imminuendam febrem vulnerariam & symptomaticam, in brachio administrata, temperantia, absorbentia & nitrofa pro interno usu præscripsi. Externe autem fatus, & in primis spirit. vini camphorat. cum pau- xillo aceti destill. cum linteis calide imponere jussimus. Res iterum ex voto successit: Essentia enim Myrrhæ aliaque bal- samica, post suppurationem applicata, vulnus optime con- glutinarunt, ita ut hic homicida, qui jam promeritam ex- spectat poenam, in tantum sanitati perfecte restitutus fuerit.

### *OBSERVATIO XLIX.*

Dn. D. JO. FRIDERICI FÜRSTENAU.

De

*Febre acuta crisi anticipata quinto die feliciter soluta.*

**Q**uid de diebus criticis, eorumque efficacia statuendum sit, non una est intelligentium sententia. Antiquissimi  
Actor. Pb. M. Vol. IX. Cc mis

mis temporibus Medicos multum ad eosdem respexisse, ex eorum scriptis clare satis appareat. In itinere litterario olim constitutus varios desuper cum celeberrimis & expertissimis Germaniae & Belgii Medicis sermones miscui. Sed non eadem omnibus mens erat. Alii enim dies criticos flocci pendebant, cum rursus alii maximam eorum rationem habendam esse existimarent. Quodsi vero dicendum quod res est, quilibet in praxi medica vel mediocriter versatus semper fere in morbis acutis circa dies criticos singularem in corpore humano mutationem facilis animadvertisit negotio. Crises autem nostris in regionibus, utpote temperatioribus, esse imperfectas, neque cum antiquorum, in calidis regionibus habitantium, crisis comparandas, extra omnem dubitacionis aleam positum est. Interim tamen modo exponenda clare docebit observatio, nullam regulam tam firmam esse, quin patiatur exceptionem.

Vir juvenis, viginti annorum, laudioris conditionis, admodum plethoricus, ferus, robustus, inque omnibus suis actionibus vehemens, variis diætæ erroribus, in primis autem motibus corporis vehementioribus & præcipue equitationibus fortissimis, tempestate frigidissima, deditus, vieti etiam durissimo & vario assuetus, cum optime valens & nihil mali sentiens consueto tempore lectum peteret, simul & semel media nocte prævio horrore vomitum plane enormem, cum omnium sensuum obnubilatione, experiebatur. Succedebat æstus, sitis, cephalalgia, aliaque hujus farinæ symptomata. Altero igitur die statim in auxilium vocatus, indelem & causam morbi adhuc dum ignorans, saltem temperantia, bezoardica & nitrofa præscripsi. Sequentे autem die, continuantibus, imo auctis iisdem symptomatibus, venæctionem in brachio, quam nunquam haec tenus celebraverat, administrare jussi. Hoc facto diluentia, diaphoretica, bezoardica fixa pariter ac volatilia, in pulveris & Essentiæ

tiæ forma justo tempore & debitæ intervallis exhibui. In primis autem pulveres nitroſi camphorati, cum absorbentibus & diaphoreticis remixti, omni fere trihorio exhibebantur. Hos semper blandus per totum corpus se diffundens sudor excipiebat; symptomata quoque quadantenus mitigabantur, niſi quod pulsus tremulus & tendinum subsultus cum levi delirio quandoque intercurrente, mali quidpiam ominari viderentur. Circa noctem emulsiones refrigerantes, cum bezoardicis & papaverinis, ordinare solebam. Potus ordinarius erat ptisana ad gustum ægri parata. Interdum quoque haustus vini Rhenani vel Mosellani concedebatur. Quum vero altera vice, pro ratione indicantium id urgentium, venæſectionem reiterare volebam, propinquai eandem recusabant. Existimabant enim, fore, ut mater admodum timida, & filii primogeniti amore mirum quantum capta, si forte res non ex voto cederet, infelicitis morbi eventus causam in reiteratam venæſectionem conjiceret. Ab hocce itaque proposito invitus defistere cogebat; interim tamen jam dicta medicamenta sedulo continuare jubebam. Quarto die hora quarta matutina narium hæmorrhagia, iteratis recurrentiſ vicibus, aliquod quidem levamen afferre videbatur; ast hæ non diu durabant induciæ. Tendinum enim subsultus, partium tremor, summa debilitas aliaque symptomata, quinto die adhuc durantia, parum salutis promittebant. Circa vesperam autem ejusdem diei, prægressa iterum narium hæmorrhagia, & succedente sudore largo, omnia fiebant mitiora, & ab hoc tempore singulis fere momentis symptomatum decrescebat vehementia. Redibat enim appetitus alias prorsus abolitus, & somnus quietus & placidus sequebatur. Imminuebatur quoque calor, sitis, aliaque febrim continuam comitari solita symptomata. Aegrotato itaque, ut ut alias fero, de vita tamen admodum sollicito, injuncta simul quiete, dictorum remediorum continua-

tionem licet rariori usu, sedulo inculcavi, septimo autem & reliquis criticis diebus nihil, quod critici quidpiam redoleret, observare potui. Aeger enim lectum mox relinquens, saltem de dolore in hypochondrio dextro conquererebatur, qui vero etiam brevi tempore, exhibito & reiterato pharmaco, ex mercurio dulci aliisque appropriatis purgantibus concinato, externe autem ad latus affectum fotu e spiritu vini camph. croc. spir. lumbric. terrestr. sapone Veneto, oleo lumbr. terrestr. similibusque confecto & calide applicato, cessabat, ita quidem, ut etiam hic æger præter spem & opinionem citius ex morbo gravissimo evaserit.

### OBSERVATIO L.

Dn. D. JO. FRIDER. FÜRSTENAU.

De

*Spina ventosa, valde spinosa, exempla quædam.*

Quemadmodum nihil dicitur, quod non sit dictum prius: ita quæ verum in vita communi, & quotidiano rerum usu pollicentur fructum, nunquam dicuntur satis, eorumque, quorum hæc scire interest, memoriæ commendantur. Quare & de spina ventosa, quæ tot aliorum laudabilem industriam exercuit, quædam in medium proferre, eamque in theoria æque ac praxi valde esse spinosam, paucis ostendere in animum induxi. Non autem necesse erit in denominationis ratione, aut fusiori affectus delineatione prolixius occupari, cum satis constet, ossium tumorem inflammatorium & quasi ventosum, inque suppurationem abeuntem, ab Arabibus, inque primis AVICENNA derivato hoc nomine indigitari, cui tamen alli duce M. A. SEVERINO *Pædarthro-* *caces* appellationem substituere malunt. Malum autem pas-

sim

sim nostris quoque in regionibus obvium est, & licet infantili & puerili ætati magis sit familiare, illis tamen non est proprium; ossibus carpi, metacarpi, & reliquis manuum & brachiorum pedumque articulationibus magis est infestum, quamvis non negandum, quod & reliquam ossium compagem male subinde mulctare soleat; cum nullum os totius corporis humani ab eo plane esse immune, & utriusque sexus homines eidem esse obnoxios, observationum fide constet. Causam diri hujus mali indagantes, insignem quandam, acidam imo causticam, ossa corrodentem acrimoniam, uno fere ore, neque immerito, accusari videmus. Quando autem de causis procatarticis, acrimoniam ejusmodi inducentibus, & ossibus non quidem omnibus & singulis, sed his tantum illisve malum inferentibus, ea qua decet attentione solliciti sumus, pleraque, si non omnia, ex rerum, quæ vocantur, naturalium & præternaturalium serie communiter quidem, sed frustra hic allegari deprehendimus. Experientia enim, rerum magistra, nos edocet, & aeris vitia quaelibet, & errores in victu, & animi corporisque motus modum excedentes, & temperamenta quoque, vel potius intemperies quaslibet, vitium hocce vix, nisi in centesimo, imo millesimo forsan subiecto, accidente peculiari quadam dispositione revera producere. Interim non negamus, ab achoribus & similibus exanthematibus improvide retropulsis, vel etiam doloribus arthriticis & rheumaticis, sponte vel incongruorum usu medicaminum retrocedentibus, spinam ventosam frequenter originem trahere. Cum autem haec ipsæ, & si quæ dantur similes causæ occasioales, non in omnibus subiectis, in quibus occurunt, & non nisi rarissimis exemplis morbo huic producendo sufficient; illudemum rem acutetigisse videntur, qui luem venereum, vel miasma quoddam ab eadem relictum, & vel per hereditariam dispositionem, vel aliunde communicatum, si non uni-

cam, potissimum tamen diri hujus mali causam, & fomitem esse adfirmant. Nec obstat, quod plerique hoc morbo decumbentes, eorumque propinqui veram ejusdem causam, aut re vera ignorent, aut eandem constanter dissimulare student; ita ut nonnisi ex diuturna, & sollicita demum causarum indagine & saepe post festum demum eadem innotescat. Interim tamen variolarum, in primis confluentium & malignarum reliquiae, inter plura alia & fontica mala, ut cariem ossibus, ita & spinam ventosam inducere aptae sunt; hincque immerito ex serie causarum occasionalium excludentur; quemadmodum etiam violentiae & injuriæ quælibet externæ siccо pede minime sunt prætereundæ, cum illæ solæ saepe spinæ ventosæ producendæ sufficient. Ex hisce vero ut spinæ ventosæ ætiologia valde spinosa satis elucescit, ita ejus quoque praxin & medendi rationem spinis haud paucioribus & difficultatibus esse implicatam, sequentia, quæ propriis manibus tractavimus, docebunt paradigmata.

Puella nimirum sesqui annum nata, abdomen duro & inflato prædita, siti nocturna & vigiliis perpetuis laborans, oculi quoque dextri sugillationem levem & digitii indicis in manu sinistra tumorem erysipelaceum atque indolentem referens, a Venerando Domino Parente debitissi remediis externis & internis tractata, eodemque duce tumor digitii indicis, maturationi proximus, lancetta a me apertus, notabilis puris ploravit quantitatem; quo facto ulcus balsamo de Copiba, Essentia succini, ut & haud raro, vero & genuino Opobalsamo & unguento digestivo, superinducto emplastro de spermate ceti rite tractabatur, cumque tumor ac rubor digitii sensim esset imminutus ægraque pusilla a potu & vigiliis nocturnis sensim abstracta, nihil tamen minus præter dentitionem difficultem, febre quotidiana, cum vomitu adsumtorum perpetuo, vigiliis & inquietudine summa corripiebatur,

tur, ulceri autem dorsi indicis sinistri aliud tuberculum in manu dextra, brevi quoque exulceratum superveniebat; utrumque autem pus copiosum & tenue, interdum autem plane nullum fundebat; nova vero circa labia, gingivas, linguamque exorta ulcuscula aliaque indicia suspicionem forte haud injustam contagii venerei præbebant. His autem, internorum & externorum remediorum ope, lege artis tractatis & interne quidem mercurialibus per intervalla justa diligenter usurpatis, exterius vero, assidua pulveris euphorbii & olei caryophyllorum applicatione, frustoque tandem ossis cariosi, ex dito indice manus sinistram, deinde quoque ex metacarpo manus dextram feliciter extracto, & emplastro deranis cum mercurio hinc perpetuo applicato, puella mediocriter valebat, nisi quod tibia dextra similem abscessum & spinam pariter ventosam minaretur; quare coelo favente ad desiderium propinquorum iteratum, cum curatrice sua ad locum duodecim hinc milliaribus distantem profecta est, unde paulo post, loca pridem consolida data iterum esse aperienda, & similia parum laeti ominantia nunciantur, quibus malis tandem confecta post biennium vitam cum morte commutavit.

Secundo loco commemorare juvabit, puellam duodecim circiter annorum, quæ & ipsa in carpo manus sinistram spina laborans ventosa, ex quo lapsu sub trahta injuria & violentia externa manifesto læsa vitam hactenus causariam, incantationi ab imperitis imprudenter adscriptam, duxerat. Huic diligentis partis adfectæ deligatione, injectionibus ex aqua phagædenica & infuso herbarum vulnerariarum factis, instituta simul partium carnosarum, ope ceratae spongeæ, dilatatione, oslique corrupto modo pulverem euphorbii, interjecto interdum caryophyllorum oleo, modo mercurium præcipitatum rubrum, cum myrrha vel alumine usque remistum adspergendo, nonnunquam etiam parti tumenti,

menti, accedente simul rheumatismo & vehementi totius brachii dolore, emplastro vesicatorio, ad ductum LENTILLI, adplicato, non omisso internorum mercurialium & similium hæmocatharticorum usu adsiduo, talem paravi, benedicente Deo, medelam, ut manum & brachium, brevi antea tumidum, incurvatum ichoribusque foetidum, mendum, rectum & sanum evaderet, ægraque cum valetudine prorsus in gratiam rediret.

Tertium casum constituit puer tredecim annos natus, qui diu jam manum & brachium dextrum tumidum, fœcum, adspicere horribilem, odoratu abominabilem, incertum ex qua causa, circumgerebat, cui similem & externam pariter ac internam parabam medelam. Sed malum ab aliis maximam partem empiricis & incongruis remediis pridem adplicatis vietique & regimine perverso corruptum, iisdem cedere renuit, quin accedente hydrocele, abdominis, pedum, manuumque tumore œdematoso insigni, cum cachexia & atrophia totius corporis conjuncto, & materia tenui ex ulcusculis profluente, æger febre lenta tabifica confectus, selectis remediis frustra oppositis, inopinato fatis cederet.

Quarto & ultimo loco in scenam prodit puella undecim annorum, quæ & ipsa cum jam ante septem annos variolis confluentibus malignis adfecta esset, hoc ipso tempore & postea in brachio sinistro sat profundas, cum carie ossis subjacentis conjunctas, experta est exulcerationes: quibus quidem lege artis tractatis remansit tamen præter brachii incurvationem circa carpum præcipue conspicuam, tumor & dolor circa apophysin ossis ulnæ dicti, eo quidem loco, quo cum carpo articulatur, quotidie guttula una vel altera purulentæ materiæ inde exstillante; hanc ægram, quæ magnopere ferrum pertimescebat, prævia minimi ulcusculi, ope ceratæ spongiæ, dilatatione, officulo quodam corupto

rupto nigricante & vacillante exempto, pulvere mercurii præcipitati rubri myrrhæque electæ insperso, & emplastro diachylo composito simul superinducto commodaque fascia adhibita, brevi tempore, benedicente Deo, pristinæ valedicuntudini restitui.

(Rintelio Halam missæ d. 13. Novembr. 1748.)

## *OBSERVATIO LI.*

Dn. D. HENRICI HEISENII.

*Mensium defectus perpetui exempla quædam rariora.*

Catameniorum obstructionem multos & sæpe deleterios producere morbos, res est in praxi quotidiana frequenter obvia, quemadmodum etiam id jam prisco ævo Medicinæ dogmaticæ parens, HIPPOCRATES, annotavit, quando in libro de Genitura inquit: *Menibus non procedentibus corpora fœminarum morbosafiunt, quæ tamen verba COUS noster sic intelligenda voluit, quod tunc maxime id contingat, si non aliunde erumpat sanguis, quemadmodum id speciatim declarat Aphor. 33. Sect. V. dum dicit: Menstruis deficientibus sanguis ex naribus profluens bonum.* Rara quidem sunt paradigmata muliercularum, quarum sanguis menstruus, dum per loca naturalia viam aptam non invenit, per aliam ruit portam, quorum complura in Ephemerid. & Actis Nat. Curios. itemque apud PECHLINUM, SCHENCKIUM, multosque alios Observationum scriptores occur- runt. Longe autem rariora sunt exempla illarum fœminarum, quæ per totum vitæ suæ decursum nullum plane expertæ sunt mensium fluxum, cuius rei, inter alios, binos admodum notabiles casus exhibet Joann. RHODIUS, Obs.

*med. Cent. III. Obs. 47.* In censum vero rarissimorum exemplorum illud refero, quod mihi in praxi nuperrime annotare licuit, cui simile nullibi haetenus consignatum inveni. Matrona nempe quædam honesta, boni habitus, sexagesimum nunc fere annum ætatis agens, in matrimonio quinque filias successive in lucem ediderat, quas inter tres menstruum fluxum nunquam expertæ sunt, nullumque ejus unquam vestigium observarunt, nec tamen firma de reliquo destituebantur valetudine, roseumque semper faciei colorem præ se ferebant. Una ex hisce tribus tanquam virgo anno proxime elapso pectorali morbo occubuit. Parentes optumi, ut nil, quod e re esse videbatur, prætermitterent, varia cum a Medicis, tum vel maxime etiam ab Empiricis petitæ, ad hocce naturæ vitium quovis possibili modo emendandum, in usum traxere remediorum genera; mox enim aperientibus & hæmagogis pugnabatur, mox emmenoga, seu strictiori sensu pellentia, & sexcenta alia, sub varia forma adhibebantur, sed irrito semper cum effectu. His ergo nil proficientibus, parentes de filiabus hisce in matrimonium collocandis cogitabant, (quod etiam annis ab hinc quatuor factum est,) sperantes fore, ut maritorum cohabitatione fœcundæ redderentur; sed spe concepta itidem excidere, siquidem natu major ex iisdem non ita multo post consummatum matrimonium febre inflammatoria præmature obiit; altera vero, adhuc in vivis, sine prole, superstes, ad plethoram imminuendam, naturæ in hoc passu defectum arte resarcendum, gravioresque morbos avertendos singulis sex septimanis sufficientem sanguinis copiam venæ sectione emittere cogitur. De reliquo optimè & pancratice valet, nec quidpiam, de quo conqueratur, se habere certo adfirmat.

## OBSERVATIO LII.

Dn. D. HENRICI HEISENII.

*Rheumatismus femoris interno Antimonii usu brevi feliciter sublatus.*

Currentis anni adulto mense Martio me consultum ibat vir plebeius, ætatis consistentis, 30. nempe & aliquot annorum, duris adsuetus laboribus, haec tenus sanus, firmiter persuasus & confisus, me afflictioni suæ medelam parare posse. Conquerebatur vero valde de atrocissimo dolore lancinante & pungente femoris dextri ad genua usque sœviente. Adeo enim dire vexabatur, ut ægre gradi posset, & id ne quidem nisi claudicans cum intensissimo dolore. Externe nullus vel tumor, vel rubor visebatur. Indaganti mihi causas procatarticas, respondit ægrotans, se nullam plane allegare posse causam, quam quod pridem jam, sed mediocriter, hosce persenserit dolores, eosque linimentis fere semper mitigaverit, non raro etiam in totum abegerit, nunc vero ex hisce remediis nil quicquam levatus sit. Ante tres dies, dum mihi hæc enarrabat, venæsectionem sibi administrari primum proprio instinctu curaverat a Chirurgo. Hic autem pro more ejusmodi hominum semidoctorum & nasutulorum tres tantum sanguinis uncias emiserat, cum tamen sine detrimento in subjecto hoc carnosiore & plethorico integrum fere libram educere potuisset. Sub his ergo circumstantiis suasiægroto, ut pilulas purgantes, ex Extract. panchym. Croll. gr. xvij. resin. Gialapp. gr. viij. mercur. dulc. gr. viij. compositas sumeret, quæ etiam alvum decies cum euphoria subduxerunt, & insignem pituitosorum humorum copiam evacuarunt. Hoc facto sequentem exhibui pulverem: Rec. Antimon. subtiliss. pulveris. Sacchar. alb. ana. 3<sup>æ</sup>. Sa-

lis volat. Succin. 3ʒ. M.F. Pulvis, de quo ter de die quantum cultri cuspis capit, adsumatur. Horum medicamentorum usu trium dierum spatio sic se levatum sensit ægrotus, ut rite obambulare & labores consuetos ex voto exercere valeat, Deo T. O. M. & Medico gratias agens summas pro sanitatis in pristinum statum restitutione. Cogitabit forsan aliquis, Antimonium non tam omne curationis punctum in hoc ægrotio absolvisse, quam pilulas purgantes & sal volatile succini ; sed sciat, me alios hoc malo, licet non semper eodem vehementiæ gradu, adflictos, itidem solo Antimonio, saltem cum sacchari anatica portione, pro grato sapore conciliando, remixto curasse, & semper eundem effectum ac solatium manifestum observasse.

### OBSERVATIO LIII.

Dn. D. HENRICI HEISENII.

*Vulnus nuchæ inflictum, cum insigni pectoris tumore complicatum.*

Praxi clinicæ feliciter faciendæ procul dubio quam maxime velificat solida corporis humani sani notitia, quæ haud superficiaria Physiologiæ & Anatomæ cognitione absolvitur. Hujus rei veritatem inter alia demonstrat mirus partium consensus (Græci *τυμπαδεια* adpellant), ab eoque læso orti variii morbi ac symptomata varia. Hunc consensum in Praxi attenta saepius observare licet. Ejus commatis quoque est casus sequens chirurgicus, quem cum non multo abhinc tempore observaverim primum, nec unquam alias relatum legerim, idcirco jam communicare haud dubitavi. Juveni nimirum rurali robusto, viginti circiter annos habenti, sano, musculosa nuchæ pars, intra primam & tertiam colli vertebram sclopeto glande plumbea graviter one-

onerato, forte fortuna perfoditur, sic ut mediante istu magna capillorum pars in vulnus intruderetur. Adstantes Chirurgum statim adeunt; prius vero quam advolat, en! insignis totius pectoris collique tumor in conspectum veniebat, cum respiratione anhelosa valde, non absque adstantium terrore. Adventans demum Chirurgus & prægrandem tumorem contemplans, arbitratur, vulnus adesse malignum seu venenatum, ac tumor in horas augmentum sumenti prius esse succurrendum ratiocinatur. Ingrediebatur itaque paternam pharmaceuticam officinam, petens Unguent. dialth. cum pauxillo Camphoræ remixtum, quo pectus illiniret ægroti, & simul enarrans casum. Ego tum temporis valde juvenis dissuadebam inunctionem, & ut capillamentorum potius procuraret extractionem consulebam. Chirurgus tamen nasutus pectus inungebat dicto unguento, unde respiratio magis anxia evadit & tumor increscit. Hoc viso capillorum farraginem meo consilio extrahere annititur, quo facto omnis tumor evanescebat statim, nondum adhuc elapso horæ quadrante, & respiratio evadebat liberior. Vulnus autem postea lege artis tractatum trium spatio septimanarum sine ulla accendentibus mali moris symptomatis ad consolidationem perfectam perductum fuit, nihilque mali in pectore reliquit.

### OBSERVATIO LIV.

Dn. D. HENRICI HEISENII.

*Aëris adflatus inclementior, cum iracundia, post superatam jam febrem intermittentem demum funestus.*

Fœmina quædam honesta, quinquagenaria major, temperamenti melancholici prædominantis, ante aliquot annos

annos anasarca, hinc & ascite laboraverat, utrisque tamen feliciter tandem, non tam medicamentorum farragine, quam vel maxime robore ac beneficio naturæ, paucis iisque vulgaribus adjutæ remedii, profligatis, hinc quoque a servi-  
tiis apoplectici cujusdam per integrum annum fuerat, quo tempore multos tetros vapores, summa cum nausea, hausit, ab integro trimestri circiter spatio demum conqueri cœpit de lassitudine membrorum spontanea, inadpetentia & vomendi interdum conatu, similibusque symptomatibus. Ipsius ergo his diebus, ad hoc malum abigendum, proprio instinctu purgans aliquod sumit medicamentum, quod quidem *αὐτὸν γάρ νάτῳ* potenter illam exercuit, sed postridie in febrem delapsa fuit ardente biliosam, uti quidem symptomata arguebant. Conquerebatur enim de oris insigni amarore, æstu, cephalalgia & siti inextinguibili; urina admodum erat biliosa, cruda, cum multis in superficie bullis & absque sedimenti vestigio. Accersitus ego præscribebam pulverem ex depurato nitro, crystallo montana præpar. Rhabarbaro & lapidibus cancror. ppt. compositum, nec non potiunculam diluentem & temperantem. Hisce & similibus per triduum, subjuncto regimine conveniente, usurpati, æstus & reliqua, quotquot aderant, symptomata remittebant. Alius autem huic statim succedebat hostis, febris nempe intermittens tertiana, post unam alteramve accessionem in quotidianam terminata, ac simul cum iætero complicata. Sub his igitur circumstantiis novum istud malum, præmisso infuso laxante rhabarbarino, (poscente sic morbi utriusque genio,) expugnare tentavi salino-digestivis medicamentis, admixta semper Rhabarb. opt. & absorbentis alicujus certa portione, quibus etiam effeci, ut mitiores accessus persenserit ægrotia, sed quam maxime adhuc conquerebatur de oris amaricie & nausea insigni, simulque efflagitabat emeticum aliquod. Licet autem vires valde debilitatæ deprehenderentur, nihil

hilo tamen minus pertinaciter inhærenti ægrotæ mitius tale remedium exhibui, satisque magnam saburræ biliosæ copiam per vomitum rejecit, nullum vero inde levamen obtinuit. Impatiens ergo hujus rei, proprio motu duo adhuc per vices sumsit vomitoria, & semper insignem biliorum humorum quantitatem evomuit, remanente tamen semper amaritudine pristina. Quum itaque viderem, materiam peccantem per superiora imminui, vel potius eliminiari in totum nequaquam posse, quolibet tertio die decoctum rhabarbarinum, cum abstergente salino remixtum, exhibui, tandemque id consecutus sum, ut mitior dein facta febris pedetentim, una cum aurigine conjuncta, remitteret, & de nulla amplius cogitaretur re, quam virium amissarum convenienter restitutione. Hoc igitur tempore ægrota nostra in ædibus obambulans, animadvertisit, non omnia durante morbo ad amissum esse peracta, hinc vehementi comovetur iracundia & adflante insuper aëre inclementiori (ein Zug-Wind wehete sie an) subito delabitur in ueroxov, ac una veluti in stuporem; oculis enim apertis dormiebat & expergefacta vel interpellata non respondebat, nec, re aliqua oculis proprius admota, palpebras vel ipsum oculum movebat. Symptoma hoc mali utique præ sagii nec selectioribus remediis adhibitis ullo modo auscultabat, ut ita impediri haud potuerit, quo minus hic miser status per integrostres duraverit dies, quibus exactis, omnibus animalibus & vitalibus, hinc & vel maxime rationalibus actionibus imminentis & prorsus amissis, ægropa, cum valetudine in gratiam redire visa, tandem occubuit.

## Scholium.

Intermittentem quotidianam febribus diuturnis, ægre-  
que cedentibus adnumerat GALENUS Lib. II. Cap. 6. de  
*Crisi-*

*Crisibus*, ejusque rei *Comment.* III. *Progn.* 23. causam notat trifariam, partem nimirum adfectam curatu interdum difficultem, humores crudos, crassos incoctosve, & demum errorrem. Suo id exemplo exakte comprobavit ægrotia modo allegata. Præterquam enim quod ex ascite antea perpesta & aurigine nunc complicata, hepatis præcipue, si non omnibus abdominis visceribus, labes mortifera inducta, & durante curatura apoplectico memorato præstita, insignis quantitas pravorum humorum collecta fuerit; ægrotia quoque graves in sex rebus non-naturalibus commiserat errores, ut idcirco mirum haud sit, illam tandem extintam fuisse, manifesto insimul indicio, omne fere hydropsis genus post brevem vel longam moram viam ad Lethum sternere & in hunc usque diem saepius adhuc Medicorum evadere opprobrium,

## *OBSERVATIO LV.*

Dn. D. HENRICI HEISENII.

### *Apoplexiæ Historiæ.*

**V**ir senex, septuaginta & septem annorum, temperamento melancholico-sanguinei, venæfectioni & scarificationi per maximam ætatis suæ partem regulariter, ultimo biennio ante morbi, quem delineare in præsentiarum animis est, excepto, adsuetus; nullis unquam vel motibus, vel conatibus, multo minus excretionibus hæmorrhoidalibus, vel alii cuidam hæmorrhagiæ naturali obnoxius. Is dum juvenis esset, ac vigente florenteque ætate, nec non post hanc, quemadmodum ille apud Rembertum DODONÆUM, vini potatione valdopere delectabatur, cuius subinde complures mensuras exhaustire poterat, citra ebrietatem

tem aut cerebri ullam offensam. Hic post sexagesimum annum temperantius vixit; elapsis vero septuaginta vitæ annis multo etiam parcus, quam antea. Militiam quoque olim secutus, Marti non solum, sed & Veneri strenue litavit; hinc quoque præmiis, quibus tales subinde adficiuntur certatores, haud destitutus fuit, siquidem per intervalla saepius Gonorrhœa benigna, non raro etiam maligna, si non ipso morbo gallico, laboravit, hocque porro luxuriosum & ad excessum usque libidinosum vivendi genus in causa fuit, quod ad vitæ fere ultimum usque finem ulceræ pedum cacoëthea non sine gravi molestia gestaverit. Non obstantibus tamen hisce & similibus, Venerem in senectute jam decrepita amplecti crebro non destitit. Anni demum currentis hujus medio mense Februario subito corripitur Apoplexia gravi, cum sensuum internorum pariter ac externorum oppressione fere plenaria, respiratione sonora, aliisque similibus symptomatibus, post paucas elapsas horas in Hemiplexiam dextri lateris desinente, sublato libero non solum motu, sed & partium in hoc latere sensu, cum linguæ paralysi, rationis & memoriæ læsione graviori, ac deglutitionis summa difficultate. Consultus in id parens meus, tum temporis adhuc in vivis, venæ sectionem statim largam instituere jubet, & præmissa extremitum frictione utrique cruri emplastrum vesicatorium applicare. Interne, præter cephalica, selecta nervina & aperienda, suggerebat quoque diluentia & resolventia, non neglectis ptarmicis naribus immisſis. Quum autem brevi post parens optimus, in cineribus quoque adhuc pie devenerandus, nimis mature proh dolor! ad æterna migraret gaudia, alius accersitur Medicus, qui eodem insistens tramite, præter jam dicta, externe unguinosa quoque varia, satis pretiosa, adhibebat, eo quidem successu, ut æger rationis & memoriæ usum quadantenus receperit, sensus & motus lateris affecti aliqualis redierit; pedibus autem insistere minime potuerit.

tuerit. Hæc agitabantur ad initia usque mensis Aprilis, quo tempore ad patrios reversus lares & ego in auxilium vocabar. Visitans itaque ægrotum, deprehendebam illum in cubili sedentem, balbutientem valde; serum præterea copiosum ex ore manabat; respiratio erat admodum anxia & sonora; lingua adparebat tumida valde, quæ etiam causa erat, quod solidos cibos minus rite deglutire posset, & ne fluidorum quidem deglutitio sine vehementissima interveniente tussi procederet. Venæ cum arteriis in capite & collo, maxime in fronte, admodum tumidæ & inflatæ erant, hæque ultimæ fortiter pulsabant; tunica etiam oculorum albuginea, rubore suffusa, inflammationem mentiri videbatur. Adpetitus erat integer, si non excedens, quod & in plerisque hoc morbo decubentibus offendere licuit. Tumor præterea aderat pedum œdematosus, & singulare quid monstrabat manus dextræ paralyticæ tumor, cum pedis sani sinistri tumore reciprocans. Penitus ergo probe omnibus circumstantiis, & indicationibus, ut vocant, curativis rite formatis, venæ sectionem largam, ab ægro adhuc sanoscitante neglectam, quamprimum reiterandam suasi. Prior vero Medico & nonnullis adstantibus administrationem ejus impedientibus præter infusum rhabarbarino - fennatum cum Extracti Ellebori nigri scrupulo uno acuatum, ad primarum forsan viarum cruditates eliminandas, hac vice nil porrigebam. Quum ergo non ita multo post peregre mihi per quadrimestre circiter temporis spatium abeundum erat, accidit, ut prior denuo in partes tractus Medicus venam sinistri brachii secare juberet, sicuti id antea a me, ipso tunc contradicente, commendatum erat, sicque paroxysmum imminentem & proxime instantem feliciter iterum declinaret. Præterea methodo supra jam allegata ab ipso adhibita tractavit ægrotum usque ad Octobrem mensem ann. curr. quo domum iterum redux quam velocissime ad ægrotum accer-

accensor. Advolans etiam ad desiderium, novo ægrotum obrutum paroxysmo invenio, cum sensuum defectu, facie & præcipue oculis torvis & aliis supra jam adductis symptomatibus. Cruoris igitur vitalis ex brachii sani vena ingentem satis quantitatem educere jubeo, & de sequenti Mixtura tonica bina exigua ipsi infundebam cochlearia: Rec. Tinct. Fuligin. Clauderi ʒij. Spir. salis ammon. anisat. Bals. vitæ Hoffm. ana ʒj. Olei destill. Salviæ gtt. iv. M.

Hocce adsumto remedio in somnum placidum delapsum ægrotum deserebam. Altero mane inveni illum melius se habentem, sudore quasi diffluentem, adque interrogata apte respondentem, cum pulsu magno, duro, quadantenus celeiore. Urina erat turbida, & copiosum sedimentum ad fundum deponebat. Mixturam modo memoratam, in dicta itidem dosi, quinta vel sexta qualibet hora denuo sumendam suasi, utque cruri utriusque emplastrum vesicatorium adplicetur, jubebam. Triduo post, antea a me præscriptum infusum laxans ipsi exhibui, quod satis notabilem impuritatum copiam eduxit cum euphoria. Ex horum ergo usu medicamentorum sic se levatum sensit ægrotus divino adjutus auxilio, ut uno altero eve elapo septenario tam solida, quam fluida, sine impedimento adsumere & deglutire, pedibus itidem ḥρθισάδιος insistere, & cum baculo in hypocausto obambulare; articulate porro & apposite loqui & respondere valuerit; memoriam demum & rationem in totum fere reperit, excepto solummodo illo tempore, (quod tanquam peculiare quid neutiquam omittendum duxi) quo novilunium adparuit vel instans, vel jam præsens, utpote quo confuse admodum & minus articulate loquebatur, adeoque rationis adhuc temporariam patiebatur jaeturam. Quo itaque in hoc ad minimum statu conservarem eundem, auctor fui, ut quolibet fere mense lene aliquod purgans sumeret, ad ciborum reliquias, ex adpetitu nimio in ventriculo &

intestinorum canali forsitan subsistentes, blande educandas, insimulque ad plethoram ex hac causa forsitan productam imminuendam, insultumque novum præcavendum, quolibet bimestri spatio ventilationem sanguinis fusciperet, sicque debite observatis hisce regulis, belle etiam valuit. Factum est autem, ut, postquam sanguinis ipsi adeo salutarem educationem semel atque iterum omiserat, aliquando in coena bene pastus novo iterum correptus insultu apoplectico, priusquam medelam facere quis poterat, subito accedente mira spasmorum ac convulsionum facie, exspiraverit, id quo circa solstitium hujus anni hibernum contigit.

### Scholium.

Apoplexia ordinarie in serosam ac sanguineam, nec immerito, dispescitur. Non raro autem utramque conjunctim occurrere, & mixtam sic, si ita adpellare licet, constituere, Casus modo adductus evincit. Non solum enim plethora ex adminiculorum chirurgicorum neglegta administratione facilis negotio iterum emergens, sed & fonticulorum naturalium exsiccatio, ulcerum nempe pedum, morbo huic atroci producendo velificarunt. Non postremam autem mórbo anam, sed maximam dedisse Veneris studium immodicum, merito mihi persuadeo. Opportune hic in mentem mihi veniunt ea, quæ celeberrimus quidam Practicus jam pri dem monuit, multos in lecto mortuos esse inventos, cuius subitæ mortis causam non nisi Veneris, in senescente admodum ætate abusum fuisse, postea adparuit ; quæ sane & ad nostrum quadrant casum.

(Vacha Hassorum Halam missæ d. 28. Decembr. 1748.)

## OBSERVATIO LVI.

Dn. D. JOANN. FRIDERICI CRELLII.

De

*Canali osseo peculiari in Crano observato.*

**O**mnis generis observationes anatomicas singulares, rariores & novas, quas in sectionibus cadaverum in Theatro Academiæ Juliæ Carolinæ anatomico notabo in usum publicum describere mihi proposui, quæ, si non omni ex parte novæ sint, partim tamen aliquos naturæ lusus, & in struenda corporis machina variationes exhibebunt, partim quid morbus in mutandis partibus solidis valeat, ostenderet, aliorumque observationibus confirmandis inservire poterunt, ut vel hoc nomine non ingratum hoc lectoribus spicilegium futurum sperare liceat; siquidem, prout CICERO de *divisione Lib. II. Cap. 71.* ait, *observatio diuturna, crebriusque iterata, notandis casibus facit artem.* Dum in cerebro aliquo demonstrando Ann. 1742. occupati eramus, atque ad illud e crano eximendum principia nervorum a medulla oblongata dissoluebamus, arteriam carotidem, quæ pone sellam turcicam, ad interiora cerebri perrectura, ascendit, peculiari canali strictius inclusam esse notabamus, cuius fabricam, purgatis ossibus, curatius indagando, apophyses clinoideas anteriores ossis sphenoidei statim pone foramen opticum, infuctum hoc foramen, diametro magnitudini arteriæ carotidis respondens, dimissa prope extremum marginem ex parte inferiori columna ossea, lateribus sellæ equinæ affixa, efformare comprehendimus. A nullo scriptorum anatomicorum, cum antiquorum, tum recentiorum, quos hanc ob causam evolvimus, simile quid annotatum invenimus, nisi quod accuratis-

simus WINSLOWIUS, *Anatomæ suæ Part. I. §. 234.* his verbis ejus meminisse videatur: *Quatre apophyses clinoides, deux anterieures, & deux posterieures, dont les deux posterieures quelque fois n'en sont qu'une, & quelque fois s'avancent vers les anterieures, & s'y unissent en maniere de poutre, sous laquelle passe la derniere courbure de l'artere carotide interne; on trouve aussi ce passage divisé en deux par une petite colonne ou cloison osseuse; & plusieurs autres varietés.* Cum qua descriptione exacte convenit horum processuum concursus in capite, quod præparatum celeberrimus HEISTERUS noster, Patronus atque Collega summe venerandus, in amplissimo suo apparatu anatomico servat, & benevole mecum communicavit: Utroque enim in late-re posteriores processus ad anteriores exporriguntur, septumve quoddam osseum, foramen efformans, constituunt, ita ut in dextro latere ex concursu binorum processuum & tertio a sellæ lateribus assurgente conflatum sit; in sinistro vero posterior processus solus columnam osseam dimittat, quæ tamen sellæ latera non penitus attingit; in nostri vero cadaveris capite processus illi quatuor in totum a se distant, & dictum foramen, utrinque perfectum, a solis anterioribus, non longe procedentibus, effectum est.

### OBSERVATIO LVII.

Dn. D. JOANN. FRIDER. CRELLII.

De

*Officulo in processu sagittali duræ matris reperto.*

In eodem cadavere 1742. hic dissesto, officuli præternaturalis intra processum falciformem duræ matris reperti meminisse fas erit. Scilicet dum ad interiora cranii aditum nobis

nobis parabamus, remotis integumentis externis, ad latus dextrum suturæ sagittalis summo in vertice in pericranio æque ac ipso ossè parietali fugillationis quoddam vestigium duorum circiter digitorum latitudine occurrebat, quod ab ultimo capitis detruncati casu, & ad corpus quoddam durum allisione deduxissemus, si cutis pari ratione suffusa fuisset, quæ tamen unius ubique coloris manserat. Dum cranii dissecti hæmisphærium superius removere conabamur, ibidem fibræ duræ matris præ aliis locis fortius adhærebant, non sine majori vi avellendæ; dura matre discissa, eodem in loco vasa piæ matris, ad sinum longitudinalem abeuntia, aliquantum dilatata, & ab humoribus in trajectu impeditis ultra naturalem diametrum distenta vidimus. Dum vero causam illius phænomeni scrutamur, in latere dextro dicti sinus corpus durum & asperum intra illius membranas tangimus, quod dimidium fere pollicem longum, posteriori parte latius crassiusve, versus anteriora extenuatum & in præacutam cuspide desinens, ungulam avis cuiuspiam minoris figura satis exæte referebat, multisque fibris arcte cum duræ matris tunicis cohærebat. Similium ossium in dura matre generationem celeberr. quondam Argentoratensem Medicus Joann. VALENT. SCHEID, peculiari *Dissert. de officulis in cerebro humano mulieris apoplexia extinde repertis*, ex instituto descripsit, pluresque Observationes huc spectantes ejusdem Collega, celeberr. Joann. SALZMANNUS, in *Dissert. de ossificatione præternaturali* §. X. collegit, uterque etiam modum, quo in ejusmodi membranis officula generari possint, exponere conatus est. Mihi quidem, ejusmodi corpora dura ab humorum quacunque ex caussa collectorum stagnatione, eorumque dissipata parte tenuissima, induratione generari, figuram vero a loci, in quo hærent, dispositione varia obtinere, verosimile videtur, prout fusiushoc, in *Dissertatione, de arteria coronaria cordis instar ossis indurata,*

*ta*, Vitembergæ 1740. ventilata, demonstrare annisus sum. Semel vero formata ejusmodi corpora cūra, partes vicinas molles comprimendo, & si, prout nostrum, aspera & acuta sint, pungendo, varias molestias, dolores, & in circuitu humorum impedimenta generare debere intelligimus. Cum autem hoc ad locum, ubi vasa ex pia matre intra sinum penetrare debebant, adhæreret, transitum per illa sanguinis impediendo dilatationem horum vasorum aliquam produxit, maiorem futuram, nisi facile per lateralia vasa, per anastomoses his juncta, sanguis hic impeditus ad sinum devehi potuisset: neque dubium est, quin gravioribus cephalalgiis irritatione sua excitandis aptum fuerit acutum hoc in apice ossiculum, quibus tamen an obnoxia fuerit, dum viveret fœmina, non constat.

### OBSERVATIO LVIII.

Dn. D. JOANN. FRIDER. CRELLII.

De

*Processu vermiformi peculiari, intestino cæco  
adnexo.*

**A**perto abdомine, in eodem hoc cadavere, dum canalem intestinalis lustrabamus, *appendix vermiformis* intestini cœci attentionem nostram poscere videbatur, siquidem hic non solum major atque capacior, quam alias in adultis esse solet, deprehendebatur, verum etiam intus corpore compacto repletus erat. Repurgatis igitur intestinis, saccoque cœci intestini, ad fabricam *valvulae BAUHINI* demonstrandum, aperto, in hujus quoque processus orificium studiosius inquirebamus, illudque præter morem ita ampliatum, ut minimi digiti apicem satis commode recipere posset, atque cavaum

vum ejus fecibus, globulorum minorum figura formatis, refertum videbamus. Hoc ergo phænomeno usum illius, dum in fœtu nullas feces excernente pro receptaculo illarum habetur, confirmari censeo, in primis si conditionem reliquorum intestinorum crassorum simul attendimus: illa enim intestini coli portio, quæ in latere dextro ascendit, & arcus ejus, sub hepate & ventriculo transversim excurrens, insigniter distenta videbantur; at reliqua pars, quæ in latere sinistro descendit, & denique in rectum terminatur, angustata atque contracta erat, ut vix tenuis intestini diametrum æquaret: transitu enim fecum ab hac intestini spastica contraktione impedito, aliquam illarum partem in processum vermiciformem intrusam, ibidemque retentam esse apparet.

### *OBSERVATIO LIX.*

Dn. D. JOANN. FRIDER. CRELLII.

*Varia singularia circa partes genitales, ac speciam uterum & ovaria, observata.*

Uterus & ovaria, in eodem hoc cadavere, ac reliquæ partes generationi dicatae, uti in paucissimis foeminis ab omni labe immunes sunt, ita hic quoque varia a naturali statu recendentia offerebant. Utrumque ovarium non solum pluribus vesiculis lividis, sero sanguinolento turgidis, repletum erat, sed dextrum in primis in parte anteriore exiguum ex crescentiam globosam, pisi minoris magnitudine, a tenui parvoque petiolo suspensam, exhibebat, quam primo intuitu facile quis pro ovulo imprægnato, a substantia ovarii secedente, neque tamen ab eodem penitus separato, sed mediante petiolo adhuc connexo, habere posset, in primis si alium cum hac observatione conferas uterum, quem inter

præparata mea ostendere possum, in quo tubæ Fallopianæ arctissime cum ovariis concreverunt, atque prope orificium dextræ tubæ similis pisiformis protuberantia ex ovario dependet, ut ab amplexu fimbriarum tubæ elevata, non vero prorsus separata fuisse videatur. Aliam tamen horum tumorum originem esse vel ex hoc ipso cadavere discere licebat, siquidem in eodem latere dextro a ligamento uteri lato, aliquot ab ovario digitorum distantia, simile corpusculum longo satis petiolo dependebat, priori quoad omnia simile, nisi quod hoc pellucidum esset, cum prius obscuriore carneum colorem præ se ferret; quale etiam alia occasione ab externa tubæ Fallopianæ tunica in media ejus longitudine emergens me observasse recordor. Quæ utraque cum ad ovula referre locus, in quibus radicata hæserunt, non concedat, eandemque omnia conformatiōnem habeant, illa quoque in ovariis notata pro ovulis non esse reputanda declarant; unde potius ad tumores cysticos, ab humore in vasis lymphaticis stagnante & intra folliculum peculiarem congesto formatos, similes excrescentias referendas esse crediderim. In proclivi foret, pluribus celeberrimorum Auctorum observationibus hanc de genesi harum vesicularum sententiam illustrare, si temporis angustia hoc concederet, quod tamen alia occasione, cum pluribus rarioribus circa partes generatiōni inservientes observatis, ex instituto præstabimus.

Jam tribus adhuc verbis ipsius uteri præter naturam in hoc subiecto affecti meminisse par erit. *Orificium uteri internum tumidum scirrhosumque tactu deprehendebatur, fundus contra lividus mollisque, humoris intus fluctuantis suspicionem movebat, quo aperto tunicam internam exesam ipsamque ejus substantiam ulcere fætente corruptam conspicere licebat, unde etiam foramen e fundo uteri ad tubas utrinque tendens, quod alias vix setam admittit, adeo amplem redditum erat, ut stilum satis crassum commode intrudere liceret.*

OBSER-

## OBSERVATIO LX.

Dn. D. JOANN. FRIDER. CRELLII.

*Puellæ gibbosæ sectio, & caussæ hujus mali in eadem detectæ.*

Puella quatuordecim circiter annorum, antea sana, & iusta membrorum omnium proportione, ipsarumque etiam vertebrarum junctura, naturaliter conformata, lapsu supino, præter opinionem in terram prostrata, dorsumque vehementius eminentibus asperioribus lapidibus allidens, atrocioribus illis, qui primum impetum excipiebant, doloribus superatis, alium tamen, etsi paulo obtusiorem, remanere, atque elapso aliquo temporis spatio dorsi spinam incurvari mediaque parte protuberare sensit. Quæ cum patienter quidem ferret, neque, uti in more positum est tenuioris sortis hominibus, sub initium ingruentis mali medelam quæret, post aliquot menses juxta ipsum tuber durus dolensque tumor, satis alte penetrans, formari, cutimque versus exteriora urgere, cœpit, quo, cum profundius humorem latitare perciperetur, denique ad maturationem deducto, materiaque intus collecta emissâ, sedulo licet adhibitis depurantibus, abstergentibus atque balsamicis minime tamen consolidari potuit, sed perpetuo exstillante sanioso ichore, sinuosos intus cuniculos agere, lateque divagari, exploracione specilli ac injectionibus deprehensum est: unde atrophia totius corporis juncta, & insigni inferiorum extremitatum debilitate, standique ac ambulandi impotentia succedente, viribus sensim fractis, tumoribusque œdematosis ultimo late se diffundentibus, exspiravit. Altiori omnino indagine digna videbatur sedes, in qua fons & origo pertinacis hujus ulceris lateret, quasve potissimum partes destruendo mise-

ram confecerit. Precibus igitur pretioque tandem veniam, cuncta curiosius lustrandi, impetravimus, ubi exterioribus corporis mire in superioribus partibus extenuati, inferioribus contra sero infra cutem in celluloso contextu stagnante tumentibus, consideratis, ad interiores corporis cavitates curatius inspiciendas properatum est. Cum thoracis figura a distortis vertebris depravata esset, siquidem processus spinosi, a quarta ad nonam, parte postica insigniter prominebant, superioribus æque ac inferioribus interiora versus inclinatis, non adeo mirandum videbatur, quod pulmones, in arctius spatum compressi, minusque commode explicati, hinc inde fortius cum pleura coaluerint, & ob sanguinem ægrius per illos trajectum variis in partibus corrupti viderentur: nexibus illis insolitis solutis, & pulmonibus a pleura, quantum sine illius læsione fieri poterat, liberatis, nullum vestigium ulceris, ad cavitatem thoracis penetrantis, quod aliqui ante suspicati fuerant, sed pleura integra deprehendebatur. Tanto magis itaque scire desiderabamus, quorsum sinus illi pergerent, cum *flexilis stylus, intra octavæ & nonæ costæ interstitium ulceri immissus* sub ipso gibbere ad oppositum latus pergeret, neque exitus inveniretur. Trunco igitur aortæ descendente, qua vertebris thoracis incumbit, remoto, pleuraque dissecta, *plura vertebrarum corpora carie fœdata reperiebantur*. Quintæ enim & sextæ corpus a latere arrosum, septimæ fere totum absumtum, & quod de illius parte inferiore residuum erat, cum octavæ reliquiis ita coaluerat, ut ægre locus, ubi cartilagine distinctæ fuerant, notari posset; octavæ corpus inferiori parte ultra dimidium, nonæ vero penitus deficiebat, decima vero superiori parte itidem labem jam tum contraxerat; ligamentum illud cartilagineum, quo corpora vertebrarum copulantur in omnibus, quæ carie arrosæ erant, penitus destructum videbatur, siquidem illud ex substantia, uti celeberr. MORGAGNIUS in

Ad-

Adversar. anatom. III. p. 104. monet, inter cartilaginem & ligamentum fere media constat, adeoque ossibus mollius vim acris saniei celerius sentit, ab eaque primo consumitur. Neque costas ab hoc malo intactas mansisse facile intelligitur, siquidem nexus inter capitula posteriora & corpora vertebrarum, his exesis, labefactatum fuisse patet, in primis tamen nona utriusque lateris vitiata erat, cum octavæ vertebræ corpus ex parte, nonæ vero totum deficeret, atque hoc præterea loco pus intus inclusum exitum ad exteriora sibi paravisset, hinc dextræ capitulum posterius fere totum, reliquum ossis usque ad angulum curvaturæ superna parte absuntum, sinistræ vero capitulum itidem media parte exesum erat. Si genesin hujus mali ex phænomenis antea recensitis eruerre placet, primo illo lapsu spinæque concussione vehementi, ligamentis illarum vim insignem illatam, horum vero violenta tensione, vasculis quibusdam destructis, liquores suos effundentibus, inflammationem excitatam colligimus, qua in suppurationem versa, pure autem exitum nullum inveniente, sed intra membranas ambientes coercito, acrius in dies redditum, ipsa vertebrarum arrodit ossa, quæ tanto facilius destruuntur, quo magis corpora ipsarum naturæ spongiosæ atque fragilia esse constat: unde & processus illarum, solidiore textura gaudentes, non adeo facile carie simul afficiuntur. Cum vero spina vertebrarum totam capitum sustineat molem, tanto hiatu a deficientibus corporibus relicto, superiores basi, cui innitantur, destitutæ, in priorem partem deprimuntur, residuos vero processus corruptarum versus posteriora simul urgebunt, sicque inæqualem illam dorsi flexionem producent, prout fusius hæc & solidissime celeberr.

Jo. Zacharias PLATNERUS, Patronus multum coleandus, inscriptione de iis, qui ex tuberculis gibberosi fiunt, deduxit, qua 17. Aprilis anni 1744. eodem fere tempore, quo nostrum cadaver dissecatum fuit, argumentum hoc occupavit, iconem-

nemque thoracis ossei, a nostro, quem inter præparata asservamus, non multum diversi, adjecit (a). Uti vero subinde, monente mox laudato Viro, tandem exesis membranis, quæ extus illa corpora cingunt & cum vicinis partibus connectunt, sanies illa, ossibus simul colliquatis, aucta, in pectoris cævum perrumpit, atque respirationis difficultatem, ante jam a tumentibus & contractis ligamentis perceptam, thoracem replendo & pulmonum expansionem impediendo auget, imo ipsos sæpe pulmones corruptit, ita nostro in casu firmatam pleuræ, interiora pectoris succingentis, mirari fas est, quæ nulla inde ratione læsa fuerat, sed omnis pressio magis versus exteriora vim suam exseruerat, sicque tumor ille externus in dorso generatus eoque aperto materiæ corruptæ exitus conciliatus est, ut jam ad pectus penetrare non posset, et si ob profundiorum ossium corruptionem, ad quam tollendam nullus accessus dabatur, sisti malum latiorque destrutio arceri nequiret. Cum autem quotidie magna saniei pars intra vasa sine dubio absorberetur, insuperque actione pulmonum, ob thoracem male conformatum, turbata, sanguis in illis minus perfecte divideretur, tandem cachexiam generatam fuisse, non exterius solum œdematosi illi tumores evincebant, sed lymphæ vias, ubique a viscida materia obstructas, indeque nutritionem corporis vitiatam, glandularum bronchialium, dorsalium, lumbarium, imo ipsius magna ex parte pancreatis, insignes tumores, materia gypsea repleti, docebant, quæ, in pluribus cacheoticorum corporibus obvia, jam quidem fusius non commemorabimus.

OBSER-

(a) Hoc skeleton nunc post obitum beati CRELLII in Museo suo anatomico illustris HEISTERUS affervat.

## OBSERVATIO LXI.

Dn. D. JOANN. FRIDER. CRELLII.

De

*Peculiari & paullo rariore membranæ hymenis in eadem puella gibbosa constitutione.*

In sectione hujus puellæ, pubertati proximæ, ad genitalium ejus partium constitutionem tanto magis indagandam incitatus sum, quod ante breve tempus in corpore aliis cuiusdam puellæ, ejusdem fere ætatis, hydrope defunctæ, frustra illas quæsivimus, partibus illis a colluvie serosa acrique sine dubio nimis relaxatis atque destruetis. Tanto vero luculentius in nostra eadem comparebant, siquidem, distractis pudendi labiis, in parte inferiori membranam hymenis forma lunæ cornutæ more sueto explicatam, ultra medianam ostii vaginalæ altitudinem assurgentem, offendebamus ; pone hanc vero columnam quædam carnea a parte inferiore urethræ papillosa originem ducens, per medium hiatus relieti descendens, atque posteriori hymenis parti applicata, inferius in vagina firmata conspiciebatur, quæ septi in kar in duas veluti cameras summam vaginalæ partem dividebat, sive aditum ab hymene angustatum penitus fere occludebat. Non equidem ignoro, similem aliquoties conformatiōnēm deprehensam esse ; siquidem celeberr. MORGAGNUS in *Adversar. anatom. I.* p. 39. eandem pari ratione describit, additque : *Quod perrare fieri credidisse, nisi & mihi nuper observatum esset, & publice clariss. VALSALVA unum intra annum bis obseruasset & ostendisset ; ut hinc intelligi possit, quare hymen interdum etiam virginea, seu virginitatis columna ab eruditis hominibus sit appellatus.* Nihilominus clariss. Hen-

*Henrico BASSIO assentiri non possum, qui in Observatio-*  
*nibus anatomico - chirurgic. Dec. II. Obs. III. hanc colum-*  
*nam pariter describit, & pro naturali in omnibus recens na-*  
*tis invenienda habet, quæ secundo & tertio anno, nexus*  
*eius cum meatu urinario, ab urina, perpetuo illam hume-*  
*stante, soluto, versus partem inferiorem se contrahat, atque*  
*trianguli figuram assumat; in adultis vero paulatim expla-*  
*natur, atque ad semilunarem figuram accedat: siquidem si*  
*acrimonia madorque urinæ ad destruendam hanc columnam*  
*sufficeret, multo magis ipsam hymenis membranam, illa*  
*multo teneriorem, colliquaret, & in nihilum reduceret.*  
*Unde potius celeberr. Dn. Joh. Jacobi HUBERI, qui in*  
*commentatione de *Vaginæ uteri structura rugosa & hymene*,*  
*pag. 50. simili ratione occlusum genitale puellæ septem an-*  
*norum describit & delineat, sententiam meam facio, atque*  
*quoties ejusmodi hymenis structura ecurrit, illam pro *præ-**  
**naturali*, vel a prava conformatione, vel a morbo indu-*  
*cta, habendam, censeo; siquidem sæpius vel ab urina, vel*  
*aliis purulentis humoribus, nisi probe mundentur, intenel-*  
*lis partes has arrodi posse manifestum est: unde conniventia-*  
*bus tunc vaginalæ lateribus superior æque ac inferior papilla*  
*in unum corpus concrecent, pluribus ejusmodi coalibus do-*  
*cumentis variis in corporis partibus id confirmantus. Id*  
*sane certum est, ejusmodi columnam, carneæ texturæ, quo-*  
*cunque demum tempore natam, si ad pubertatem usque*  
*crescat, tantum robur acquirere, ut a pene illam dilacerari,*  
*aut hymenem hac a posteriori parte suffultum destrui posse,*  
*vix crediderim, sed præmissa demum partis illius excre-*  
*centis refectione ad coitum idonea reddi possit fœmina.*

OBSERVATIO. LXII.

Dn. D. JOANN. FRIDER. CRELLII.

*Notatu maxime digna valdeque singularia, in cadavere mulieris a pueritia claudicantis & epilepticæ observata.*

Cadaver hoc anno 1746. in Theatro anatomico Helmstädiensi dissectum, ætate erat inter annum quinquagesimum & sexagesimum fere media, quod, dum vivebat, epilepsia sæpe fuerat correptum, quibus vero malis nulla medela, graves ob rationes, ullam utilitatem præstare voluit.

1. Fœmina hæc, quæ in cælibatu continuo vixit, valde erat emaciata, pedes vero & dorsum usque ad scapulas tumore œdematoſo valde distenti adparebant.

2. Dum abdomen incidebatur, venæ omnes in intestinis & ventriculo, ad subtilissimos usque ramulos, sanguine ita erant infarctæ, quasi cera purpurea repletæ essent.

3. Intestinum colon circa finem, antequam in rectum transmutabatur, valde magnas habebat inflexiones, quales alias vulgo observari non solent.

4. Glandulæ mesenterii & Ovaria utraque in tumores duros erant transmutata.

5. In latere dextro capitis, ubi os frontis & parietale sutura conjunguntur, tumor se se ostendebat, ovi dimidii, secundum longitudinem dissecti, fere magnitudine, qui tamen durus deprehendebatur, & postquam cutis inde separata erat, pericranium a tumore isto separari vix poterat, quia robusta substantia membranacea cum ossibus craniī & hoc tumore arctissime connexa erat. Dum vero hujus tumoris origo curatius a me investigabatur, postquam cranium, facta

dissectione transversa, a cerebro aliquo modo remotum erat, cum adstantibus Medicinæ studiosis observabam, dictum hocce cranium a parte interiori *ossis bregmatis & frontis*, ubi futuræ conjunguntur, *carie valde arrosum*, atque partem exteriorem in tumorem elevatam fuisse; cuius basis latitudinem duorum pollicum æquavit, altitudo vero tantum trium erat linearum. In medio hujus tumoris *fovea* quædam aderat, ex qua firma & densa quædam substantia membranacea, quæ tumorem hunc cingebat, orta erat & quasi punctum fixum ibi habebat.

6. Eodem loco, cranio superiore prorsus ablato, partim ex dura matre, partim ex parte cariosa ossis bregmatis, ubi lateralem partem ossis frontis tangit, tumor sive *corpus illud fungosum*, cuius diameter duorum erat pollicum, deprehendebatur, hujusque tumoris substantia *ex meritis tenuissimis vasculis* constare videbatur, atque corticali cerebri substantiæ fere similis erat, sed paulo obscurioris solum coloris. Hic tumor a dura matre, cui adhærebatur, facilius separari poterat, quam ab exeso illo osse bregmatis, cui per multa parva vasa artius connexus erat.

7. Quia vero tumor is magnum spatiū intra cranium occupabat, cerebrum inde necessario comprimebatur, ita ut *ventriculus dexter multum versus latus sinistrum repressus* atque cedere coactus fuerit; qui etiam, sicuti reliquæ cavitates cranii, sero *valde repletus* erat; unde cauſa epilepsiae hujus ægræ mihi orta esse videtur.

8. Notatu autem maxime digna in hoc cadavere videatur *articulatio utriusque ossis femoris*, quæ hic non in *acetabulis* (utpote quæ magis plana & porrecta erant), sed extra ea fuit, dum capitula ossium horum *ossibus iliacis*, ope ligamentorum capsularium & musculorum, juncta & continua erant.

8. *Ossa, quæ alias acetabulum confidere solent, mirabi-*

li etiam modo conformata erant: nam ossa ilei circa totam partem medianam, præsertim versus Os sacrum, adeo tenuia, ab attritu, ut videtur, caput ossium utrorumque femoris ibi hærentium, erant, ut omnino pellucida, ad instar chartæ tenuis, essent, atque sub mundatione, post coctionem, levi scalpellī attritu variis foraminulis perundarentur.

10. Præterea extrorsum in iisdem ilei ossibus, supra incisuras illas magnas, *fovea levis*, pollicis fere latitudine, deprehendebatur, circa quem locum capita femoris musculis & ligamentis illis vaginalibus laxè quoque juncta observabantur, ut in incessu ad altiorem iliacorum istorum partem, quæ ex attritu adeo tenuia redditæ sunt, ascendere potuerint.

11. Sub hac fovea, quæ versus oras acetabuli se extendebat, processus duo breves & plani, fere quadrati, in conspectum prodibant, e qua robustissima ligamenti capsularis pars originem ducebat.

12. *Acetabulum* utriusque ossis innominati, non in lateribus horum ossium constitutum adparebat, ut alias esse solet, sed potius in anteriore eorum parte, ita, ut quasi in solo osse pubis & ischii locum suum haberet, (cum alias tria innominatorum frusta in acetabulo junguntur,) & loco figuræ rotundæ, quæ illi alias naturalis est, *figuram trianguli æquilateralis*, cuius latera pollicis longitudinem superabant, monstrabat. In deformibus horum acetabulorum oris neque cartilagines, neque supercilia (ut vocant) conspicua erant, sed margines five oræ admodum humiles, neque glandula Haveriana illa magna, sed loco hujus tunica solum quædam adiposa in loco ejus reperiebatur. In utroque præterea latere deficiebat robustum illud ligamentum, quod teres vocari solet, & simul etiam incisura illa five sulcus acetabuli in latere ejus interiore, per quem vasa sanguifera

fera alias in bene conformatis sive sanis acetabula intrare solent.

13. *Ossa femorum ipsa mirabilem etiam habebant fabricam:* capita enim eorum non nisi tenui admodum obducerebantur cartilagine, & locus, ubi alias *fovea* est in his capitibus, quibus *ligamentum, teres dictum*, inseritur, planus erat atque aliquo modo asper, neque cartilago, ibidem aderat, sed *substantia ossis cellulosa nuda* conspiciebatur.

14. *Colla horum ossium* non solum valde brevia (dum longiora alias plerumque sunt, quam in vivis), sed & horizontaliter fere protensa conspiciebantur, ita, ut *trochanteres majores* in utroque latere, non solum *aeque alti*, ac capita femoris, fuerint, verum etiam *capitibus longe majores & crassiores*, eadem fere figura, qualem RUY SCHIUS exhibit in *Thesauro anathom. IX. Tab. IX. fig. I.*

15. In parte anteriore & superiore ossis femoris, ubi alias *linea scabra dicta*, adest, quæ collum & corpus hujus ossis distinguit, *longus & aliquo modo elevatus processus insitus* præsto erat, qui a parte superiore trochanteris tantum usque ad medium collum se extendebat, sed ultra duas lineas latus. In parte posteriori autem *fovea*, quæ post trochanterem majorem levis alias tantum esse solet, præter consuetudinem admodum ampla fuit, seque ultra illam eminentiam oblongam, quæ media inter duo's trochanteres est; ad trochanterem usque minorem extendebat, qui trochanter non introrsum, ut alias fieri solet, sed extrorsum, *unci instar, inflectebatur*: atque hæc omnia sicuti in uno horum in ossium, ita & in altero se habebant.

16. Præterea in corpore femoris dextri infra medium ejus, in parte postica, quinque circiter pollices supra genu, magna & crassa aderat *prominentia præternaturalis*, sive *exostosis*; quæ in oblongum & acutum apicem sive marginem terminabatur, in cuius parte *suprema tria parva aderant foraminula*,

minula, eandem perforantia, per quæ dein fibræ ligamentosæ transibant, quibus carnes utrinque hærentes arcte connecebantur, ita ut sine magno labore hæ carnes inde vix separari potuerint. Videbatur hæc exostosis, sive eminentia ossea, a fractura quadam hujs ossis olim perpesta & non satis bene iterum coalita ortum traxisse, cuius frustum inferius a musculis sursum nimis tractum, & sic non rite coniunctum & accretum erat, quoniam hoc femur ultra pollicis latitudinem brevius erat sinistro, sive integro.

17. *Ligamenta femorum horum capsularia* ob singularem fabricam adhuc paullo uberior considerari merentur, dum tunica ipsorum interna incipiebat ab ambitu acetabuli, & cum tunica externa, sive superiore in forma vaginæ inter musculos ad caput femoris pergebat, atque deinde eadem fere ratione reflectebatur, ut tunica inferior præputii ad coronam penis, ubi firmiter adhaerebant; hinc vero ultra collum femoris progrediebatur, ubi admodum lævis erat, & sine lacertulis, sive retinaculis, quæ alias in aliis adfunt: terminabantur vero deinceps hæc ligamenta præcipue utrinque in trochanterem majorem, ut & in processum illum oblongum supra descriptum (Num. 15.) in latere anteriore. Tunica vero externa hujus interiorem hanc quidem comitabatur, sed ita, ut paulo ulterius & ultra ambitum deformium horum acetabulorum atque ultra trochanteres majores lateraliter se multum extenderent. Itaque ligamenta hæc vaginam quasi formabant robustam a lateribus hisce femorum usque ad acetabula.

18. *Vagina* vero hæc speciatim in parte superiori fasciculum adhuc habebat adeo robustarum fibrarum, qui tendini fere dimidii transversi digiti crassitudine similis erat, quique ad caput femoris & usque ad inferiorem planum illum processum acetabuli (vid. Num. II.), ubi firmiter se affigebat, exporrigeretur. Ab hoc fasciculo ad latera etiam

multæ aliæ ejusmodi fibræ, sub forma anguli acuti, seorsim procedebant, quæ hoc ligamentum adhuc crassius & robustius reddebat, atque in superiorem illorum planorum processuum juxta præcedentem se se inserebant. Reliqua pars extrema hujus ligamenti vaginalis, quæ oris acetabuli affixa erat, minus robusta, sed paullo tenuior deprehendebatur, quam prior illa.

19. Denique adhuc notandum est, quod ubi hoc *ligamentum trochanterem majorem* obtegebatur, tendines glutæi medii & minimi non in ipsum trochanterem majorem inseriti, verum cum ligamento interveniente tam arcte concreti fuerint, ut sine laceratione a se invicem separari haud potuerint.

20. Eadem prorsus ratione res etiam se habebat cum *tendine musculi recti tibiæ*: nam hic fere recta, vaginæ adhærens, adscendebat, seque juxta caput femoris cum ligamento (Num 17.), cum quo transversim concretus erat, in processum superiorem planum (Num. II.) inserebat.

21. Quid ceterum de hac articulatione femorum sit sentiendum, & unde hæc mira atque extraordinaria conformatio orta sit, utrum illa fuerit ex utero matris adeoque *concreta*, an a *vi quadam externa*, determinare non audeo: interea tamen prius mihi verisimilius esse videtur. Si enim hoc vitium a læsione quadam externa inductum fuisset, hæc acetabula & femora non una & eadem, sed diversa ratione destructa fuissent: deinde si a *vi externa ligamenta teretia* fuissent rupta, vestigia quædam horum ligamentorum adhuc adfuissent, qualia vero non observabantur. Quam maxime vero in illa mea sententia varij homines series hujus loci me confirmarunt, qui retulerunt, se, quamdiu cognita ipsis fuerit hæc foemina, semper eam claudicantem & hinc inde vacillantem, ad modum anatum, incessisse, sicuti brevi ante mortem adhuc fecerat. Hocce difficulter & infirmo

mo autem incessu etiam factum esse judicarunt, quod lubrica præsertim tempestate, quando ipsi prodeundum erat, sæpius prolapsa sit, unde forte etiam ille *cerebri fungus* in capite (qui epilepsiae caussam postmodum constituit) & fractura cum exostosi illa in femore sinistro (Num. 16.) originem duxerunt.

22. Denique adhuc notandum est, *pedes*, si per plateas incederet, respectu ad truncum habitu, eodem longiores apparuisse, quia capita *femorum* utrinque, ob ligamenta iporum solito multum longiora & laxiora, fere ad manus transversæ, aut plurium pollicum latitudinem supra locum acetabuli, in partibus ossium iliacorum posterioribus & exterioribus, ascendebant, dum truncus suo pondere in incessu intra femora, ob modo dictam laxissimam articulationem, descendebat, quia ab acetabulis valde planis & quasi deletis non sustinebantur, atque sic capita femoris ossa ilei tantopere attenuarunt, ut iis in locis, sicut supra dictum est, vix charta crassiora, & omnino ita pellucida essent, quam orbitarum ossa in parte sua superiori.

23. Tandem & postremo addi meretur quod ossa ischii & in primis ejus tubera multo longius, quam alias vulgo observatur, dis juncta fuerint, atque sic arcum ossium pubis quam amplissimum constituerint, ut propter hanc admodum latam ossium pubis conformationem præ multis aliis mulieribus foetum partu facilius excludere potuisset, si aliquando imprægnata fuisset (a).

(*Helmstadio Halam missæ die 12. Januarii 1749.*)  
OBSER-

(a) Sceleton hoc, post præmaturum beati Dn. D. CRELLII obtum in manus Illustr. HEISTERI pervenit, qui illud nunc inter cetera musei sui anatomici rariora, in CRELLII, Generi sui dilectissimi, memoriam, asservat, cui quoque Observatorium harum, ex illius schedis collectarum & depromptarum, communicationem debemus.

## OBSERVATIO LXIII.

Dn. D. JO. GOTTSCHALK WALLERI.

De

*Variolis cum Hydrocele & retentione urinæ, suppurationis tempore accendentibus, feliciter curatis.*

Annis 1744. & 1745. pessimè genii variolæ heic in Upsalia ac locis vicinis epidemice grassabantur; manebant depressæ omnemque fere suppurationem renuebant, saltem nunquam per universum corpus æquabiliter elevari potuerunt. Omnes vero his decumbentes feliciter, per Dei gratiam, evaserunt, paucissimis exceptis, quibus vel accesserunt adeo funesta symptomata, veluti hæmorrhagiæ, ut nulla sufficerent iis superandis medicamenta, vel, quibus pulveres camphorati non fuerunt debite exhibiti. Reliquæ ut reticeam magis solemnia circa hanc febrem existentia symptomata, singularem solum liceat referre casum juvenis variolosi, a via ordinaria, quoad symptomatum difficultatem, admodum recedentem.

Unicus filius, celeberrimi cuiusdam Viri, sexennis, febre corripitur variolosa. Exhibituntur ipsi pulveres bezoardici HOFFMANNI, absque tartaro vitriolato, cum Camphoræ granis paucioribus. His per oëtidum fere continuatur, ita tamen, ut simul & Theriacæ momentum interdum pulveri nominato additum, nec Emulsiones analepticæ & antiphlogisticæ neglectæ fuerint. Per totam faciem ac per universum corpus variolæ sub hoc tempore videbantur confluentes, sed sine aliqua elevatione, licet facies ita intumesceret, ut etiam oculi, more solito, clauderentur, Non die

die exhibitus fuit pulvis myrrhatus ac *Syrupus balsamicus*, secundum *Edimburgensem Pharmaciam præparatus*; quibus paulo magis quidem elevatæ fuerunt variolæ, sed inæquabiliter; depressæ namque manserunt in inferioribus corporis partibus, dum sparsim elevatæ fuerunt in superioribus. *Duodecimo morbi die exsiccari cœperunt pustulæ in facie, eadem tum simul detumescente, sed, eodem die accedebant alia difficiliora symptomata; insignis namque Hydrocele, qua scrotum aqua repletum ita intumescebat, ut ferre caput pueruli æquaret; cui malo associabatur retentio urinæ, a pressione forte, aut cervicis vesicæ, aut urethræ, ab aqua accumulata compressæ, eaque adeo gravis & exquisita, ut ne unicum emittere posset ægrotus urinæ guttulam.* Hisce jam ut obviam iretur malis, exhibitus fuit lassandi scopo (aderat namque simul magna tarditas alvi) *syrupus rhabarbarinus* cum *pulveris rhabarbarini debita portione*, sed sine ulla evacuatione sive per alvum sive per urethram. Die sequente injectus fuit *clyster ex speciebus emollientibus* cum *lactis & aquæ parte anatica decoctis*, addito *oleo amygdalar. dulc.* Tantum vero abest, ut hanc injectionem aliqua subsecuta fuerit evacuatio, quin potius, omnis materia injecta simul retenta fuerit. Trihorio itaque elapso clysteris injectione repetita fuit, addita simul portione quadam nitri; applicabatur insimul scroto linteam calefactum & *Myrrhae* fumo imprægnatum. Hisce, altero trihorio elapso, tandem semel tantum movebatur alvus, urinæ vero fluxus tanta sequebatur in copia, ut canthari tres quartas æquaret partes, scroto multum inde detumescente. Post hæc bene se omnia habere videbantur, urinæ fluxu per triduum fere magna in copia continuante. Nondum tamen in vado omnia judicabantur, hincque XIVto morbi die adhibitæ fuere *pilulæ Beccherianæ*, unde, licet eodem die non nisi unica vice alvum deposuerit, proxime sequente tamen, sine pilularum vel

alius laxantis repetitione, ultro IO. subsequuntæ fuerunt defctiones. Tandem pulvere myrrbato & crocato, non neglecto mercurio dulci, sexies sublimato, seu Calomela, plenarie convaluit æger, & adhuc vegetus & robustus manet.

Id porro adhuc addendum est, quod, dum exsiccatis fere plenarie variolis indusia commutarentur, tanta copia vermium albidiōrum, capitis nigri, pollicis fere plus minus longitudine, in indusio reperta fuerit, ut supra patinam eodem concusso, exinde manipulatim fere vermes desumi possent. In reliquis hoc tempore variolosa febre decumbentibus, nec symptomata adfuerunt nominata, nec vermes etiam occurrerunt.

Similem fere casum, quoad urinæ retentionem, olim in *Ephemerid. Nat. Cur. Dec. II. Ann. V. Obs. XLIX. p. 92.* communicavit D. Samuel LEDELIUS; sed multum a nostro discrepat, tam quoad reliqua symptomata, quam quoad curationem..

## OBSERVATIO LXIV.

Dn. D. JO. GOTTSCHALK WALLERII.

De

*Cedriæ præparatione, aquæ Cedriæ aliisque exinde obtinendis productis.*

**E**x Pini vel Abietis resinosis pinguioribusque partibus, præcipue radicibus, solent nostrates destillare aliquatam resinosam materiam & oleum. Hanc materiam, quoniam eandem a Cedri arboris resina olim obtinuerunt, Cedriam appellant antiquiores, unde & adhuc Suehice vocatur *Tiára*. Picem alii vocant; est enim, juxta PLINIUM, Lib. XXIII. Cap. I. pix nihil aliud, quam combustæ resinæ fluxus. Quum vero

vero postea usū receptum fuerit, Cedriam nostram, in duritiem quandam coctam, vel exsiccatam, *Picem* appellare, hinc alii priorem hanc appellarunt *Picem liquidam*; exsiccatam vero vel coctam posteriorem, *Picem solidam*. Liquidam hanc Picem Chemicindignam aut judicarunt, quam examini subjicerent, aut ut notam præsupposuerunt, siquidem penes illos altum de eadem est silentium. *Joh. Conradus AXTIUS* in egregio & eruditio libello, de *Arboribus coniferis & Pice conficienda*, integro Cap. XIII. modum quidem exposuit, quo Pix & olim confecta fuerit, & hodie nonnullis in locis conficiatur, sed modos penes Boreales populos, *Suecos & Norwegos*, hodie usitatos, non ex asse tangit, nec naturam Cedriæ plene exponit. Celeberr. *Casp. NEUMANNUS* in *Prælect. Chemicis, Picis navalis* examen instituit, Cedriæ vero non habet, a qua tamen pix navalis & quoad præparationis modum, (quum hoc duplicem sustinere debat ignem, destillationis nempe & coctionis,) & quoad contenta, maxime discrepat, ut ex nostro Cedriæ examine cum Neumanniano picis navalis collato, inferius patebit.

Occasionem & ansam huic Cedriæ inquisitioni subministravit libellus *lingua Anglicana* conscriptus, de *Virtutibus medicis aquæ Cedriatæ*, vel, si placet antiquior mos loquendi, *Aquæ picatæ*, vulgo *Theer-Wasser*. Præscribitur in eodem modus aquam Cedriatam & præparandi, & eadem utendi. *Præparatio* in eo consistit, ut recipiatur Cedriæ puræ pars una, huic affundantur in vase vitreato aquæ fontanæ puræ partes duæ, commoveantur ac commisceantur invicem optime, deinde ad quietem reponatur mixtura per 24. horas & ultra; decantetur postea supernatans aqua, filtretur & usul servetur. *Utendi methodus* variis in morbis, cum necessariis cautelis, citato in libello describitur, & exinde hauriri potest. Quoniam vero duplici in primis modo, hodie, *Cedria* penes nostrates ac *Norwegos* destillari solet;

hinc juxta duplicem hunc præparationis modum Cedriam breviter examinandam judicavimus.

Cedria vulgaris atque utplurimum & fere unice venalis, sequenti modo communiter præparatur. Formatur cavitas conica inversa, in loco argilloso, quæ intrinsece in circumferentia obducitur crasso corio vel cortice abietis, ita, ut exterior rugosa corticis pars extrinsece versus argillam vertatur, interior vero plana ac polita versus interiora coni. In fundo seu apice hujus coni foramen relinquitur apertum, infra quod vas recipiens ponitur. Et ex hoc foramine erigitur cylindrus, de juniori arbore recenti desumtus, qui, supra conum supereminens, sub ipso opere est mobilis. Frustulis minoribus, de radicibus & truncis præcipue Abietis vel Pini pinguioribus, per æstatem optime exsiccatis arête ac presse impletur cavitas; frustulis ita dispositis, ut undique circa cylindrum erectum horizontaliter fere comprimantur. Totus conus, cum contentis, tegitur deinde, carboniorum more, mixtura quadam argillacea, vel & recenti turfa, ita tamen, ut cylindrus superemineat, & pro lubitu aut deprimi, aut elevari possit. Accenditur ignis in medio, & calore circumquaque disperso, Cedria crassior per foramen extillat in vas infra positum recipiens.

Circa hanc præparationem observandum 1.) quod magna pars Cedriæ igni alendo inserviat ac dissipetur per auras, ut patet ex fumo crasso ascendentे; 2) quod hac methodo obtineatur non nisi impurior, crassa, aquosa aliisque heterogeneis rebus inquinata Cedria. Aqua immixta sponte quidem a reliqua resinosa parte fecedit in Cedria antiquiore; in recenti tamen intime admixta hæret.

Cedriam tali ratione præparatam sequenti methodo examinavimus.

*Per destillationem ex eadem obtinetur aqua acida, oleum album, oleum obscure rubrum ac denique caput mortuum.*

Aqua

Aqua per destillationem elicita, saporis admodum acidi, instar aceti, est, cum amaritie quadam. Cum oleo Tartari per del. motum excitat majorem, atque Syrupum Violarum & solutionem massæ illius cœruleæ, ex Torna solis paratæ, quam vulgo *Lacmus* vocant, colore tingit rubro; liquorem vini probatorium, qui e calce viva cum auripigmento præparatur, præcipitat, colore in flavum mutato, cum coagulatione. Magnam hinc concludimus acidi partem in hac adesse aqua, quum requiratur major acidi copia ad immutandum cœruleum syrupi Violarum colorem in rubicundum, quam ad effervescentiæ motum cum oleo Tartari per deliqu. excitandum. Nec multum a veritate nos aberrare putamus, si hanc aquam dicamus acidissimam, ex regno vegetabili sine fermentatione paratam.

*Oleum album* non semper destillatione obtinetur. Requiritur ad id obtinendum & recentior Cedria, & talis, aqua eo usque nihil antea desumtum fuérit; innatæ enim Cedriæ hoc oleum, quamvis invisibili prorsus modo; requiritur quoque optima agglutinatio vasorum, & regimen ignis moderatum. Hoc oleum saporem instar ignis urentis excitat, cum subsequente majore adstrictione, instar aluminis; prompte ignem concipit, ubi recens est, & ab aqua optime separatum; cum spiritu Nitri flammifero vix calorem excitat, multo minus effervescit, sed ambo placide inter se uniuertunt & in mixturam rubram transeunt, ita tamen, ut fumus sub hac miscela erumpat ruber, ipsaque mixtura coagulationem quandam, præcipue in fundo, dein suscipiat. Cum oleo vitrioli majorem producit fumum, majoremque calorem, cum coagulatione. Cum spiritu salis ammoniaci aquoso prompte se commiscet, cum supernatante cuticula. Si vero hoc oleum ab aqua acidula, cui supernatat, non optime separatur, tum aqua ista oleosa ad ignem fremit instar nitri, & cum oleo Tartari per deliqu. effervescit ac rubet. Cum

*sale Tartari aquam ab hoc oleo aquoso qui separare conatur, accipit inde mixturam ex flavo rubentem, quæ postea magis magisque obscura redditur, ac tandem colore & crassitie æqualis evadit oleo rubicundo Cedriæ crassiori, quod jam est describendum.*

*Oleum rubrum recens, tenue est & clarum, cum tempore tamen spissescit; in igne promtissime ac fortiter flagrat; aquæ destillatæ innatæ, concussione vero in globulos minores rotundos secedens, ad fundum tarde cogi potest; in Alcohole vini statim submergitur, ac in fundo resinosum fit, nullatenus Tinctura inde Alcoholi communicatur; cum spiritu Nitri flammifero hoc oleum coagulatur tantum in superficie, colorque obscurior redditur, adeo ut coagulum supernatet, oleo flavo vel pallide rubente infra coagulum subsidente, fitque hæc miscela & coagulatio cum fumo ac parcissima, diuturniori tamen, ebullitione,*

*Caput mortuum est durum & fragile, Lithantraci fere æquale; ignescit carbonibus injectum, sed nec fumat nec flagrat. Constituit hoc caput mortuum fere  $\frac{1}{5}$  partem Cedriæ vilioris, plus minus tamen pro ratione puritatis Cedriæ,*

*Aqua Cedriata de hujus vilioris Cedriæ ac aquæ puræ partibus anaticis, 24. horarum digestione præparata, ac postmodum decantata & filtrata, saporem fortiores, quam Cedria monstravit coloremque fuscum, quem tamen amisit sub ulteriori subsidentia spontanea, ac iterata inde decantatione & filtratione, dum inde pellucida facta erat, colore aqueo & sapore Cedriæ retentis. Hæc depurata pellucida aqua cum liquore vini probatorio coagulatur & præcipitationem producit; syrumpum Violarum tingit viridi, solutionem vero massæ cœruleæ ex Torna solis paratæ, Lacmus dictæ, rufescente colore; admixto sale Tartari soluto & sale ammoniaco fixo nec movetur, nec mutatur; cum solutio vero lapi-*

*lapidis caustici*, ex sale Tartari & calce vi-vā parati, con-  
grumatur ac flavescens fit, tandemque præcipitatione sub-  
sequente flava. Evaporationi plenariæ exposita aqua Ce-  
driæ, reliquit Extracti aquosī drachmam unam de uncis bi-  
nis aquæ, quod Extractum saporis acidi, instar aceti, sed  
cum aliqua amaritie grata, instar amygdalarum amararum,  
fuit; cum oleo Tartari per deliqu. tamen non movebatur,  
sed tingebatur colore flavo rubente.

Ex hisce experimentis sequentia reducimus Corollaria,  
& quidem I.) quod in aqua Cedriata similiter, ac in Cedria  
ad sit quoddam gummosi, quamvis minima proportione; 2.)  
quod etiam ad sit principium quoddam salinum acidum; 3.)  
quod & oleosi quoddam simul cum gummosa parte, ab aqua  
acidula solvatur eidemque immisceatur, quum & Extractum  
aquosum eundem colorem cum oleo Tartari per deliqu. pro-  
ducat ac oleum album; & coagulatum de oleo albo cum  
spiritu Nitri flammifero factum & exsiccatum, eundem &  
colorem & fere saporem exhibeat, ac Extractum aquosum,  
ac in eo solum inde differat, quod coagulatum ad ignem  
fremat, ob immixtum nitrosum & sapore fortius sit acido;  
4.) quod virtus medica aquæ Cedriatæ præcipue adtribuen-  
da sit tam acido salino principio, & oleoso cum gummoso,  
parcissime licet commixto; 5.) quod aqua etiam dulcis Ce-  
driam, licet coctam, tamen quodammodo solvere ac destrue-  
re valeat, scilicet mediante acido & gummoso. Hoc & lu-  
culenter patet ex naviis & scaphis picatis, quæ, in quan-  
tum aquis submersa, in tantum in initio grysea fiunt, postea  
vero plenarie, licet pedetentim, omni pice spoliantur. Ne-  
gari tamen non potest, ad hanc picis absumtionem & abra-  
sionem multum etiam conferre motum & attritum ab aqua,  
sub navigatione & undarum impulsu.

*Cedria nobilior*, quæ raro vel nunquam huc usque a  
nostris venalis & ad exteris exportata fuit, præparatur se-  
quenti

quenti recentiori modo. Exstruitur *furnus*, duplice constans *fornice*, uno intra alterum contento. In fornice anteriore eriguntur ligna, quo pinguiora, eo melius, de Pino cæsa, trium fere ulnarum longitudine. Fornix hic interior postea bene clauditur. Exterior fornix impletur ligno abietino, vel ramulis arboris aliisque lignis frustulis, alio negotio, nisi igni alendo, inidoneis, quæ, igne accensa, in cineres comburuntur, dum eo calore hinc proveniente, ac in fornicem interiorem pertransiente, expellitur omnis Cedria e ligno in hoc fornice interiori collocato, ac simul & ista ligna in carbonem mutantur. Hujusmodi furnuli plures ad invicem collocantur, ut eo felicius negotium a paucioribus ministris, & minori sumtu, expediri queat. Hoc artificio obtinentur separatim, quæ prius, Cedriæ vulgaris confusim immixta, per analysin, uti dictum, obtinuimus; scilicet, 1.) superne natat *oleum* tenui pellucidum flavo fuscum, odore grato, cui aliud *oleum* grumosum, crassum, albescens & quasi coagulatum, aliquo modo immixtum est. Ex hoc oleo, dum destillatur, quod in iisdem furnis & eodem igne, quo Cedria excoquitur, fieri solet, obtinetur *oleum Templinum*, quod oleo *Terebinthinae*, de resina abietis destillato, longe est præstantius. Hoc namque Templinum, penetrantissimum licet, minus tamen calidum est, ac solum de Pino obtinetur, utilissimum non solum in Medicina, sed & ad vernices parandas. Post destillationem relinquitur residuum *flavum*, frigore solidum, quod est *pura resina*, quæ & odore & sapore convenit multum cum *balsamo de Mecha*. Olei hujus Templini, ut & reliæ post destillationem resinæ, alia vice communicabo experimenta, si Deo placuerit. 2.) Sub hoc oleo reperitur *aqua acida Cedriæ*, quæ fere duplex est; alia nempe *nigro viridis*, tenuis, sapore olei; alia, fusca, sapore acido, quæ priori inferior est. Commisceuntur tamen optime hæ aquæ, & oleosæ sunt; nec

## *De Cedriæ præparatione, aqua Cedriæ &c.* 251

nec usu carent, vel, ad *coloris rubri Ochreacei*, de Vitriolo vel Pyrite parati, mixtionem, qua mixtura ædificia lignea rubro tinguntur colore, vel, ut in eadem aqua ferrum disponatur ad recipiendam obductionem stanni, vel ad alia artificia. 3.) Sub aqua locum habet ipsa *Cedria*, quæ Cedriæ vulgari ut præstantior, sic & duplo carior. Hæc enim *Cedria*, clara, pura, tenuis ac consistentia est instar vernicis ex oleo lini paratae. 4.) Sub hac *Cedria*, aliquo tempore in quiete collata, deponitur sponte quasi *oleum quoddam fuscum, acidum*, quod *Suethice* vocatur *Tiaruwája*, quasi *oleum Cedriam effugiens*. Est hoc quodammodo clarum, crassum tamen, & hanc obtinet prærogativam, quod & odore fere careat, & vix ignem concipiat, adeoque saltem non purum est oleum. Ulteriori & hoc, si Deo placet, submittam examini.

Ex hisce concludimus aquam *Cedriatam* ex hac nobilio-  
ri *Cedria*, utsote & tenuiori suo oleo privata, & aqua salina, non ea gaudere virtute, qua aqua *Cedriata* de viliori *Cedria* præparata; ipsam namque *Cedriam*, ceu purum oleum empyrevmaticum consideratam, non attingit aqua pura. Aliis vero usibus hæc nobilior priori longe est præ-  
ferenda, quum minus facile aëre vel aqua destruatur.

Ad usum medicum *Cedriæ* & aquæ *Cedriatæ* quod attinet, quoniam Episcopus Irlandinus, Georg. BERCKELEY, fusius de aqua *Cedriata* jam egit, in libello lingua Anglicana edito, ac postea in linguam Suecanam translato, ut & in linguam Germanicam, cum additamentis & examine Chemico, sub titulo: *Nachricht von Theer-Wasser* ann. 1745. sine mentione loci & Auctoris; hanc itaque lubenter transeo, hæc saltem adhuc adjiciens, quod aquæ *Cedriatæ*, more Berckeleyano præparatae, aliquem, non tamen admodum insignem usum, in malo hysterico, paroxysmis prius per antispasmodica mitigatis, obseruare bis mihi licuerit; semel  
*Autor. Pb. M. Vol. LX,* Ii vero

vero funestum eventum ab ejus usu, in asthmate ab hydrope pectoris dependente.

*Ipsam Cedriam* solent Nostrates pro Medicina domestica interdum habere. Quando variolæ epidemice grassantur, & infantes febre variolosa laborare incipiunt, tunc ipsis tot guttulas de Cedria exhibent, quot annos agit infans decumbens, dicentes, eo remedio variolas a facie averti. Non semel, sed vel quinquies & ultra, hoc modo Cedriam expertus fui, ac semper observare licuit, & parciores variolas in facie erupisse, & nunquam easdem sui vestigia reliquisse. An vero hoc præcise Cedriæ virtuti adscribendum sit, an aliis circumstantiis accidentalibus, vel dispositioni naturali, nondum certo dicere valeo. Id vero observare licet, Cedriæ usum in variolis admodum antiquum penes nostrates esse. Quando erysipelate laborant, externe locum inungunt Cedria; hodie vero magis in usum vocare solent oleum Betulae nigrum, si ad manus sit. In vulneribus & ulceribus similiter Cedriam externe adhibent magno cum fructu & successu. Aestate nimis calida pecoribus suis bis vel ter per integrum hoc tempus Cedriam ad unum cochlear exhibit, ut eadem præservet tam a caloris exsiccatore effectu, quam aliis morbis. Qui usitatos Cedriam præparandi modos penes alias nationes scire cupit, adeat, ex antiquis, THEOPHRASTUM ERESIUM Lib. IX. Cap. 3. ac PLINIUM in Hist. Natur. Libr. XVI. Cap. XI. ;ex recentioribus, præter nominatum AXTIUM, Herbarium Lugdunensium Lib. I. Cap. 20. Joannem RAIUM in Histor. Plant. Lib. XXV. p. 1397. ac Francisc. NIGRI in Viaggio Settentrionale Let. sec. p. 30.

## OBSERVATIO LXV.

Dn. D. JO. GOTTSCHALK WALLERII.

De

*Stella reguli Antimonii.*

In regulo Antimonii, mediante martis limatura ac nitro parato & depurato, vel etiam in regulo simplici, dum massa colliquata in conum effunditur fusorium, stellarem infra scorias figuram in superficie apparere, Chemicis hodie, cum omnibus encheirisibus, abunde jam jam notum est. Unde vero dependeat hæc stella, non adeo omnibus sufficienter constat. Illorum sententias, qui a nitro vel scoriis hanc stellam deducunt, lubens nunc mitto, ea tantum exhibitus, quæ mihi circa eandem observare licuit.

Regulum antimonii martiale basi horizontaliter diffregi, & quamvis, ob particularum quasi lamellofarum inæqualitates, non adeo accurate intrinsece stellarum observare mihi licuerit figuram, deprehendi tamen ubique æmulos coruscantes basi parallelos radios, quos alia vice, dum paulo diutius in igne fortiori massam detinui, omnino æquales illis in superficie inveni. Hoc etiam antea jam observasse alios Chemicos, & inter illos celeberrimum Joann. Maurit. HOFFMANNUM, ex *Actis Laborat. Chemici Alt-dorf. Process. viij. p. 89. num. V.* facile concludere licet. Mihi vero ignotum est, unde aliis quidam non minus celebres Chemicus, Dn. LEMMERY nempe, in suo de Antimonio tractatu, hanc intrinsece apparentem stellarum figuram negare potuerit.

Hæc repetita observatio, intrinsecam stellarem figuram confirmans, occasionem mihi dedit alio modo regulum hunc

inspiciendi. Eundem itaque tali ratione cuneo ferreo diffregi, ut secundum longitudinem, per medium radiorum oppositorum quorumcunque, e.g. AB, Fig. 3. Tab. IX. ac per axim CD esset bipartitus. Hoc modo longe aliud phænomenon in conspectum venit. Adparet enim quævis dimidiata pars coni instar *arboreis ramosæ*, a basi ad apicem, eo modo, ut axis CD truncum rectum, quasi minima cavitate donatum repræsentet, cui trunco ita appositæ & accretæ sunt lamellæ regulinæ, ut radios vel ramulos arboreos, versus apicem coni parum reflexos, pedentem vero, pro ratione coni regulini, longitudine & curvatura descendentes, ex asse referant, prout modo allegata specialius id monstrat figura.

Si quis hanc *Antimonii arborescentiam* observare velit, sequentia non negliget momenta necesse est: 1.) Parandus est regulus mole majore, & quidem ad aliquot unciarum pondus; quo minori enim in quantitate paratur, eo obscurius hæc arborescentia conspectui se se ficit, sed ejus in locum tantum lamellæ quædam, sicuti in apice majorum regulorum, apparent ad angulos acutos axi appositæ. 2.) Eo etiam est respiciendum, ut regulus cum scoriis quam maxime ferveat, prius quam in conum fusorium effundatur. 3.) Denique id est observandum, ut sectio coni regulini accurante transeat per medium cujusdam radii stellæ & per axim ac centrum. Has qui non observaverit circumstantias, loco arborescentiæ reperiet massam, plurimis lamellis plus minus confusam. Annotavit equidem Dn. LEMMERY, quod in quibusdam regulis species quædam superficialis arbusculi repræsentetur, sed quod arborescentia per universum corpus regulinum, idque semper, transeat, hoc non observavit. Hinc non immerito concludimus, non a scoriis vel *nitro*, tanquam imprimentibus, stellam hanc antimonii esse deducendam; sic enim superficialis tantum esset, quemadmodum saltem non omnes existimarunt; sed potius a *puritatis gradu*

du ipsius reguli, ejusque partium positu ad se in-vicem, sulphurea parte nitro consumta & mixta. Regulus namque antimonii pulchre stellatus, vix unquam, vel plane non cum nitro ulterius detonare solet, quoniam sulphurea crassiore portione jam destitutus & prorsus liberatus est. Si vero, ut ulterius regulus depuretur, committatur igni diuturniori & continuato, tunc stellam amittit, utpote sic ad alium puritatis gradum, aliumque albidiorem colorem elevatus, in quo lamellæ tam arête ad se invicem appositæ sunt, ut vix separatim observari possint. Huic porro regulo si addatur parum antimonii crudi, sulphur crudum adhuc continentis, tum denuo, depurato hocce regulo, stella deperdita restituitur, crassiori sulphure, ex parte antimonii iterum addita, mediante nitro denuo absumto.

Apparet itaque stella in eo puritatis gradu, in quo crassior sulphurea pars est consumta; perit autem stella, & alia sit positura ac intimior partium combinatio, in eo puritatis gradu, in quo aliquid de sulphurea parte regulina est deperditum.

Facilius sic addito marte, a quo sulphur crudum fortius attrahitur & destruitur, parari & obtineri potest regulus stellatus, quam aliis mineralibus vel metallis, quæ parum admodum vel plane non sulphur attrahunt.

Proxime ad nostram sententiam accedunt celeberrimi Chemicci, Joh. Mautrit. HOFFMANNUS, prius nominatus l. c. & D. E. P. MEUDERUS, in *Analysi Antimonii phys. chym. ration. §. CLXIX. p. 113.* Nec negamus, scorias ac nitrum premendo plurimum ad hanc partium nominatam posituram conferre, quamvis nihil quidquam imprimendo effere valeant.

(Upsalia Halam missæ d. 22. Januar. 1749.)

*OBSERVATIO LXVI.*

Dn. D. JO. BERNHARDI de FISCHER,

De  
*Scorbuto.*

**E**quidem morbus hic non rarus Scriptores excitavit per multos, qui de eo sat prolixè scripserunt: cum autem in Ephemeridibus nostris succincta nondum ejus extet historia, nec etiam quæ ad illum curandum & præservandum requiruntur, sufficienter exposita sint, ideo in præsentis tractatione potiora huc spectantia paucis tradere lubet. Plebi ut plurimum, & quidem maxime militari, familiaris maxime est Scorbutus, quæ unica notio facile morbi hujus genium prodit. Scripserunt de illo nostris temporibus KRAMERUS, Copiarum Cæsar. germanicarum Medicus, & NITSCHIUS, Copiarum Cæsar. russicarum Medicus. Ille, Tractatu quodam in 4to edito; hic prima vice, cursoria quadam relatione, *Commercio litterar. Norimb. Ann. MDCCXXXIV.* inserta; postea autem Ann. MDCCXLVII. peculiari Tractatu, Petropoli, germanica lingua, impresso. Elucet apud utrumque egregia de morbo hoc experientia: interim fatendum tamen est, NITSCHIO, per tot annos, quibus officio suo fungitur innumeram magis ægrorum scorbuticorum copiam, non solum in regionibus borealibus, sed etiam australibus curandorum, demandatam fuisse, quam ulli unquam Medicorum.

Cum sanguis humanus constet ex globulis rubicundis, cruentis propriis constituentibus, & ex lympha, oleo, sero salino, bene invicem mixtis, non solum quælibet harum partium constitutivarum vitium concipere potest, sed & tota massa simul lœdi & in corruptelam abire,

Cir-

Circulo sanguinis bene se habente, atque si sub eo secretiones & excretiones rite absolvuntur, massa sanguinea facile depravari non potest: ergo stagnatio sanguinis inquisitionem & corruptionem ejus inducit, si non universalem, ad minimum tamen particularem.

Quando tota massa sanguinis, vel etiam pars ejus posterior, ad corruptelam vergit subitaneam, illamque putridam, *febris maligna* oritur, quæ, vel sensim ex viictu, vel ex viæ ratione incongrua, vel ex aëris infesto influxu, &c. originem trahit.

Quando pars sanguinis lymphatica, ex liquore seminali, corrupto, vel per contagium illius, cui jam inest talis corruptio, in lentam abit corruptelam, *lues venerea* generatur. Quando autem ex regimine pravo circa viictum, vel etiam ex aere humido-frigido pars illa lymphatica corrumpitur, *scabies* inde prodit. Quando tota massa sanguinis absque miasmate venereo, sensim in lentam transit corruptelam, sive id fiat ex erroribus in rerum non naturâlum usu fundatis, sive per contagium, sive per morbos antecedentes, tunc *Scorbutus* audit. Hæ tres corruptelarum species, altera alteri se facile jungere possunt; interim de scorbuto solo hic sermo erit.

*Scorbutus* dividendus est in *imperfectum*, & in *perfatum*. *Scorbutus imperfectus* nascitur ex deficiente vigore corporis, cum ruetibus, alvi segnitie, æstu volatico, sputatione, pruritu in superficie corporis, hypochondriorum incommodis flatulentis, appetitus defectu, agrypnia ex flatibus, vertagine, urina mox pallida, mox intense rubra, cum febri cula lenta, vel absque illa, adsunt gingivarum cruentationes, epulides frequentes, inprimis hybernæ, &c. quæ phænomena, quando emicant, scorbutum gliscere; & modo numero plura simul & semel irruunt, eo magis ad perfectionem tendere indicant.

Causas habet, ciborum, sive qualitate, sive quantitate peccantium usum, indeque natam pravam illorum digestiōnem, bilisque inertiam: hinc sanguinis massa spissescit, circulus languescit, se- & excretiones impediuntur: succedit atonia viscerum, & totius corporis. Idem contingit, si aér, vario modo depravatus, humidus, frigidus, mœror animi, variæque aberrationes in rebus non-naturalibus in causa sunt.

*Prognosis* eo maxime redit, quod pro habitu corporis robusto, vel debili, morbido vel sano, humorum crassi, naturaliter bona vel mala, pro numero signorum indigitatorum proque aëris constitutione fayente, vel contraria, subito vel lente in perfectum abeat, vel etiam facile & difficulter curetur. Viscerum abdominalium status, si ex urina & hypochondriorum pathematibus bonus judicari potest, valetudinis spes adest.

*Therapia* poscit, ut emendentur prius, quæ factæ sunt a justo rerum non-naturalium usu aberrationes: in usum vocentur remedia aperitiva, digestiva, acria temperata, amaro-aromatica, salina neutra, laxantia, nunc mannata, nunc tamarindinata, nunc aloëtico-rhabarbarina, imo martialis. Quoad viatum prosunt juscula carnium acidulata, fructus aciduli, austeri, omnia pro indicatione ex crassi sanguinis, & constitutione ventriculi ægri dirigenda. Sectio venæ fiat in pede, vel hirudines ano applicentur, si hypochondriorum molestia, vel sanguinis stagnatio circa anum urgent. Motus corporis moderatus, hujusque frictiones modestæ, ante & post motum, imo ante & post somnum, suadendæ.

*Scorbutus perfectus* dividendus est 1.) in *maculosum*, & non *maculosum*; 2.) in *acutum* seu *cum febre complicatum*, & in *simplicem*; 3.) in *idiopathicum* & *symptomatum* & 4.) in *epidemicum*, & *sporadicum*.

*Scorbutus perfectus* offert omnia supra notata signa in gradu auctiori, & plura alia sonica, præter allegata; adiunt nempe: laßitudo corporis major, appetitus gravior prostratio, crurum impotentia dolorosa, gingivarum inflammations, cruentationes, ulcerationes, genuum contracturæ, maculæ vel planæ, vel paululum, vel altius elevatæ: vel absunt maculæ, earumque loco luridus cachecticus notatur corporis habitus. Accedunt his sensim cedemata, difficilis respiratio, atrophia, lipothymia, musculorum duræ inflationes, imo tophi, glandularum tumores, ulcerationes, viscerum infarctus palpabiles, hæmorrhagiæ variæ, hydrops, artuum convulsiones cum mentis alienatione, eorum corrosiones, ad strepitum & cariem horrendam usque, arthritis, colica, sudores, communiter nulli, raro effusi, urina intense rubra, absque sedimento. Ceterum uti hic scorbutus communiter est absque febre, ita interdum se adjungit talis fatis acuta.

Pro data divisione prima apparet nunc 1.) *Scorbutus maculosus*. Variat hic pro macularum varietate: dantur enim maculæ lividæ, rubræ, ex flavo vel ex atro rubentes, magnæ striatæ, vel parvæ tales, vel etiam elevatæ, interdum ad magnitudinem myrtillorum, rarius nucum juglandium accedentes, coloris tamen lividi. Color omnium dependet unice a massæ sanguineæ crassi, dum, quæ lividæ sunt, sanguinem indicant globulis suis abundantem, ob vasculorum atoniam ad massam regredi impotentem: rubræ maculæ, vel alias coloris, sanguinem ægri magis lymphæ, vel sero, vel oleoso-bilioſa crassi prævalere indicant. 2.) *Non maculosus* est, qui nullas vel levissimas habet comites maculas, illarum loco autem, ut vocamus, cachecticum præse fert statum, qui ex submersa & quasi suffocata parte illa sanguinis cruenta constitutiva, reliquis partibus fluidis crassi tetterima corruptis, contingit.

Indurantur in utraque specie hi lenti & vappidi humores in tumores, qui pro re nata inflammantur, vel absque inflammatione putrescunt, vel in tophos abeunt, pro casu impedimenti, & pro nata dyscrasia. Ubi vero dyscrasia illa vel ex bilis energia excedente, vel ex cruoris activitate, vel ex oleoso-falsis partibus sanguinis valde corruptis, in summam, imo volatilem abit acredinem, tunc non solum ossium partes spongiosae, epiphyses, cartilagineasque ab acredine illa corroduntur, sed & ipsa ossa corrosione nigrescunt & consumuntur.

Scorbuti perfecti secunda divisio præbet 1. *scorbutum acutum*, seu *cum febre complicatum*. Accedit febris interdum scorbuto maculofo, rarius non maculofo. Supervenit communiter tumoribus genuum & crurum profundis, dolorificis inflammationibus, nec non gravibus oris & faucium inflammationibus: imo & artuum rheumaticis inflammationibus: lacerat enim acrede scorbutica partes, quas alluit. Tales febres *accessorias nominamus*, & proprie hujus loci esse volumus: quando autem vel febris catarhalis, vel vernalis mesenterica, irregulariter intermittens, scorbutica quædam symptomata habet pedissequa, ad symptomaticum scorbutum morbus est referendus. 2. *Scorbutum simplicem*, qui a præcedente per absentiam febris se distinguit, de reliquo autem perfecti scorbuti progenies est.

Scorbuti perfecti tertia divisio habet 1. *idiopathicum*, qui directe ex causa propria oritur, in subiectis bona valitudine ante gaudentibus, nempe ex aëris constitutione prava, varia, sanguinem vel immediate inquinante, vel ex frigoris vehementia, sublata nempe secretione diaphoretica, sanguinem hoc modo inspissante: vel ex vietu pravo, &c. quæ omnia simul tonum viscerum & totius corporis debilitant, & sic, negotio secretionis sufflaminato, massam humorum lentæ corruptioni tradunt. 2. *Symptomaticum*, qui mor-

morbum sequitur, vel se morbo adjungit, sive fuerit febris, sive malum hypochondriacum simplex, grave tamen, e.g. ex haemorrhoidibus suppressis, sive corruptio lymphæ venerea præcesserit, in primis, si accedat simul causa scorbuto idiopathicò propria: sic qui in nosocomiis febre, vel alio morbo chronicò affecti, curantur, in quibus multorum scorbuticorum simul cura habetur, illi facile etiam a scorbuto inquinantur.

Scorbuti perfecti quarta divisio dat 1.) *epidemicum*, qui multitudinem hominum ex causa communis corripit, sive illa fuerit morbus communis prægressus, sive pravus vixsus, sive aëris prava constitutio &c. Ut plurimum aëris frigida constitutio velificat reliquis causis; hinc est, quod non solum in regionibus borealibus, sed & in australibus, teste illo dīro scorbuto Parisino 1699. quandoque graviter epidemicus enascatur, & sub rigidæ hyemis exitum labes scorbutica appareat, per hyemem sensim enata, quæ sole, mensibus æstivis, fervente finitur. 2.) *Sporadicum*, qui in hominum multitudine paucos corripit, ex ægri proprio errore, vel, si adest quædam causa communis, illos solummodo corripit, qui ex crassi sanguinis magnam ad scorbutum habent dispositionem.

*Endemium scorbutum* in Europa esse ignoramus: nam licet in regionibus borealibus frequentior sit, quam in australibus, tamen endemius appellari nequit: endemius enim morbus nationis alicujus, ex perpetua causa, ex usu rerum n.n. petenda, perpetuus est, e.g. strumæ Tyrolensium, quæ ipsis, ex aquæ obstruentis usu perpetuo, perpetuae sunt. Cum autem scorbatus ob mutatam vitæ rationem & causas facilius evitables, quales sunt, vixsus pravus, frigoris admissio, aëris corrupti inspiratio, non nascatur perpetuo, ideo endemius dici nequit.

Cum ætiologia scorbuti in descriptione hactenus tradita, quantum pro loci modulo & spatio licet, annexa sit, ad *Prognosin & Therapiam* pergendum.

*Prognosis* docet: Omnem scorbutum perfectum epidemicum graviorem esse sporadico, ob causam universaliorē gravem, quæ omnium sanguinis crasis corrumpere valuit. *Omnis scorbutus acutus*, i. e. cum febre, moræ brevioris est, ast exitus periculosioris, quia inflammatorii generis est. *Omnis symptomaticus scorbutus*, i. e. febrem, vel alium morbum sequens, gravior est idiopathicō, non epidemicō: symptomaticus autem non observat semper tempus epidemici sibi relicti, nempe hybernum, sed variat in hoc pro ægri constitutione. Quædam scorbuti symptoma propria & antiquam servant *Prognosin*, e. g. hydrops, asthma, infarctus viscerum, &c. quo magis subito & simul graviter hæc apparuere, eo majus periculum adest: sunt enim jam graves morbi per se, etiam absente scorbuto. De *scorbuto maculoso* tenendum, quod quo magis lividæ sunt maculæ, simulque magnæ, eo majus periculum ex febris accessione oriatur; maculæ autem tales, quando simul & semel evanescunt, vel etiam nigrescunt, mortis instantis periculum denunciant, ac tandem maculosus talis, cum febre complicatus, si non jugulat ægrum, sæpe tamen illum hereticæ tradat, inprimis si viscera habet infarcta. *Scorbatus non maculosus simplex* moræ diuturnioris est, at non periculi adeo urgentis, nisi epidemia adsit gravissima, qualis fuit 1699. Parisiis, cuius scorbuti descriptionem & historiam sub finem dabimus: interim pro re nata, e. g. pro sanguinis crasi cacockymica, viscerumque atonia, facilime gravissima symptomata eidem junguntur. Musculorum indurations sanguinis nimiam tenacitatem, & morbi pertinaciam indicant. Streptus ossium, in primis sterni, symptomata gravissimum est & periculosissimum: raram enim illamque insuper in fru-

Infructuosam ossium sterni a scorbuto arrosorum coalitionem sicut sunt *Acta Academ. nostræ Volum II. Obs. 103.* Interim notandum est, quod, uti sexus foeminae magis immunis manet a scorbuto epidemico; ita, si sporadicè ab illo afficitur, & a reliquis gravioribus scorbuti symptomatibus liber est, augurium mitius ex strepitu ossium in illis formari possit: exhibetur enim in *Ephemeridibus Nat. Cur. Cent. I. & II. App. p. 196.* in virgine curatus, nec non in grida quadam, *Cent. VIII. Obs. 83.* Ipse præfui quondam curæ feminæ vere scorbuticæ, levioribus quidem symptomatibus decubentis, in qua scorbuti hoc symptoma cum reliquo morbo curabatur. Multiplici quoque mihi experientia observatum est, foeminas scorbuto epidemico, idiopathicò, raro corripi, id quod inde fieri opinor, quod non solum præ viris semper minus subjiciantur duriori vitæ generi, sed & crassi sanguinis gaudeant, ad scorbuticam labem, imo ipsam venereum intime fuscipendam, minus promta, quam mares: nam quæ *Observatio 159. Cent. I. & II. Ephemerid. allegatarum de mulieribus Hartbergensibus solis, iisque junioribus scorbuticis, tradit,* scorbustum symptomaticum fuisse appareat; nempe febrem vernalē, cui scorbutus levior se junxerat, qualem scorbustum in foeminis plagarum borealium, grassantibus febribus vernalibus, flante aura boreali frigida, saepè observare licet.

Diarrhoea mucosa in omni scorbuto bona: non itidem tota serosa, in primis corporis debilitate ingravescente; cruenta ichorosa autem funesta.

Arthritis, convulsiones supra notatae, colica & reliqua symptomata dolorificanil periculi intendunt, modo reliquorum malorum symptomatum fiat remissio. Idem de vertigine, & animi deliquiis sciendum.

Magna prognosis ex urina & sudore capienda: illa enim, quamdiu ex atro rubet, vel fuscæ est coloris, & simul parca

prodit, serum corruptum massæ humorum intime mixtum restare, & periculi aleam superesse indicat; quando vero lar-gius excernitur, cum colore, qui ad naturalem proximius accedit, & sedimentum deponit, tunc spes valetudinis affulget. De sudoribus hoc notandum est: quando effusi sunt, cum coniuncto sopore, vel etiam cum agrypnia, tunc debilitas & periculum augetur; ubi vero nulli sunt sudores, tanto pertinacior erit morbus, in primis sub parca lotii excretione, & cum fonticis symptomatibus. Oris & faucium ulcerationes halitum cadaverosum spirantes, mox sphacelum, mortis prodromum, adsuturum indicant.

Peculiarem, nec facile obviam prognosin tradunt *Commentarii Academiæ Scient. Paris.* A. 1732. captam ex hæmorrhagiis, quæ sub amputatione membrorum in scorbuticis facta contingunt; volunt enim hæmorrhagias in illis scorbuticis, quibus sanguis tantum inspissatus est, absque infesta putredine, parciores esse, & scorbutum indicare sanabilem: ubi autem largior contingit hæmorrhagia, eam indicare sanguinem putredine jam laborantem, & scorbutum difficulter sanabilem.

*Therapia Scorbuti perfecti secundum quatuor illas divisiones instituenda est: nam aliam methodum & alia medicamenta poscit scorbutus maculosus, alia non maculosus; alia acutus & cum febre, alia simplex; alia idiopathicus, alia symptomaticus, &c. cujus variantis methodi causam annexa supra consideratio ætiologica dedit.*

*Remedia antiscorbutica optime in quinque rediguntur classes, nempe 1. in acria; 2. in acida; 3. in falso - neutra; 4. in resinosa, & ob affinitatem, pinguia; 5. in amara. Acria selecta sunt: rad. ari, armoraciæ, enulæ, sedum vermiculare, herbæ, cochlear. beccab. & nasturtii. Tinct. antimon. Acidorum selectorum classem faciunt: Citrum, acetosa, baccae berberis, oxycocci, ericæ, myrtill, tamarindi, tremor & spir.*

spir. tartari, Elixir. Vitrioli & martialia. *Salfo-neutra pri-maria* sunt: Summitates pini, abietis, terebinthina, Juniperus cum toto, myrrha, radix pimpin. albæ, pinguedines animalium terrestrium, in primis medullæ quadrupedum. *A-marorum selectorum* numerum absolvunt: Fumaria, trifol. aquat., absynthium, veronica, radix cichorei, taraxaci, & cortex Peruvianus. Ex his omnibus polychresta evporista plurimum commendata, & omni speciei facilissime convenientia, sunt, ex acribus, armoracia, & ex acidis acetosa. Interim, quemadmodum hæc supra dicta remedia pro morbi genio, symptomatibus, ægri idiosyncrasia & loci opportunitate locum habent, ita & alia his similia non excluduntur.

His armis instructo hostem istum multifariam, pro sche-mate, quod format, aggredi licet. Sic quadrant in *scorbuto maculoso*, ob sanguinis grumescentiam & stasin, maxime notata acria, cum interpositis amaris, corruptionem inhibentibus, imo salfo-neutris, sanguinem corruptum & resolutum eduentibus: inter acria efficaciora eminent primario armoracia & Tinæ. antimon. acris, quorum usus diutinus proficuus est, non neglectis reliquis commendatis; de sedo vermiculari autem hic simul notandum, quod parcissimus debeat esse ejus usus, quia facile vomitum procreat, raro fru-etuosum. Profunt in *scorbuto non maculoso* eadem acria & amara, addere autem & interponere licet etiam resinosa, in primis resinofarum arborum summitates recentes, utpote succo suo acidulo, facile evaporabili, adhuc prægnantes: tenacitas lymphæ poscit hæc resinosa, varia sub forma adhibita; hinc est; quod etiam tenuiores pinguedines animalium, in primis medullares, cerevisiæ incoquendæ, convenient, rectius quam illa vegetabilium olea expressa, nisi cum pane tosto parce sumpta, vel etiam dum in seminibus emulsi-vis adhuc hærent. Ipsa sola ova gallinacea cocta, cum acetosa saepius data, in *scorbuto* egregia fuisse legimus. Interim

terim hic simul monendum, quod, cum in tam gravi morbo, scorbuto scilicet, si, in quo alio, appetitus sit valde prostratus, resinosorum, & pinguium usus sit modicus, nec absque reliquorum commendatorum interposito usu. *Scorbuto cum febre acuta* convenient primario acida illa commendata vegetabilia, nec non falso-neutra, adjunctis amaris mitioribus, radicibus cicori, taraxaci, cortice Peruviano & similibus aliis, decoctis, vel cum sero lactis infusis. Notandum autem, reliquorum symptomatum, sub delectu notatorum remediorum, etiam habendam esse rationem, nempe colicæ, diarrhoeæ, obstructionis alvi, asthmatis, &c. quæ specifica sibi interdum poscunt remedia; nam, quæ indicavimus, primario scorbuticæ humorum labi dicata esse diximus. Similem respectum sibi poscit consideratio *scorbuti idiopathici & symptomatici*: ubi enim ex morbo prægresso vitium relictum hariolari licet, tam ex hoc, quam ex alio censu remedia sunt petenda. Taceo hic clysteres, pro variis scopis, varios, therapiæ facilitandæ valde accommodos, nec non alvi subductions, rhabarbarinis, tamarindinatis, mannatis perficiendas. Venaæctiones in plethoricis cum scorbuto febricitantibus in morbi principio sunt instituendæ; si talis autem scorbuti adsit genius, qualem NITSCHIUS in *Commerc. litter. Norimb. l.c.*, recenset, etiam morbo decrescente, pro celerius absolvenda curatione proderit, cuius rei hæc est ratio, quod, cum appetitus sub morbi decremento redeat, novi liquoris gastrici foetus, novus etiam bonus chylus sanguinem reficeret incipiat, qui sanguis, corrupto vestigiore per seftam venam sufficienter educet, eo promptius novum liquorem nerveum generat, & corpus restaurat.

*Therapia symptomatum externorum medicationibus variis, ex parte topicis, absolvitur. Gingivarum inflammationibus & ulcerationibus, pro re nata, & primario interdum scarificationibus, putredini resistantibus & mundificantibus*

tibus remediis, occurritur, quæ eadem & in reliquis ulceribus corporis scorbutici æque necessaria sunt. Gingivarum levioribus ulcerationibus spiritus vini, acetum, spirit. vitrioli, vel etiam succi & pulpæ baccarum austeraum palustrium, nec non citri, vel per se, vel cum melle, myrrha, aliisque mixta prosunt: convenient oris collutiones cum decoctis amaro-austeris, muria limonum, &c. Alumen ustum pro re nata prodest, vel ipsum vitriolum Cyprium. Indurationibus scirrhosis, vel tophis, emplastra convenient resolventia, emollientia, sulphurata, saponata, imo mercurialia. Contradetur genuum resolvuntur inunctionibus perpetuis cum pinguedine subtiliore animalium, canis, ursi, taxi, pisium, utpote magis penetrante, quam olea expressa vegetabilium, cum superimpositis fotibus lixiviosis, salinis, e. g. muria carnis bubulæ, additis, si placet, herbis, seminibus radicibusque resolventibus, nervinis, ex quibus etiam vapores admitti possunt. Velificat admodum huic intentioni antimonium, vel decoctis antiscorbuticis mediante petia incoctum, vel crudum ad gr. iv. vel v. in morsulis, ad KUNKELII modum, datum. Ulcera reliqua cacoëthea, nec non ipsi anthraces scorbutici, notis validissimis remediis chirurgicis tractari debent, quæ hic repetere non opus est.

Restant adhuc dicenda, quibus modis dirissimum hunc morbum effugere possimus, ipsis primis cum eadem ad regimen & viatum ægrotorum scorbuticorum instituendum valeant. Consistunt autem hæc primario in rerum non-naturalium usu sanitati conveniente. Hinc aër vitetur nimium frigidus, humidus & squalidus; ille enim corpus stringit, sudorisque recrementa repellit, hic corpus laxat, eoque simul sudoris secretionem debilitat: utroque autem modo circulus sanguinis retardatur, immo aër humidus squalidusque ipsius sanguinis elaterem debilitat, & dyscrasias portam pandit. Vitatus sit evpeptus, conditionis alibilis, mutatus tamen subinde.

de, hinc nunc ex carne, nunc ex piscibus, nunc ex oleraceis, nunc ex farinaceis vesci necesse est: nec condimenta desint, herbæ nempe & semina aromatica nostra, carvum, cumi-  
num, baccæ juniperi, allium, cepæ, armoracia, raphanus, &c. ex peregrinis autem primario Zingiber. Salis usus ne-  
cessarius est, at moderatus sit. Carnes salitæ innoxiae sunt, modo non sint valde exsuccæ, rancidæ, vel putridæ: & sic de piscibus. Butyrum & pinguedines culinares usitatæ, imo & olea expressa seminum & fructuum, bona sunt, mo-  
do nullatenus fuerint rancida. Jusculturum tenuium, ex carne, intermixtus sit usus, in primis fructibus baccisve su-  
pra nominatis, uvis passis, capparibus, vel vino condito-  
rum. Lactis omnis, ejusque seri usus proficuus est. Pro  
potu sit cerevisia tenuior cum armoracia fermentata, vel in  
doliis picatis asservata, vel nodulo antiscorbutico, ex specie-  
bus amaro-austeris, medicata. Quibus, grassationis tem-  
pore, vel tempestate epidemiam comminante, lautius vive-  
re licet, vinum cibis interponant, imo & in ceteris viëtu  
gaudeant meliore, temperantiae tamen, digestionis direc-  
tricis, sub moderamine: locum enim æque habet in hoc ple-  
bis morbo, quam in illo, qui etiam morbus plebis audit,  
nempe peste, consilium RIVINI præservativum: *Lute vi-  
vere.* Quod, in quantum plebi licet, valeat, & quantum  
melioris conditionis valent, observent. Scopum præserva-  
tivum etiam respicit exclusio mœroris animi, cuius energiam  
ad generandum omnem morbum, ut hic exponam, inutile  
mihi videtur. Nullatenus hic oblivione prætereundæ sunt  
primarum viarum per intervalla suscipiendæ abstensiones,  
per salina, aloen, rhabarbarum, sub adjumento fructuum ec-  
coproticorum, tamarindorum, prunorum, &c. Motum im-  
perare plebi, in primis militari, ad avertendum scorbutum,  
supervacaneum esset; quiete potius alternante, qua vires  
corporis, motu exhaustæ resarciantur, communiter ipsi opus  
est.

est. Quos autem vitæ commoda ratio ad nimiam corporis quietem seducit, de insidijs talibus sibi caveant.

Præter hactenus ex rebus non-naturalibus petita præservativa, adducendus adhuc est usus simplicis cujusdam, quod an ad illas, vel an ad medicamenta reducere debeam, hæreo. *Nicotiana*, inter præservativa numeranda est, siue fumo hausta, siue in substantia masticata, modo utroque alimentosa quasi reputata. In regionibus borealibus, ob hyemes rigorosiores, aëremque de cetero humidum, frequentiorem esse scorbutum certum est; interim in Suecia & Finniæ parte boreali scorbutus rarer est, quam cis Sinum Finnicum in illa parte, quæ plerumque a Russis habitatur. Evidem hæc discrepancia ex vieti diverso harum nationum peti posset, cum Finni & Sueci nulli jejunalii vietui addicti sint, sed perpetuo ex variis eduliis, tam ex piscibus, quam ex carne varia, pingui suilla, &c. lautius vivant; Russi econtrario, ex ritibus ecclesiasticis, his per plurimam anni partem carere jubeantur. Cum autem illis, Finnis inprimis, masticatio nicotianæ, aromatis oleosi acerrimi, admodum familiaris sit, hinc eandem plurimum ad sanitatem illorum contra scorbutum tuendam facere existimo. Russos quidem contra hunc morbum usu allii, ipsis familiari, & spiritus frumenti, abundanter ingesti, etiam se munire posse crederes; sed quid in his unum præ altero, tam ad frigus arcendum, quam ad sanguinis bonam crasin conservandam valeat, quilibet facile dispiciet.

Expositis hoc modo sufficienter omnibus iis, quæ ad scorbutum noscendum, curandum & præservandum faciunt, supereft, ut quæ ad dilucidationem genii morbi, & ad probationem dictorum inserviunt, tandem addantur. Huc pertinet 1.) quod pesti se facile adsociet scorbutus, afferente id Dn. HODGES, dum de Peste Londinensi agit: & quod in scorbuto pestis symptomata observauerint Medici Parisini,

historiam scorbuti anno 1699. Parisiis grassantis, tradentes. Ipsa pestis, quæ 1738. ad ostia Tanais fluvii inter milites & incolas russicos grassabatur, idem ex parte comprobat: nam pro data mihi ex his locis Petroburgum relatione, hæc pestis circa solstitium æstivum cessavit, phænomeno, scorbuti genio valde analogo, pestis naturæ autem contrario. Cum ex longa obsidione pestis nata dicitur, illam in suo primordio scorbutici generis fuisse credendum est, & successive in veram pestem mutatam. Scorbustum sine febre esse sæpiissime, quotidie observamus: sic ROET de Peste agens, illam sine febre interdum esse affirmat. 2.) Crasis sanguinis populorum borealium, ob frigidi & humidi aëris statum inquinatum, accedente vitæ ratione & vieti, a debito declinante, facile quidem in scorbuticam transit labem; at idem aër præter consuetudinem frigidior, conjunctus cum vietu, ex annonæ caritate, sanitati contrario, in regionibus australibus scorbutum generat tanto truculentiorem, quanto crasis sanguinis populorum australium compactior & parte rubicunda magis abundans censeri debet. 3.) Gingivarum dolores, vacillationem, imo casum dentium inducentes, si febrem intermittentem cum spasmis rheumaticis circa caput comitantur, ipsa febris scorbutici generis est habenda. Variolæ etiam, quando gingivarum & oris ulceræ conjuncta habent, nec non, quando sub myrtillorum forma in cute hærent, quantum adsit periculum, norunt Practici, sed & cuius craseos sit ægrorum sanguis, judicabunt. 4.) Febres, si ecchymosi in partibus extremis apparente, ad sphacelum sæpe vergente, stipantur, scorbutica corruptela laborare sanguinem indicat: genium tamen communiter suum servat febris in affectione systematis nervosi & cerebri, ex æstu febrili, manifestatum tam per debilitates gravissimas, omnem scorbuticam superantes, quam per deliria, quæ ad admirationem defuerunt in sæpius allegato scorbuto Parisino, ob statum cerebri,

rebri, quod semper ab omni labore immune deprehensum fuit, eam procul dubio ob rationem, quod crosis sanguinis oleoso-muriatica cerebri substantiam a putrilagine & inflammatione incolorem servavit, nec sanguinis talis defecatum in vasculis cerebri admisit, communem alias phrenitis febrilis causam. 5.) Notandum, scorbutum æque ac pestem, & febres malignas, juniorum sanguinem facilius inficere, quam seniorum; hinc iterum heic alleganda est illa *Ephemerid. Nat. Cur. Cent. I. & II. Observatio 159.* quod omnes mulieres, scorbuto illo laborantes, tribus exceptis, trigesimum nondum superaverint annum.

Tandem pro colophone historias quasdam breves, sed notatu perquam dignas, de scorbuto adhuc subiecte lubet, quarum prima erit historia Scorbuti, qui Saxones, cum anno 1701. in castello ad ostia Dunæ sito, a Suecis obsiderentur, infestavit, tradita a celeberrimo BUCHNERO, tunc temporis Medico illorum præsidiario, in Dissertatione inaugurali 1705. Lugd. Bat. habita, de quibus scorbuticis adhuc mihi quosdam videre contigit. Excerptis autem ipsius Autoris verbis utar: Morbi initium fuit mense Septembri, cum Sueci obsidionem susciperent: pro victu nobis erat caro salita & fumata, haleces saliti, & legumina. Potus erat vel aqua putealis, vel fluvialis, ab æstu maris saepissime falsa reddita. Milites, quibus ob hostium tela in dormitorii pro dato tempore esse licebat, & necesse erat, tringita vel 40. numero, in quolibet illorum hærebant: humus cubile ipsis, pallium vel tunica stratum erat & teatum. Aegrotis gingivæ erodabantur cum putredine: aderat lassitudo corporis, lancinans lumborum dolor, crurum sub poplite contractura, somnolentia, paralysis, apoplexia, phrenesis, vigiliae, haemorrhagiæ narium, ptyalismus, asthma, tussis sicca, humida, haemoptysis, hypochondriorum distensio, flatus, ascites. In morbi

morbi principiō alvi obstructio, post diarrhoea & dysenteria exitialis. Anthraces in quibusdam sub axillis, & in scapulis: urina in quibusdam nigra, in aliis pallida, crura livida, imo nigra, & splendentia. Capillorum defluvium omnibus. Vena secta sanguinem dabat adeo acrem, ut patellae orichalceæ ærugine obducerentur. Febres quotidianæ: icterus, Dolorum exasperatio circa noctem. Quibus membra ante aliquot annos amputata erant, in illis dira in parte ulceratio. Robustissimi, & optime valentes, ad ægrorum curam adhibiti, spatio duarum septimanarum eodem laborabant morbo. Sub his circumstantiis totalis erat medicamentorum defectus. Cum autem, facta deditio, copia illorum datur, sequentia maxime subitum dedere levamen. Decocta specierum antiscorbut. Essent lignorum, & spiritus fuliginis, in primis si ex his assumentis in balneo sudarent: allium & raphanum cum cerevisia infusa, tam interne assumta, quam externe contra maculas adhibita. Egregium autem auxilium præsttit medulla ossium equinorum, ad cochleare. unum cum calida cerevisia mixta: mirifice enim contracturas pedum, & lumborum dolores abstulit, adeo, ut ex prima vel secunda dosi rectius incedere potuerint: citius ex hac sanabuntur, quibus alvus ex illa laxabatur, vel artuum dolores vagi inde nascebantur. In centenis hæc ita probata fuit medicina.

Cum paucis elapsis annis Saxones, secunda vice, Thronii a Suecis obsiderentur, & idem morbus dirus illos infestaret, plurimi illorum, qui antea Dünamundæ obsessi fuerunt, ibi rursus præsentes, hujusque medicinæ memores, illam in usum, cum fructu, revocasse dicebantur.

Secunda relatio de Scorbuto ad ostia fluvii Lenæ in mare Euro- boreale se ingurgitantis, enato, & anno 1735. observato, quam etiam stylo, quo accepi, recensebo: Accessimus ad hæc ostia mense Augusto. Planities, quam alluebant,

bant, erat circiter 300. levcarum russicarum: constabat hæc ex terra quadam argillacea admodum macra: hac per ulnæ quadrantem perfossa, nil nisi glaciem reperiebamus, licet ad tres ulnas effoderemus: in hac planicie nullæ viva arbor reperiebatur, nihilominus magnos acervos abietum & laricum, aliunde adve&tarum, offendimus: ex his itaque domus construximus, illarumque cameras fornacibus providimus; quia vero argilla nostra ad fornaces inutilis erat, paretibus fornacum crassitiem unius ulnæ circiter dare oportuit: ideo in aliquibus cameris caminos fecimus, & observavimus ex caminorum igne nobis plura commoda, & maiorem calefactionem nasci, quam ex ipsis crassis fornacibus. Victus militis gregarii, per mensem, erat: farinæ secalinæ 30. libræ, alicæ avenaceæ 5. libræ, & salis culinaris 5. libræ. Aqua, ad parandos ex his cibos, ex nive igne liquata parabatur, quia alia non aderat. Circa finem Octobris ægrotare incepimus. Scorbatus cum febre, asthmate, tussi sicca, haemorrhagia ani & penis, morbus erat. Qui ante morbo quodam affecti fuerant, vel vulnere, iis in eodem loco primum dolor renascebatur, & tunc morbus scorbuticus totus in scenam prodibat. Aliquis lethargus accedebat: multi alvi obstruktione laborabant vix reserabili, quibus tamen tenesmus gravissimus molestias dabat: purgantia in dosi dupla erant danda. Mense Decembri maxima fuit nostrum strages. Tempestas hoc mense adeo violenta fuit, ut exire extra domum non liceret, ideo mortuos saepe per sextiduum domi retinere opus fuit. Ex societate nostra, quæ quinquaginta quinque hominibus constabat, solummodo octo relieti sunt superstites, & hi initio mensis Februarii, sub quo solis redditum dabat Deus, ægrotare inceperunt; interim non adeo graviter. Notandum de his, quod, licet alio non fruerentur cibo, & insimul alvi obstruktionibus obnoxii essent,  
1) quod maxime unico camini igne corpora sua calefecerint;  
2) quod

2) quod spatio 24. horarum vix per horas quatuor somno indulserint, sed 3) excurrendo, dum per tempestatem licuit, corpus sedulo moverint, & 4) mense Martio decocto abietino usi sint. Nihilominus in uno horum morbus adeo invaluit, ut pedum œdemata sequerentur, cui, & simul reliquis, quidam ex incolis hujus borealis plagæ, fortuito casu obviam factus, pisces frigore asservatos pro cibo offerebat, ex quo omnes magnam senserunt refectionem. Interim radiorum solarium, magis magisque ad nos redeuntium, beneficæ quotidianæ præsentiae multum tribuendum.

Tertia relatio historica sequentis est tenoris Anno 1741. mense Majo, quatuor rufficæ naves classicæ ex portu Revalensi Archangelogrodum versus vela faciebant. Simulac mare Balticum intrabant, scorbutus, qui jam in portu gliscerat, valde augebatur inter nautas, ut Hafniam appellantes, permulti jam hoc morbo ægrotarent: cum autem boreale promontorium, vulgo *Nord-Cap* dictum, attingerent, insuper a febris catarrhalibus, asthmate & pleuritide gravissime afficiebantur, ut multi illorum subito morerentur. Cum Chirurgi talia referentes de causis & adhibita methodo interrogarentur, responderunt: 1) aërem mense Majo fuisse frigidissimum, postea autem, cum magis borealem plagam intraverint, simul humidissimum, ex perpetuis densissimis nebulis; 2) vestitum nautarum autem fuisse tenuem æstivum; 3) nautas plurimos fuisse juniores, tali auræ boreali minus assuetos; 4) aërem ipsum in locis navium subpontanis, ob nautarum multitudinem, facile corrupti, cum ob frigus perpetuo clausa teneri debuerint, nautis vero vestimenta humida mutare possibile non fuerit; 5) carnem salitam fuisse cibum primarium, licet Haffniæ aliquid carnis recentis emtum fuerit, ex quo ad tempus etiam melius habuerunt nautæ. Quoad methodum responderunt: 1) se sudorifera dare non potuisse, ob regimen inconveniens & sub tali tempestate ordinata;

dinatu impossibile, itaque decocta amara solum data fuisse; 2) muscularum & tendinum obrigescentiis maxime obviam itum fuisse fomentatione cum cerevisia & aceto, quibus summitates pini incoctæ fuere.

Addam nunc summam Consilii itinerarii, duabus expeditionibus militaribus a me ann. 1741. dati, quarum una versus mare boreale destinabatur, ut in portu quodam hibernaret; altera vero iter terrestre ingrediebatur sat longinquum, Eurum versus, utrique vero in locis incultis morari necesse erat. 1) Corpus contra frigus vestimentis sufficienter tegatur; 2) mellis copiam secum sumant, eoque utantur, imprimis si acetum, æque secum vehendum, frigore destruatur; 3) deficiente copia butyri, vel olei cuiusdam expressi, medullam cujusvis obviam dati animalis pro usu culinari adhibeant; 4) terebinthinæ Venetæ optimæ sufficientem quantitatem secum portent, quam cum Extrato quodam amaro misceant, & cuivis peregrinanti, præservative, quotidie hujus pauca grana dent, id quod pluris foret efficaciæ, & minus nauseosæ molestiæ, quam usus summitatum abietis vel pini exsuccarum & tenaciter resinosarum; 5) præter farraginem medicamentorum & specierum antiscorbuticarum, in itinere recentiores colligant, pro usu futuro: nec supersedeant, omnes baccas palustres, vel quæ dantur in ericetis, colligere, illasque vel in solis radiis, vel alio modo siccatas servare, iisque pro indicatione valetudinis labentis uti; 6) si in locis destinatis ædificandæ fuerint, domus, & copia lignorum adsit, caminos exstruant, non posthabitis fornacibus, si debite construi possunt; 7) si forsan aquam ex nive & glacie liquare cogantur, illam melle condiant & radice armoraciæ.

De prima expeditione, per litteras Chirurgi, mense Decembri, hoc responsum tuli: Se ex cura superiorum huc usque gaudere omni vitæ commoditate, omnesque sat bene valere. Cum autem ipso hujus anni fine officium meum

ex concessa gratia, deponerem, simulque locum mutarem, nec de hac, nec de altera expeditione, quicquam aliud mihi innotuit.

Agmen tandem claudat sæpius memorata illa historia de Scorbuto, qui Parisiis anno 1699. grassatus est, & quæ continetur in *Commentariis Academ. Scientiarum Parisinæ* ejusdem anni; quam, quia Opera hæc non in omnium sunt manibus, in compendium redactam, servatis præcipuis circumstantiis, sic tradam. Invasit Scorbatus agri Parisini incolas anno 1699. ferocissimus, quo tempore annonæ caritas magna fuit, tam ob bellum, liberum commeatum impediens, quam ob tempestates frugum proventui adversas. Tanta fuit ægrotorum multitudo, ut vastum illud Nosocomium, *Hôtel-Dieu*, illis suscipiendis non sufficeret. Autor referens non dissimulat, sub relationis finem, annonæ caritatem, & vietum ex rebus insalubribus paratum, cum accidente animi mœrore ex his calamitatibus nato, omniumque gravissime lædente, hanc tragediam induxisse: accusatur simul juste frigus hybernum, sanguinem male paratum coagulans & sistens, ut vere appropinquante tantus enatus fuerit scorbutus. Quemadmodum scorbuti vehemtia semper ex frequenter occurrente strepitu ossium, comitantibus simul reliquis symptomatibus, judicanda est: ita & hic symptoma illud sat frequens fuit, tam circa artus, quam circa sternum, qui posterior strepitus sub respiratione se prodidit, & qui hoc laborarunt, omnes letho dati sunt, unico excepto juvene, in quo sterni cartilaginem a costarum parte ossea separatam invenerunt. Et, quid mirum? costarum substantia interior in plurimis adeo corrupta fuit, ut, cum comprimerentur digito costæ, omnis substantia spongiosa sub forma puris exierit, & non nisi lamellæ ossæ exteriore restiterint. Streptitus ossium in artibus, sub motu, clarior fuit auditus, & in illis tota epiphysis ab ossibus separata

parata fuit: ossa ipsa autem nigra & cariosa, ligamenta ple-  
raque autem a sero fusco & caustico arrosa. Lympha cada-  
verum scorbuticorum adeo acris fuit, ut non solum manus  
disscantum, ex illa madidæ factæ, excoriatæ fuerint, sed  
& facies illorum ex assurgente vapore inflamatæ & exul-  
ceratæ. Aliquibus tanta fuit spiritus oppressio, ut subito  
morerentur, in quorū thorace tamen nihil hydropici re-  
pertum: pericardii vero & pulmonum cum pleura & dia-  
phragmate tanta adfuit concretio, ut una videretur omnium  
massa: pulmones itaque adeo enervati & compressi non po-  
tuere aërem libere admittere & expellere. Præterea subi-  
to mortui sunt quidam, de quibus id suspicari non licuit:  
invēntæ autem sunt auriculæ cordis a sanguine coagulato  
ad pugni amplitudinem dilatatæ, ut necesse fuerit illos subi-  
to mori. Licet quibusdam solummodo levis gingivarum  
ulceratio ab initio contigerit, mox tamen successere aliqui  
tumores, & tunc stigmata livida, mortis præcursores. Ali-  
quibus coxae, crura & brachia atro - rubra fuere, ceu adusta,  
& his sub cute sanguis niger grumosus hæsit: quibusdam  
musculi, ligni instar duri fuerunt, idque ex sanguine in sub-  
stantia muscularum fixo, hinc habuerunt crura contracta, ut  
illa extendere non potuerint. Maculæ variae, lividæ, rub-  
ræ, flavæ & nigræ nihil aliud fuerunt, quam sanguis sub cu-  
te extravasatus: coloris natura a mixtione sanguinis cum bi-  
le, vel a propria dependebat crasi. Quidam stupidi, absque  
sensu & motu, statuarum instar fuerunt, cum ore aperto,  
oculis excavatis, aspectu horribili: in his non nisi in gingivis  
malum reconditum visum est; cutis enim illorum fuit abs-  
que maculis, blanda & mollis: attamen musculos habuerunt  
adeo gangrænosos, ut cum illos manu tractare tentaretur,  
putridæ corporis partes in manibus permanerent. Fuit in  
his quidam carbunculi quandam speciem in pede gerens,  
ex cuius naribus & labiis fissis ichor putidus exstillavit, vi-

xitque homo diu moribundus : cuius cadaver teterimum, horroris ergo , dissecare abstinuerunt. Quemadmodum scorbutici ordinarie tempore aestivo melius habent, quam hyberno, ratione differentis transpirationis : sic etiam hi per mensem Aprilem mediocriter valuerunt: evanuerunt enim maculæ, durities, &c. cum autem aestus aestivis mensibus successit, omnia rursus pejora : adeo enim abundabat acris lympha, ut omnis, nec transpirare, nec per renes secerne potuerit; hinc calor aestivus novum ipsi creavit orgasmum novamque putredinem.

De methodo medendi & medicamentis adhibitis, per pauca adduntur : fit tantum mentio tumorum quorundam sensim augescentium, qui post applicatum emplastrum emolliens sanguinem reddiderunt coagulatum , quo per repetita emplastra evacuato, tumores curati fuerunt. Qui per totum corpus quasi sufflati fuere, laxantibus, clysteribus & julapiis dulcificantibus curati sunt. Quibus ulcus album & durum in genis apparuit, in his statim illud spiritu vitrioli corrodere necesse fuit, alias mox livore & nigredine corruptum, foetore comitante, totam genam consumfit. Hoc admiratione dignissimum additur , quod cerebrum horum miserorum semper extiterit integrum & sanissimum. Ceterum Autor referens probat ex LUCRETTII distichis adductis , pestem quandam Athenensem nil aliud fuisse , quam dirum Scorbutum, Parisino similem.

(*Riga Halam transmissa d. 9. Mart. 1749.*)

OBSERVATIO LXVII.

Dn. D. JO. HERMANNI FÜRSTENAU.

*Vulnus umbilici feliciter sanatum, additis quibusdam ad vasorum umbilicalium hæmorrhagiæ spectantibus.*

**S**unt etiam circa umbilicum, sicut CELSUS Lib. VII. Cap. XIV. pulchre advertit, plura vitia, de quibus propter raritatem inter autores parum constat. Verisimile est autem, id a quoque prætermissum, quod ipse non cognoverat: anullo id, quod non viderat, fictum. Vulnera sigillatim umbilici, ut rarius occurrunt, ita non adeo frequentem eorum fieri mentionem deprehendes, quamvis a plerisque pro lethalibus habeantur. Daniel certe SENNERTUS, communis quondam Germaniae, quin totius Europæ, in arte salutari præceptor, umbilici vulnera satis lethalia pronunciat, neque rationem subticet; cum intestina, ventriculus, adde & omentum, facile vulnerari possint, & intestina procidere. *Prax. Lib. III. Part. X. Sect. II. Cap. 5.* Quod vero ex G. Fabricii HILDANI Cent. I. Obs. 53. eodem loco allegatur exemplum vulneris, non tam umbilici, quam regionis umbilicalis, ejusdem lethalitatis causa in læsione diaphragmatis simul facta quærenda videtur. Ego quid viderim, paucis notabo.

Puer rusticus, decem annorum, vehiculum foeno colligendo destinatum alacriter, sed patre invito, consendens, vehiculo vix equis promoto, merga sibi è diametro opposita, sed non animadversa, in abdomen intrusa, graviter læsus est, ejus vero cuspide ex vulnere extracta, lacinia quædam membranacea ad digitii minoris longitudinem simul

erumpit. Chirurgus ex proxima vicinia accersitus, sed post bihorium demum advolans, & membranam ex vulnere prominentem, quam pro omenti particula, nec immerito, habuit, aëris accessu jam condensatam deprehendens, eandem filo trajecto ligandam, & Medicum simul accersendum judicat. Is postridie rogatus adventans, & vulnus curatius examinans, quantum ob terrorem, inquietudinem & clamores saucii pueri licuit, sublato paululum velamento, vulnus ipsi umbilico inflictum, & ad respirationem quamvis anxiam & terroris plenam, funiculum quasi quendam umbilicalem sub ligatura prominere, & exitum adfertare manifesto deprehendit. Ideoque præter interna vulneraria, temperantia, resolventia & blanda laxantia, curam externam ligatura sensim strictiore partisque corruptæ abscissione, ut & defendantium & balsamicorum debita adplicatione perficiendam Chirurgo sollicite commendavit. Is quidem abscissionem caute satis tentavit, sed nec simul & semel, ob hæmorrhagiæ gravioris novum accessum, sed iteratis vici bus, feliciter b. D. tandem præsttit; ægro vulnerato paucarum spatio hebdomadum absque febre vulneraria, absque alvi & urinæ suppressione, quam utramque vulnus mox inflictum minitari videbatur, ulloque alio symptomate superveniente, ad pristinam alacritatem redeunte.

Occasione hujus casus, cum de causa & origine hæmorrhagiæ, non obstante ligatura ex vulnere factæ, sollicitus essem, cumque ea funiculum illum umbilicalem vel quicquam demum illi simile a me in puento decenni visum compararem, accidit opportune, ut eodem in loco ad puerum recens natum & vix sex septimanarum deductus, de via quodam mentulæ, paraphimosin referente, simul & tuberculo testiculi dextri, cum notabili respirandi difficultate, sententiam rogatus fuerim; in partus circumstantias & umbilici ligaturam inquirens, eam ab obstetricie adeo negligen-

genter esse factam, ut paucis a partu diebus, hæmorrhagia vasorum umbilicalium accedente & mox aduersa feliciterque sedata, æger pusillus e mortis faucibus vix fuerit eruptus, ab utroque parente certior sum factus.

Duplex hocce idque notabile exemplum novam hypothesis a celeberrimo SCHULZIO introductam, de non facile metuenda lethali vasorum umbilicalium hæmorrhagia, rationis & experientiae ductu valde mihi haec tenus probabilem visam, non parum, fateor, dubiam reddit; dicta hæc vasa certe non semper in ligamentum abire, neque in recens natis & facta ligatura prorsus evanescere, corrugari aut exsiccari, exinde sufficienter elucescere videtur.

### *OBSERVATIO LXVIII.*

Dn. D. JO. HERMANNI FÜRSTENAU.

*Polypi cordis insignes mortis non adeo subitæ causæ.*

**P**olypos cordis majores, & regiam sanguinis viam in eodem impedientes, mortis subitæ causam sæpenumero existere, ratio non minus dictitat, quam experientia multiplex & autopsia identidem repetita confirmat; sed neque hanc regulam omni exceptione carere, sequens docet exemplum.

Rusticus pene septuagenarius, diu asthmaticus & cacheticus, verberibus in regione pectoris, abdominis, dorsi & lumborum graviter læsus, indeque morbo acuto cum tussi, hæmoptysi, & similibus symptomatibus correptus, & ultra primum septenarium decumbens, quin & primis diebus obambulans, aucto sensim morbo, & coram Confessionario, ad administrandam sacram coenam accersito, causam mor-

mortis verberibus inflictis in acceptis ferens, morte brevi insequente, sectioni judiciali occasionem dedit. Cadaver sollicite examinatum plagas quidem complures, sugillationis indices, dictis in regionibus obtulit, sed tales, quae, ulteriori instituto examine, non ultra cūtem & integumenta communia penetrarunt, muscularis & visceribus, aliisque partibus internis, prorsus intactis. In abdomine & capite nihil valde memorabile occurrit. In medio vero ventre, seu pectorre, praeter pulmonis lobum dextrum pleuræ, hinc & dia phragmati adnatum, utrumque vero tabo fere diffuentem, spumosum & corruptum, in corde tres polypi insignes fure deprehensi; primus nempe ex ventriculo dextro prominens & in arteriam pulmonalem definens, alter ex auricula dextra incisa propendens, & altera extremitate in venam cavam exorrectus, tertius demum ex arteriæ aortæ principio abscisso exemptus fuit, duri singuli, tenaces & unciarum duarum longitudinem excedentes, is quoque, qui auriculam cordis dextram occupavit insigni duritie praeditus & globosus quasi, sanguini minime coagulato, sed, quod miratu dignum, fluido innatantes, ejusque vitalem circuitum in ipso fonte & centro quasi, lento licet gradu, sufflaminantes.

### OBSERVATIO LXIX.

Dn. D. JO. HERMANNI FÜRSTENAU.

*Passio iliaca sine vomitu lethalis.*

Ileum, seu Volvulum, ob inflammationem intestinorum in gangrænam sphacelumque desinentem, sæpen numero lethalem sortiri exitum, tam exploratum est, ut nulla probatio indigeat; ejusdem vero symptomata non una eadem que facie in omnibus visuntur subjectis, dum vomitus assunto.

sumtorum, ne dicam, excrementorum, perpetuus pro pathognomonicō ejusdem signo una cum alvi adstrictione pertinaci vulgo venditatur, cum tamen alterutrum haud raro, sāpe & utrumque prorsus deficiat, morbo tamen ob reliquorum vehementiam & augmentum symptomatum tristem fortiente catastrophēn. Virgo honesta 40. fere annorum, pie, sobrie & caste vivens, & regulari menstruo fluxu gaudens, ciborum fastidio & nausea aliquamdiu laborans, præter remedia domestica, & quæ ex pharmacopolio portatili Hallensi, quod forte ad manus erat, petere erat solita, nihil fere usurpavit, donec Februario mense a. c. aëre horrido, frigido & humido, a cultu divino, quam sedulo semper frequentavit, redux, dolore colico cum alvi adstrictione correpta, postridie opem meam imploraret cumque ex oris siccitate, æstu, siti & pulsu debili inflammationem intestinorum aut præsentem, aut imminentem augurarer, remediis temperantibus, digestivis, nitrofis & absorbentibus, anti-spasmodicis, carminativis, blandisque anodynīs malo occurrendum, sed & laxantibus variis ex ordine exhibitis alvum reserandam esse duxi. In his factō a potiuncula mannata & rhabarbarina initio, ad resinam Jalappæ, hinc & diagrydium sulphuratum trochiscosque alhandal, suo quolibet ordine & debita dosi successive exhibita remedia factō progressu, ad sal demum Sedlicense, sicca & liquida forma sensim, sed æque frustra adsumtum, devolutus sum, non omissis clysmatis & suppositoriis, pomisque ambræ, debitīs intervallis applicatis singulis; sed nullum inde experta est vel tantillum levamen ægra, nisi quod a muria halecis, ne quid temere omissum videatur, pridie mortis subtus adipicata pituitæ parum alvo secederet, nullis admistis fecibus, alvo adeo pertinaciter clausa, ut neque flatus inferius, neque ructus superius prodirent, ægra vero tot malis cum inquietudine & vigiliis perpetuis confecta, sopore, delirio, singultu & moti-

bus convulsivis cum sudore frigido ad ultimum accedentibus, die morbi octavo diem obiret supremum, quam medios inter cruciatus & lethalem morbi decursum mensum fluxum ex ordine fuisse expertam, post obitum demum innotuit.

## OBSERVATIO LXX.

Dn. D. JO. HERMANNI FÜRSTENAU  
*Spasmus vesicæ lethalis.*

**A**ffectus hujus, diris plerisque stipati symptomatibus, cuius luculenta, tristia licet, notare licuit exempla, ideam, tum in his *Actis N.C. Volum. VIII. Obs. 43. & 76.* tum in *Dissertat. filii mei inaugurali 1745.* ventilata, vide-re est. Causa ejusdem proxima, vel si mavis, ratio for-malis, in irritatione, & quidem valde dolorifica & perpetua ad reddendum lotium, irrita primum, & frustranea, hinc vero in indesinenti & nullis fere remediis obnoxio ejusdem stillicidio consistit. Mediata, quæ vocatur, causa, ut p-  
lerumque alias, in abscondito delitescit. Remotæ vero & oc-  
casionales mali causæ tanto majorem merentur attentionem,  
quoc faciliorem ad medendi methodum pandunt viam. In  
hunc indagandis, tot in diversis adeo subjectis occurrentium  
quod maxime dolendum hucusque deprehendi, nisi quod  
nimiam a Venere abstinentiam, in adiuetis & non adiuetis,  
huic malo frequentem suppeditare occasionem, ex diversis  
passim notatis circumstantiis, suspicio haud forsan injusta  
militant, malis hinc mitius multari in Dissertatione citata  
exstet. Quæ brevi abhinc notare licuit, haec sunt: Vir 66.  
anno-

annorum, opificio sutorio, simul &, civium more nostrum, agriculturæ deditus, adeoque domi forisque laboribus duris artus totumque corpus frequenter exercens, sobrie viitans, victu duro & mediocri contentus, scarificatio- ni & cathartici, ut & sudoriferi semestri usui adiuetus, recte plerumque imo pancratice degens, nullis morborum insultibus obnoxius, hæmorrhoidale negotium prorsus igno- rans, & laboribus diurnis peractis alto plerumque somno sepultus nulloque ad excernendam urinam stimulo excita- tus, bene ceteroquin ingerens, digerens & egerens, au- tumno proxime elapso, scarificatione consueta omissa, oc- casione nulla, nisi quam insolita & vehementior animi com- motio suggestit, prævia, male habens in consueto cathartici usu præsidium quærerit. Hinc vero minus adjutus, ad stimu- lum urinæ frequentiorem & irritum, cum tumore in regio- ne pubis duriusculo, alvique & flatuum retentione, & brevi hinc accedens perpetuum urinæ profluvium opem ulterius quærere cogitur. Evidem nihil omissum recordor eorum, quæ ad mitigandum hoc malum siquid aliud dolorificum, cum eidem tollendo nulla spes adfulgeret, facere quounque modo viderentur. Nam præter interna absorbentia, antispasmodica, & analeptica varia forma exhibita, inque il- lis infusa theiformia cum & sine lacte, & juscula varia, me- dicata quoque, injectiones per urethram, mediante siphone catheteri immisso, clysteres, inunctiones & blanda cathartica, haud parca manu sunt administrata. Aeger vero ab alvi & flatuum libero successu, ut & somno placido subinde re- creatus, haud intermisso urinæ stillicidio, sex fere hebdo- madum spatio sensim confectus, accidente ultimis diebus febre semitertiana exquisita pedumque tumore, pubis vero tumore sensim evanescente, ad finem anni vitam cum mor- te commutavit.

## OBSERVATIO LXXI.

Dn. D. JO: HERMANNI FÜRSTENAU.

*Affectus suffocativo-apoplecticus cum variis symptomatibus tandem lethalis.*

**V**ir ille mediæ ætatis, cuius in hisce *Actis N. C. Volum. IV. Obs. 123. & Volum. V. Obs. 165.* mentio est facta, superato feliciter musculorum abdominis abscessu, per tria lustra recte plerumque, imo pancretice degit, nullis fere morborum insultibus obnoxius, nisi quod, ut antea quoque, ex levi in diæta errore, & potu v. g. recenti aut turbido, doloribus colicis subinde tentatus, in pulvere tempestante, absorbente & nitroso præsens utplurimum levamen inveniret. Is terroris subiti, & refrigerationis corporis improvidæ, ab invasione nocturna vera aut putatitia, concitata, pedibus vacillare & sensuum ac in primis tactus hebetudinem, & memoriae imbecillitatem maruumque ad exarandas litteras impotentiam experiri visus est; quibus tamen opposita per vices congrua præsidia, blanda v. g. cathartica, aquæ minerales, balnea, pediluvia, venæsestiones & frequentes in primis, quibus adsuetus fuit, scarificationes, id, b. D. efficerunt, ut æger plerumque ὥδος-αδιος maneret, & negotiis sufficeret. Media vero æstate proxime elapsa, frequenti & horribili tempestate cum fulgure, tonitru & imbribus per quam notabili, æger noctu simul & semel maxima respirandi difficultate, cum rhonchis, & sensuum pene omnium defectu, correptus, una cum pedum tumore & alvi ac in primis urinæ modo plenaria suppressione, modo & involuntario profluvio, maximum vitæ periculum minatus est, acciden te præsertim singultu, quem tamen singulis vicibus sternu-

tatio frequens exceptit, haud aliter ac in *Actis hisce N. C. Volum. VIII. Obs. 108.* simili id ipsum exemplo eleganter illustratum occurrit. Sed præter omnem expectationem æger congruo remediorum usu refocillatus sensim vires, cum adpetitu, eoque nimio fere recuperavit, & mediocriter ad finem usque anni degit. Novo vero anno ineunte, prævia aliquot dierum inquietudine & præcordiali anxieta, vesper-tinis in primis horis exacerbatis, circa novilunium proximum forti iterum insultu apoplectico, cum rhonchis, correptus, convenientium ope remediorum excitatus quidem sensum usum recuperare visus est, ut, ratione integra, sacra Synaxi, quam tantopere desideravit, frui potuerit; sed biduo vix elapso, sexagesimo sexto ætatis anno, diem obiit supremum.

## *OBSERVATIO LXXII.*

Dn. D. JO. HERMANNI FÜRSTENAU.

*Hydrops ascites a casu ab alto, paracenthesi facta solutus.*

Inter causas hydropis haud infrequentes, injurias quoque externas haud immerito referri, iis demum constat, qui de modo ejus fieri quondam solliciti fuerunt. Turnorem flatulentum subitaneum a causa violenta externa in hisce *Actis N. C. Volum. V. Obs. 51.* a doctiss. Dn. D. HOFFMAN-NO notatum, & elegantii Scholio illustratum legere licet. Hydropem verum ascitem casu subito feliciter sublatum, plures inter alias causas occasione, tum alii, tum nos quoque vidimus & sub Hydropis idea in hisce *Actis N. C. Volum. VIII. Obs. 78.* notavimus. Anno vero elapso rusticus juvenis ex vicinia meam implorat opem ad varia symptomata,

artuum in primis dolores rheumaticos, a casu ab alto e curru facto, absque tamen notabili autum aut aliarum partium laesione ortos. Congruis praescriptis auxiliis aegrum dimisi & non multo post certior sum factus, eundem hydrope ascite corruptum, & paracenthesi a Chirurgo administrata, feliciter ab eodem liberatum esse. An abdomen, an quaedam sigillatim partes casu isto laesae fuerint, diligentius instituto scrutinio, haec tenus indagare non potui, neque vero multum id referre existimo, a LOWERO edoctus, & multiplici experimento confirmatus, quodvis sanguini & humoribus, in suo per vasa circuitu, obiectum impedimentum, accedente reliquarum cumulo causarum, huic morbo producendo sufficere, & cito factum cito iterum, ope externa adcedente, & feliciter evanescere.

(Rintelij Halam missæ d. 24. Mart. 1749.)

### *OBSERVATIO LXXIII.*

Dn. D. JOANN. CHRISTOPH. POHLII.

De

*Tumore Lienis saccato a causa hydropica.*

Mirandam esse corporis humani fabricam, atque singularem partium connexionem inter se invicem cohærentium, præ aliis organicis corporibus, nemo facile inficias ibit. Solidæ enim, fluidas partes continentes, mirum in modum obveniunt figuræ, aliasque æmulantes machinas, non trabes solum a), columnas, fulcimenta, propugnacula, sed filtra, cribra, alveos, receptacula & canales etiam

---

a) Conf. BOERHAAVII *Institutiones Medicæ* p. 13.

iam deprehendimus, in quibus partes continentur fluidæ, motum suum intestinum & progressivum, juxta leges hydraulicas, hydrostaticas & mechanicas perpetuo exercentes, humoresque diversæ indolis b) efficientes. Præ aliis mirabilem partes organicæ thoracis abdominisque viscera nobis præbent structuram. Etenim in unoquoque viscere variae, structuram ipsam concernentes, partes, membranaceæ, ligamentosæ, in connexionem mirifice abeuntes, variis generis vasa, secretiones promoventia, vel aliis partibus visceribusque humores laudabiles præparantia, reperiuntur. Unde in statu præternaturali fieri potest, ut partes varie adficiantur, modo singulæ, modo omnes, in quodam viscere simul sumtæ, ubi in communem rapitur consensum totum viscus, efficiturque, ut munere suo, cui destinatum est, rite fungi nequeat. De qua re luculentissimum nobis supeditat exemplum sequens, qui mihi obtigit, notabilis casus, & quem hic sisto.

Præterlaps⁹ anni præteriti MDCCXLVIII. dietricesimo Augusti, occasio mihi fuit subnata, fœminam ex familia sati præclara hic Lipsiæ ortam, LII. annum ætatis suæ agentem, copulæ nuptialis expertem, destinatisque per naturam temporibus in ordinato per quinque annorum curriculum, priusquam naturæ debitum solveret, mensium fluxu laborantem, cultro anatomico post fata subjiciendi. Abdomen hujus miseræ, cessante mensium fluxu, progressu temporis maxime intumescebat, & ita quidem, ut ambitu suo quartam excederet ulnam nostratem; supra umbilicum, versus regionem hypogastricam, protuberare & acuminari ventrem deprehendi, ut vel cutis in superficie præ nimia splenderet extensione.

Se-

b) Vid. ibidem laudatus AUCTOR pag. 14.

Serum extravasatum, colore rubro tinctum, intusque in abdome contentum, circa umbilicum liberiorem quæsivit exitum, ut intra XXIV. horarum spatium, per sex hebdomades ante mortem miseræ nostræ libræ duæ & ultra sensim sensimque effluenter. Conquerebatur illa, cum vive-ret, de anxietatibus præcordiorum, nec non de utriusque circa hypochondria lateris capitisque doloribus lacinanti-bus, qui autem ultimis illius morbi temporibus in latere si-nistro magis magisque fuerunt aucti; febrique symptomati-ca phlogosibusque per intervalla fuit vexata misera, & per sex mensium spatium in lecto sine intermissione detenta fuit.

Aperto abdomine maxima seri copia, colore luteo atque striis rubris intermixto tincta, odoremque ingratum de se spargens, promanabat. Quod autem notatu dignum, lienem supra omnia abdominis viscera fere extensem offen-debamus, non hepar versus, id est, regionem hypogastricam dextram solum, sed superiora versus & diaphragma etiam extendebatur ille, ut & thoracis & abdominis viscera alia ab enormi isthoc tumore, facci vel utriculi more exten-so, e situ recesserint naturali, & in conspectum prodire non valerent. Hepar enim in superficie magis inveniebatur compressum, substantia naturali durius, & in vesicula fellea atrum ostendebat colorem bilis cystica, instarque picis ad ex-cernendum valde inepta, ob nimiam tenacitatem, reperi-ebatur. Ventriculi e situ naturali redacti atque hypochondrium magis dextrum erat mutata, & propter perpetuam compressionem stimulumque, quibus a maxima lienis mole obnoxius fuit ventriculus, nausea ructibus appetituque de-pravato correpta, semperque vexata fuit misera nostra. In-testina tam tenuia, quam crassa, inter se invicem ratione concavitatis compressa & coarctata conspiciebantur, ut neque flatus, neque feces, uti in statu requiritur naturali, prop-ter

ter scybalia intus contenta, rite exitum quærere potuerint. Ren sinister extrorsum non convexam, sed planiorem potius repræsentabat figuram, versusque pelvim extensus dirigebatur, quapropter excretio urinæ ob perpetuam lienis pressionem, quo minus ex voto succederet, fuit impedita. In parte concava, & quidem in circumferentia, membranam inter, a peritonæo ortum ducentem, & substantiam liehis, novem se formaverant distincti sacculi, quatuor magnitudine pugni viri robustioris, reliqui minores, formam rotundam globosamque repræsentantes; attamen communicationem inter se non alentes, sed in altitudinem magis vèrgentes. Incisione horum sacculorum, computationeque seri intus contenti facta, ex majoribus sacculis simul sumtis, duæ emanabant seri extravasati libræ; in reliquis autem sacculis minor hujus fluidi quantitas deprehendebatur, & in lienis substantia ipsa humores accumulabantur extravasati. Vasa arteriosa, horumque rami majores & minores, ut & venosa hujus visceris nimium in modum erant extensa, & vasa brevia duplo in conspectum prodibant majora. Exsectum viscus stateræ subjectum, libras XX. unciasque IV. ponderavit; longitudine duas ulnas cum semissi, in circumferentia duas ulnas septemque æquabat pollices. Computatione seri extravasati, in abdomine contenti, facta, ultra duodecim illius cum foetore accumulati, erant libræ, quod experimentis per coctionem institutis haud concrescet, aut adfuso alcohol inspissari poterat; neque ille liquor serosus syrupo Violarum viridiuscum dedit colorem, quo experimen- to compertum est, illum ad indolem alcalinam ver- gere.

De aliis hisce additis experimentis, e.g. spiritu alcoholi vini, cum liquore alkalino per deliquium facto, cum acetō destillato aliisque liquoribus, ne dicam, quippe quorum

rationem jamiam alio tempore cū aliis adhuc experimentis factis c) demonstravimus.

Morbum hunc ab obstruētis mensibus paulatim incrementum suum duxisse, abdomen sensim sensimque intumuisse, & singulis mensibus præterlapsō ante obitum unius anni spatio extendi cœpisse, simulque doloribus pungentibus utriusque lateris, magis tamen sinistri, quam dextri, imique ventris correptam fuisse miseram nostram, ex relatione agnatorum percepimus. Increbescente autem malo, adfectu illa asthmatico oppressa, neque alterutri lateri, sed dorso magis, incumbere potuit, semperque de suffocationis periculo est conquesta. Summis itaque præcordiorum anxietatis obruta, & tandem convulsionibus fuit extincta. Lenito quidem, uti fieri solet, incremento omnes tumores tunicati d); attamen cum illa differentia interni in visceribus tragoediam suam ita ludunt, ut progressu temporis, propter adūcātiū curandi, nihil aliud, quam mors, sit expectanda; omnes etiam tumores, potissimum serosi, folliculis inclusi, ab initio levioris esse videntur momenti e), paullo vero post gravissima sequuntur symptomata.

Thoracis autem & abdominis viscera, simulque partes in pelvis cavitate situm suum occupantes, in primis statui hydroperitoneo obnoxias esse, facileque præ aliis hoc malo adfici posse, celeberrimi Auctores, HOFFMANNUS f), HOR-

STIUS

c) Vid. Actor. horum Volum. VIII. Observ. III. p. 392.

d) Conf. modo citata Observatio p. 394.

e) Quod in allegata Observatione l. c. seqq. ulterius demonstratum dedimus.

f) De Pulmonum Hydrope in Actis Physico-Medicis N. C. 1727. Observ. CCXII.

STIUS g), SENNERTUS h), HILDANUS i), aliique variis testantur exemplis. Nam suos etiam patitur manes Lien, qui est viscus infimi ventris, atro - rubens k), in sinistro ventriculi latere sub diaphragmate ad costas situm, quod in subiectis maximopere quidem variare solet magnitudine ; attamen communiter oblongæ est formæ, sæpe irregularis, sex vel octo pollicum in longitudine, trium vel quatuor in latitudine l), crassities autem illius plerumque unius reperi- tur digiti transversi, in adultis vero ultra XII. uncias non ex- cedit. Deinde cum omnibus fere in sinistro latere sitis partibus, medianis membranis vasisque, connectitur. Substantia Lienis præprimis in hominibus, vasculosa & fibrosa deprehenditur m), quæ vero in hoc nostro viscere ultra modum extensa dilatataque erat, maximumque in modum intumuerat, ut triplo & quadruplo major in conspectum veniret, & præterea membranam inter & substantiam serosi accumulabantur humores. Præter modum simul solitum membrana, hoc viscus ambiens, in misera nostra erat ampliata & extensa, in sacculosque formata; quod ita evenisse arbitror, cum apices arteriosi in vasa lymphatica ordinarie abeentes vehementer distenderentur. Nam aucta serosi hu- moris copia membranam, substantiam lienis ambientem, se-

O o 2

para-

g) de Hydrope omenti, in Operibus Medicis Tom. II.

h) de Hydremphalo Libr. III. Medic. Pr. C. 17.

i) de Hydrope uteri, Observ. 56. &amp; 62.

k) conf. Compend. Anat. celeberr. HEISTERI p. 79.

l) Qua de re legi meretur Excell. D. D. QUELMALTZII dissert. de Liene p. 6. §. III. præterito anno edita.

m) RUY SCHIUS in variis clare demonstravit scriptis, hoc vis-  
cus esse vasculosum ; vid. Analect. Anatom. Dissert. X. N.  
XXII.

paravit, magnoque hiatu ita divisit, ut sacculi evenirent distincti, humoresque in peculiares abierint concamerationes. Hoc vero phænomenon non solum a vasorum lymphaticorum n), in liene contentorum, nimia dilatatione & ruptura, sed a reliquarum etiam partium relaxatione & extensione, nimioque serosorum adfluxu, & quod non est negandum, a debilitato fibrarum membranæ communis, a peritonæo ortum suum ducentis, tono dependet, ut in partium membranacearum substantiæque hujus visceris interstitiis ejusmodi magna oriri extensio magnaque accumulari potuerit quantitas.

Nam varios in hoc viscere sedem habere morbos, talesque in eo ortum ducere posse obstrunctiones, textura & fabrica hujus visceris docet, & quotidiana experientia loquitur. Triplicem enim ejus substantiam esse, aliam vasculafam, aliam cellulosam, fibrosam aliam, sive reticularem, docet Anatome o). Vasa hoc viscus perreptantia omnis se manifestant generis: Arteria a cœliaca ab ingressu ipsius visceris in tres vel quatuor ramos divisa, in substantia autem ipsa in innumerabiles subtilissimasque determinatur ramifications; eundem in modum comparata est vena, maximam parenchymatis partem constituens. Cellulosa vero substantia a membrana peritonæi est derivanda, quæ cellulæ hiant & communicant cum venæ splenicæ trunco. Testis est Marcell. MALPIGHIIUS p).

Fibrosa textura ipsam Lienis sifit substantiam internam, dum fibræ, a vagina vasorum spleniorum prodeentes, in-

con-

n) vide NUCKIUM in Adenographia sua de Vasis lymphaticis in Cordè, Renibus, Liene, &c.

o) vid. Dissertationem laudati Auctoris, pag. 10.

p) In Operibus Posthumis pag. 41. 42.

connexionem abeunt & se invicem intersecant. Sub membranæ validæ, lienem ambientis, contextu vasa intertexta sunt lymphatica, originem ab arteriarum lateralium ramificationibus habentia, fluidum suum largo flumine in venulas immissentia, nutritionemque, affirmante celeberr. RUY-SCHIO, huic visceri conciliantia. Rebus sic se habentibus, non vasorum tantum variorum multitudo & teneritudo, sed & sanguinis in hoc viscere circulum suum absolvantis singularis est ratio; quando enim venosus hepar versus viam liberam non nanciscitur, nimiae oriuntur extensiones, obstruetiones & tandem extravasationes fluidi intus contenti; proinde circuitus totius sanguinis rite haud celebratur, auctaque crudi mole lien majorem intumescit in modum. Attamen omnes afflictiones morbosas, quæ hoc viscus, reliqua que cum eodem in connexionem abeuntia q) invadere possunt, hoc loco recensere, nimis prolixum esset. Quod autem lien varium afficiatur in modum, induretur, exulceretur, interdum præter morem solitum extendatur, maximumque abinde nanciscatur pondus, observationes loquuntur. Junioris cuiusdam hominis in *Tabulis suis anatomicis* mentionem fecit celeberr. KULMUS r) cachexia viscerum laborantis & post fata cultro anatomico subiecti, in quo lienem inventit tumidum, duas libras unciasque XI. ponderantem, qui in statu naturali X. vel XII. uncias ratione ponderis in adul-

Oo 3

tis

q) Multiplices in abdomen derivandi sunt morbi a male adfecto liene, plerumque præ aliis in consensu rapitur partibus *Hepar*, ut bilis in eo non capiat laudabile incrementum, secundum Veterum Sententiam;

*Splen ridere facit, cogit amare jecur.*

r) pag. 169, Tab. XXIII,

tis in se continet s). Similem refert casum D. D. SCHAR-SCHMIDT t) juvenis XV. annos ætatis suæ agentis, & in Suecia nati, qui a Magistro suo mediante scutica verbera in latere sinistro erat perpeccus, & præterlapsò trium horarum intervallo diem obiit supremum; sectione cadaveris facta, vulnus lethale in liene se manifestavit, dum lien valde tumefactus, instar Hepatis, in media parte dispartitus, multoque cruento extravasato refertus, in censum venit, lancique impositus tres libras ponderavit. Plura ejusmodi exempla recensent TULPIUS, Illustr. ALBERTI in *Jurisprudent. Med. Stalpart van der WIEL* lienis mentionem fecit, VI. libras ponderantis. DIEMERBROECKIUS de Liene loquitur, qui stateræ impositus V. in se continuuit libras. LANCI-SIUS de juvene XVIII. annos ætatis suæ agente exemplum adducit, afferens, sectione cadaveris instituta, Lienem se invenisse IV. libras cum semisse ponderantem. Silentio hic præterire non possum casum singularem de milite quodam gregario, qui in mentem mihi nunc venit, per VI. annorum spatium morbo chronicò laborante, dolorem obtusum perpetuamque pressionem circa hypochondrium sinistrum animadvertente, cuius tandem sensim sensimque intumuit abdomen, artusque inferiores; ut autem de morbi causis & tumoris ratione constaret, post fata, jussu Ducis militum, sectione cadaveris instituta, lien ultra modum tumefactus, maximaque seri extravasati quantitas in conspectum prodiit; in quo viscere, ex nimia membranæ communis extensione, incisuræ consuetæ & ordinariæ maximam oblitteratæ erant partem, & lien exemptus lancique impositus, XVI. ponderavit libras VIque uncias.

OBSER-

s) vide Breslauische Sammlungen Ann. 1725. Mens. Jan. Clasf., IV. Artic. 18.

t) In Relationibus anniversariis pag. 39.



## OBSERVATIO LXXIV.

Dn. D. RÜDIGERI FRIDER. OVELGÜN.

*Indurationis, inflammationis ac suppurationis  
mammarum, post ablactationem, præoccu-  
patio.*

Qua ratione vulgus nostras, heic loci, huic malo medeatur, tum ut methodus medendi vulgi innotescat, tum quod remedium vili constet pretio, primum in medium producam: deinde commemorare animus est, qua methodo, per quinque, & quod excurrit, lustra, si non pluribus, quod crediderim, saltem centenis mulierculis, experimento nunquam fallente, auxilio fui. At vero, ut, secundum Comicum, in tempore vertire omnium rerum primum est, ita & hic se res habet: justo namque serius hæc medicina paratur, manimis aliquamdiu inflammatis, nedum inflammatione jam ad suppurationem tendente. Priorem methodum mecum communicavit medicastra hujus loci, olim Chirurgi uxor, ab ægrotis pauperculis, id quod sæperumero fit, ad me missa. Hæc, ubi infans vitam cum morte commutavit, statim exhibet matri haustum aceti, ac inde lac in manimis coagulari adfirmat. Eodem tempore vinum adustum vulgare, cui tamen præfert Rhenanum, ubi haberi potest, cum farina triticea mixtum, duplicato linteo inditum, bis terve applicat. Hoc non juvante, id quod tamen ordinarie juvare adseverat, oleum olivarum, cum aqua pura bene agitatum, illinit non calefactum. Meum in præsenti non est, vel atro carbone, vel albo lapillo notare remedium nostratisbus mulierculis, vilioris in primis fortis, satis frequens. Aceti justum haustum, quem præcipit mulier medica, ego saltem non suaderem.

derem hystericis, puerperis, delicatulis, terrore ex morte infantis correptis, nervosis affectibus, pulmonumq; morbis tentatis. Ceterum his in oris, s<sup>æ</sup>pius memini, ad lactis concretio- nem in mammis prohibendam, ceu *Simon PAULI* a) de puer- peris illorum locorum, ubi praxi vacavit, idem commemo- rat, has ipsas Apium hortense, seu Petroselinum vulgo C. B. alis ac mammillis, vel in butyro frixum, vel in aqua coctum, non sine effectu applicasse. Et ante, & post tempora *Si- monis PAULI* Petroselinum vulgare hunc in finem commen- datum fuit. Juvat nonnullos in testimonium citare. *Jaco- bus Theodorus TABERNAMONTANUS* b) interdicit usum internum Petroselini vulgo siccitti, si puerperæ lactare vo- lunt; si vero isthoc recusent, affectibus capitis autem non la- borent, usum radicis & herbæ Apii hortensis laudat, lac ni- mirum inde imminui, non coagulari, neque mammae dole- re: iis denique, quæ infantes ablactare volunt, suadet, ut herbam Petroselini contundant, instar emplastri mammis im- ponant, sicque resolvi lac coagulatum, tumorem dissolvi, calorem temperari & dolores brevi temporis spatio mitigari adserit. *Johannes RUELLIUS* c) auctor est, Græcos hoc cibo nutricibus interdixisse, partim quod vescentes pronius in libidinem ruant, partim quod in mammis proventum la- etis extinguat, additque, interiectis nonnullis, mammarum duritiem illam herbam mollire. *Theodorus CORBEIUS* d) eadem opinione imbutus est. Enim vero herbam Apii hor- tensis, mammarum duritiem, e lacte concreto contractam, repre-

a) In Quadrip. Botan. Class. III. p. m. 475.

b) Kraüter-Buch Basil. 1687. edit. Part. I. p. 266. & 270.

c) De natura stirpium Basil. 1543. edit. Libr. Ill. p. 532.

d) In Pharmacia simplicium Francof. 1656. edit. Class. I. Sect.

IV. p. m. 200.

reprimere ait, uti hæc ipsa *Johanni MONHEMIO* e) haemorrhiam nuntiat. *Castor DURANS* f) Apium hortense, quod oculis nocivum sit, ac epilepsiam excitet, cum ex hac causa, tum quod lac exsiccat, lactantibus in primis nocivum pronunciat. *Theod. ZWINGERUS* g) non minus foemellis, quæ infantes lactare gestiunt, interdicit Petroselinum vulgare quod lac imminuat. Idem herbam Petroselini contusam, cum melle mixtam, mammis instar emplastralide applicatam, lac coagulatum dissolvere, & ex eo ortum dolorosum tumorem tollere, affirmit. Ne *Michaelem ETTMÜLLERUM* h), afferentem Petroselinum vulgare lactis grumos impedire, siccata folia infusa, vel externe applicata, lac diminuere, aliosque longo ordine laudemus, *DIOSCORIDEM* haud dubie ad unum omnes fecuti i). Hic namque Apium hortense mammae, grumoso lacte turgentes, reprimere, suo jam tempore scriptum reliquit. Quanquam tot tantisque Auctoriibus, quibus Petroselini vulgaris vis medica curæ cordique fuit, lubens adsurgam, neque illius usum reformidem, tum interne iis absentibus, quæ *RUELLIUS*, *Castor DURANS*, ac *TABERNAMONTANUS* subministrarunt, neque febre præsente, tum externe, cum noverim operæ pretium fecisse,

*Autor. Ph. M. Vol. IX.*

Pp

pro

- 
- e) Tom. II. Elementorum physiolog. Colon. 1544. edit.
  - f) In Herbario a Petro UFFENBACH Phyl. Francof. ex Italico in germanicum sermonem translato 1609. edit.
  - g) In Theatro Botanico a Filio, Frider. ZWINGERO 1744. secunda vice Basil. edit. Libr. IV. p. 849. & 850.
  - h) In SCHROEDERO dilucidato p. m. 132.
  - i) de materia medica Lib. III. Cap. LXXIV. interprete *Iano Antonio SARACENO*; medicinalis enim materia DIOSCORIDIS, quam interpretatus est *Johannes RUELLIUS* σιλινος illius Lib. III. Cap. LXII. habet,

pro variis scopis varie applicatum, nequeo tamen temperare mihi, quin sequentem methodum, per tot lustra mihi familiarem, & efficaciorem, & certiorem pronunciem, quæ hæc est: Rec. Empl. de spermat. Cet. ȝj. diachyl. simpl. ȝl. M. applicetur integris mammis, arctius paulo & altius ligandis, foramine pro papillis reliquo, mappis insuper sufficientibus ab omni aëris frigidi injuria coagulatoria vindicandis. Dein Rec. Empl. de spermat. ranar. alb. coct. ana ȝj. M. & applicetur dorso. Magnatum, & aliorum honoratioris conditionis uxores, quibus in more positum est, suos non latrare foetus, partu edito extemplo hæc duo emplastra in usum trahunt, neque unquam, quod euidem sciam, spe votoque excidere: abigi nempe eorum ope maxima ex parte dolores tumoresque mammarum, inflammationem vero & suppurationem, vel earum indurationem, lactisque concretionem prorsus præcaveri semper deprehenderunt. Eam ob causam inclarescente remedio, ex variis regionibus id ipsum ante puerperii tempus a me depositum. Acceptum illud fero, ne quid dissimulem, Georgio Wolfgango WEDELIO, magno quondam Jenensiū Medico, qui, quod ad Emplastrum de spermate Ceti Myns. speciatim attinet, quod magni usus, in lactis discussione & rugis ventris post partum, prædicat k), videtur is ipse illius usum edocetus fuisse ab hujus Auctore, Hadriano a MYNSICHT l), qui primus illud descripsit, viresque ac usum his verbis addidit: *Mammis puerparum post partum non lactantium impositum, & continue per multos dies gestatum, omnibus ex late doloribus, & tumoribus etiam duris, imo scrofulis & strumis,*

k) de Medicamentorum compositione extemporanea Sect. III.  
Cap. IV. p. 195.

l) in Thesauro, seu armamentario medico-chymico Sect. XXXVII. Edit. secund. quæ 1638. prodiit.

strumis, medetur: lac enim coagulatum, siue concretum solvit, ejusque abundantiam absunit. Quum multi, quos equidem evolvi, hujus commatis Auctores, si ipsum *Hadrianum a MYNSICHT l.c. Pharmacopœam Augustanam* m), & pauciores alios excipias, compositionem Emplastrum de spermate Ceti cum publico haud communicaverint, spero non nullos in meliorem partem interpretaturos, si isthoc Emplastrum hic loci denuo descriptum sistam: Rec. Ceræ alb. ʒiv. Spermat. Ceti ʒij. gumm. Galban. in acet. dissolut. ʒi. M. F. Emplastrum. Ne vero efficacia supra commendatorum emplastrorum forsitan impediatur, hinc puerpera jusculis, præcipue primis diebus non nimium est obruenta, sed parcus cibanda, diaphoresi leni & continuæ, prout par est, sedulo indulgendum, & lochiorum successus debite promovendus erit. Quum tot extent, tam ad hoc incommodum tollendum, quam alios morbificos affectus debellandos, in Medicorum scriptis remedia, ad unum eundemque scopum collineantia, rei medicæ magis interesse existimavi, si ea cum publico candide communicarem, quæ sæpius, & certius saluti fuere, quam multa nova, usum nondum & experientia comprobata, prout sæpius etiam fieri solet, congerere, in primis quum aliunde jam multitudine remediorum laboremus, ut quo se vertant, nesciant subinde Practici novelli.

Pp 2

OBSEK.

---

m) Augustæ Vindelicorum 1734. edit. p. 229.

## OBSERVATIO LXXV.

Dn. D. RÜDIGERI FRIDER. OVELGÜN.  
De

*Doloribus externalium partium, remediorum tum  
externorum, tum internorum ordinariorū  
efficacitatem non cedentibus.*

**D**igna profecto sunt, mea quidem sententia, quæ recta rationis lance trutinentur, a *Guilielmo BALLONIO* quondam observata & adnotata, a *Theophilo BONETO* vero a) denuo luci publicæ exposita, de irrito sæpe quorumcunque remediorum effectu, ad dolores, partes externas excruciantes, qualitercunque mitigandos, sequentis maxime tenoris: *Incredibiles circa scuptula operta & Rhachitidem dolores oriuntur, a delapsu crudi ac ferosi humoris, per partes posticas capitis, & ii mulieres maxime exercent;* in *Domina N. per viginti menses perseverarunt, nulli credentes remedio; cuidam dolores sæpe perpresso, cum cada ver se caretur, omnes nervi & ligamenta muscularum humeralium erant oppleta sero pingui.* Idem observatum in aliis similes dolores passis (Epidem. Lib. I. pag. 46). *Magna vis est salsarum acrium & nitrosarum fluxionum, ad afferendam consumtionem toti corpori, quoquo se humor proripuerit ac subierit.* Domine du *Plejjs ac acri sero dolores excitati sunt, in omoplatis; ardoris & acrimoniæ sensus erat, & nil juvabant remedia, imo ne opium.* Talis dolor viginti menses perseveravit. *J. Beanchamp, qui laqueo vitam finivit,*

a) in *Labyrintho medico extricato* Lib. X. p. 615.

nivit, in omoplatis dolores erant incredibiles, qui ex intervallis repecebant. Aperto cada vere repertum est pingue & efferum serum, quod omnia ligamenta & nervos obliniverat imbibebatque (Consil. 114. Lib. I. p. 552.). Ex ejusdem BALLONII Epid. Lib. II. BONETUS b) sequentia habet: *Puellæ cum utrumque brachium intumisset, a reliquiis variolarum, opinione alicujus suppurati, dextro brachio pyroticum adhibetur, nil eductum est, paucula tantum fluxit sanies: cogitabatur de altero pyrotico in sinistro brachio, cum nil satisfactum esset exspeditioni de priori pyrotico, non est alteri brachio adhibitum, mirum quod contigit, liberius expeditius & indolentius fuit brachium, cui pyroticum adhibitum fuerat, alteri metuebatur ne ignavum foret, sic in suspicione qualitatis malignæ, licet pus non sit, aut aliquid commemorabile, tamen magno profectu cauterium applicatur.* Hucusque BALLONIUS, quem inter eos eminere Medicos, qui non famæ aut quæstui solum velificantur, sed toti saluti ægrorum incumbunt, recte asserit BONETUS c), laude pariter maestandus, quod scripta hujus viri, quæ jure meritoque excellentissima vocat d), sparsim ab eo traditis, quæ remoram in artis exercitio objiciunt, in locos communes redactis, dicto libro publici juris fecerit. Quicunque ex libro Renati MORÆI e), in quo plura ad vitam BALLONII spectantia continentur, saltem pauca hæc paullo curatius perpendit, dum ita scribit: *Minus aula, quam Musæo delectabatur, magisque ægris plebeii & ignobilibus, quam illustribus & aulicis, qui Medicos velut catulos in compedibus vindos & alligatos retinent; & paucis interje-*

b) l. c. p. 617.

c) Epistola dedicator. Labyrintho medico præfixa.

d) l. c. Præfat. ad Lectorem.

e) de Illustribus Medicis Parisiensibus,

Etis: A Rege potentissimo vocatus, ut curam susciperet salutis Serenissimi Principis Delphini, dignitatem eam recusauit, senilem ætatem, effætas vires, ingenique tenuitatem obiciens, ne cogeretur otium domesticum cum aulico negotio, philosophicamque parcimoniam cum principum delitiis permetare, ita sui juris & protestatis factus, popularibus suis medicinam factitabat, non ad aucupandam popularem auram, vel ad opes summo æstu comparandas, sed ad ægrorum tædia levanda & lenienda, tanta humanitate & comitate, ut non instar Archagati, a sævitia urendi & secandi, hominum carnifex, sed a mitissima curandi ratione infantium Medicus, vulgo nuncuparetur: is sane ipse haud mirabitur, cur, dum judicium & diligentia, tempusque sufficiens ipsi fuerit, ad praxin clinicam summo studio excolendam, vir quondam magnus, Hermannus CONRINGIUS f), libros BALLONII Epidemiorum & Ephemeridum, inter alia, scriptum nunquam satis laudatum vocare non dubitaverit, & alio loco g) iis multa contineri, quæ, quoad universalem morborum historiam, ad HIPPOCRATIS gloriam proxime accedunt adseruerit. Juniores practici proinde sibi Ballooniana scripta commendata habeant, in quorum gratiam hæc dicta sunt. Nunc ad ea, quæ mihi in praxi circa hanc rem observare licuit. Ante viginti, & quod excurrit annos, Medicus affinitate mihi junctus, variis motibus arthriticis varie subinde tentatus, corripitur doloribus femoris, qui pessime illum noctesque diesque habebant. Dictabat mihi, multo tunc juniori Medico, per vices ant-arthritica, Pharmacopœo tradenda, quibus in usum vocatis, doloribus vero nihilominus incrementa capientibus, auctor erat, ut ego ipsi

f) Introductione in universam artem medicam singulasque ejus partes, Cap. III. §. XXXIV. p. m. 74.

g) l. c., Cap. V. §. XII. p. m. 118.

ipſi præſcriberem, quæ mihi in affectibus arthriticis comperta & explorata eſſent. Re eodem & fruſtraneo effectu peracta, alias formulas medicas urgenti, respondi: ſi mea reſageretur, Chirurgo in mandatis darem, ut lancetta altius locum affeſtum (carnosus namque erat) tranſigeret, ſic haud dubie puſ prorupturum. Malum enim non videri mihi arthriticum, remediorum, quibus uſu eſſet, ratione habita: Glandem potius ſclopetariam, femori, caſtra olim ſecuto, immiſſam, & irrita omni tum temporis adhibita diligentia, adhuc ibi hærentem, gravitate ſua forſitan deſcendiffe, fibras muſculoſo-carnoſas attriviffe, ac ulcus tandem reliquiffe. Annuēbat operationi, hac tamen lege, ut eidem interefſem. Lancetta vix retracta, puſis in conſpectu in prodibat magna ſatis viſ. Tum vero, qui me præſente, vi- ginti diebus, & ante a me non præſente, per ſumma dolorum tormenta, ſatis quoque diu ſomnum capere non potuit, iis extemplo lenitis, dormiebat, & laſione hac ex methodo chirurgica ulterius traſtata, cum valetudine in gratiam redibat. Aliquot deinde interjeſtis annis moleſtissimi dolores, arthritici viſi, dorſum mulieris infestabant, quam quæſtor in matrimonio habebat. Remediis a duobus Medicis fruſtra adhibitis, lancetta, eodem modo, eandem opem, puſis collecti evacuatione, dedit. Tertius caſus ita ſe habet: Virgo nobilis conqüerebatur, ſummo ſe dolore circa inguen ſinistrum affici, & lecto propterea affixa, urget a me remedia arthriticis malis dicata. Suasor eram viſitationis a ſeniori Chirurgo peragendæ, quo ſcirem, utrum ſimul Chirurgus in auxiliū vocandus eſſet, an non? Negabat id ipſum, tali in re nimis verecunda. Suadet ſibi ipſi, me invito, (quod eam noctesque diesque motibus febrilibus agitari vi- derem,) aquas Pyrmontanas, in arthritide multis, ceu aje- bat, magno cum emolumento expertas. Hæc aqua mine- ralis & hic, ea præcipue in ætate, emolumento eſſe potuiſ- fet,

set, si arthritis vera, non putatitia fuisset. Itaque sub harum potu ægre spiritum ducebatur, per diem noctemque cordalibus aliisque reficienda, macie tantum non conficiebatur, ac mens subinde sibi non constabat. Tandem, quæ Dei erat clementia, copiosissima sponte prorumpebat puris foetidissimi copia. Tum vero & externa & interna rite adhibuit remedia, manente satis diu febre hectica, carne ad os femoris, ulceroſo satis magno hiatu excavato, fere omni abſumta. Tandem valetudini restituta, sed multa non nisi ac perdifficili opera, adhuc post triennium in vivis est, belle se habens, ac bene incedens. Qui haud ita pridem accidit, quartus casus est. Virgo rustica, Chirurgum mihi amicum conveniens, de suræ summis doloribus per quatuordecim dies conqueritur. Hic audacia fere in temeritatem versa, applicat loco dolenti lapidem infernalem bona no-tæ, eum tamdiu relinquendo, donec ex altera parte iterum proruperit, omnem penetrando suræ carnem. Dolores illico remisere, pure quantumvis non conspicuo. Itaque ligaturam tam superiori, quam inferiori parti applicat, loco læso in medio relicto; unde factum est, ut statim pus pro-diret. Levi opera dein sanata est. Subinde, rarius quantumvis, curat temeritas, quæ non curavit ratio.

(*Fritzlaria Norimbergam missæ d. 30. Maii 1749.*)

## OBSERVATIO LXXVI.

Dn. D. JO. ADAMI RAYMANNI.

De

*Uteri ascite in gravidis minus, ac extra imprægnationem, noxio.*

Fœmina hujas ex præcipuis, materfamilias præter modum laboriosa & sollicita, major quadragenaria, corporis habitus mediocris, crebrisque puerperiis optato defuncta, mox a prima mensium, ex regula liberaliter atque large ( octiduum enim in illis exigere consueverat ) recurrentium emanfione, coloris vividi gratiam perdere, vultu palefescere, palpebris in somno subtumescere, pectore gravari & sub consensu acclivium, vel concitatori etiam gressu, dyspnœa tentari incipiebat. Mense altero omne corpus laxum & molle reddebat, extremaque artuum cœdema cum imi ventris in omnem dimensionem protuberantia molestoque simul ponderis in pube sensu, occupavit. His ergo, sibi alias prægnanti peregrinatis, perculsa symptomatibus hydropeaque metuens, præcipue ubi mense tertio cuncta ingravescerent, medicinam pro exturbando clam in uteri cavitate collecto menstruo sanguine postulavit efficacem, hunc enim suarum affectionum originem esse ex eo haud imprudenter conjiciebat, quod eundem graviditatis imposturam vicibus iteratis sibi fecisse meminerit. Quamvis autem his argumentis in suam fere, quod non dissimulo, me pertraxerit sententiam, præcocior namque imi ventris distensio semper aliquid monstri alit, fortemque fatui conceptus suspicionem ingerit, siquidem surgens ovuli german, recepto Naturæ ordine, adeo lentis passibus mole augescit, ut ante trimestre

temporis spatium nec uterum multum explicet, nec abdomen per eundem in omnem regionem attollat: Hippocraticæ tamen institutionis memor, quod mulier nec per occultas ejusmodi mensum in cavo uteri restagnationes, quas *Lib. I. de morb. mulierum p. 591. & de nat. pueri p. 246.* scite verbis depinxit, & scholæ olim *molas sanguineas* non sat tis concinne appellare consueverant, nec per larga & libera liora eorundem profluvia, nisi ætatis obstet ratio, sterilescat, sed potius conceptui magis reddatur idonea, Fabium cunctatorem tantisper, quoad nempe graviditatis litem motio foetus, circa dimidium gestationis solenniter incidens, dirimeret, agere malui, quam temere quicquam & tumultuarie in re ancipiti contra prudentiam Medici fuscipere. Proinde officio me satis defunctorum arbitrabar, si pleonexiam serofam per leniores catharses, in quibus mercurius, ob insipiditatem dulcis dictus, primas tenebat, pedetentim remove rem, visceribusque per tonica robur adderem: quæ indu striosa cunctatio, ut ægræ bene cessit, siquidem cacoxyliæ inde sensim disperebant indicia, & mulier hæc, quod primarium est, contra propriam suam exspectationem, foetum se gerere vitalem paulo post, saltu ejusdem, convincebatur manifesto; ita eadem mihi apud æquos rerum judices nec decori, nec probro erit: Medicorum enim quam plurimos in eo mecum convenire novi, quod, prout verum surgentium morborum discrimen multis est impeditum difficultatibus, ita graviditatem ineuntem prævidere & infallibiliter in casibus complicatis dijudicare aciem & vires perspicacissimi etiam ingenii excedat. Sagacissimus certe Medicinæ patens non erubuit *IV. Epid. Hist. 24.* confiteri, incertum sibi fuisse, an filia Tecomæi uterum gestare inciperet, nec sibi satis compertum fuisse, an soror Temenei, cui præcordia inflata & distenta ex longo apparuerant intervallo, simul prægnans esset, juxta *Hist. 28.* Quapropter gloriari se in præ-

præfagio & dignotione graviditatis inchoatae, priusquam videlicet suscitatus embryo animalem ex Naturæ præscripto ordiatur vitam, veritatemque ejus manifesto testatur subsultu, nec unquam hæsisse, nec hallucinatum fuisse, genuinum vel impudentis Thrasonis, vel imprudentis, ob praxin sterilem, Idiotæ characterem esse reproto.

Sed ut eo, unde deflexi, regrediar, interruptumque Historiæ perficiam filum, postquam mulier hæc gravidam se esse cognovisset, lubens ab omni ulteriore medicatione abstinuit, præsertim ubi pro ratione adolescentis fœtus in sanitate magis magisque proficeret. Circa mensem gestationis septimum turgescentibus, quæ haec tenus pendulæ fuerant, mammis, imus venter, quem recens calcitratio sensibilius jam pulsabat, improportionata justoque velociora consequebatur augmenta, hacque sua mole non gravis saltem incessui, sed spiritus etiam libertati offendiculo fuit, quæ tamen ubi consequo mense aquarum cumulus per muliebria confertim & acervatim, citra omnem doloris comitatum, vel præcurrentem violentiam, stanti ad mensam, prorupisset atque in pavimentum large diffluxisset, concidit tolerabiliorque evasit. Tandem completo ingravidationis termino puellam robustam & evsarcam, sub multo aquarum profluvio, feliciter enixa est, officiumque nutritionis non solum confidenter subiit, sed eo etiam impigre & salutariter in fessi qui alterum annum defuncta est, eoque comprobavit, se solius uteri culpa male adfectam fuisse, qui, utpote partim largioribus sive longiori tempore fluentibus mensibus, ut cum HIPPOCRATE loquar, qui eos hoc nomine Libro *de nat. pueri* accusat, partim frequentiore partu sub annorum incremento enervatus, dum se conceptu interveniente per lunare tributum exonerare impediretur, serositates in suam concavitatem per extrema vasorum oscula & plorabat, & sanguine hinc regurgitante universum corpus inundabat.

Quemadmodum ergo nimiis colliquescentes mensibus nihil imprægnatione citius, securius & una jucunde juvat, ita etiam mulieri huic ex uteri ascite periclitanti, concepisse, foetumque pertulisse saluti fult, quatenus incepsum seri diluvium, diminuta humorum exorbitantium copia, facto eorundem impendio in foetus incrementum, aquarumque, in quibus Naturæ lege fluctuat, augmentum, quodammodo interceptum, & quod princeps est, in uterum jam corrivatum, succrescente cum suis involucris novo hospite omnemque ejusdem vacuitatem occupante, ad cervicem depresso atque per hians, adulta pro more graviditate, osculum, accedente impetu pueri, ante partum exturbatum fuerit. Quibus opportunitatibus cum solitarius, absque foetus consortio, uteri hydrops destituatur, palam est, cur & magis contumax, & lethalis ut plurimum esse consueverit. Fuere equidem olim, qui ratiocinari magis, quid fieri possit, quam investigare quid re ipsa fiat, amantes, aquas in cavo uteri, nisi singularibus vesiculis, ceu totidem coërceantur utriculis, ut fit in mola vel hydrope uteri vesiculari, acervari & citra disfluxum ibidem restagnare, pro impossibili ex eo maxime decernebant, quod easdem pervio, pro sua opinione, ejusdem osculo non minus hinc, quam ex dolio aperturam habente vel dehiscente, disfluere oporteat, quos tamen *magnos*, ut cum CICERONE dicam, *Opinatores*, tempus, omnium explorator, & experientia, optima rerum magistra, abunde refellit: compertum enim est, eas non saltem in uteri cavitate, nisi regulariter debito tempore successuris mensibus, ut mulieri apud FERNELIUM, emoveantur, accumulari, sed & in ea perennare, imo, occallescente interea vel prorsus concrecente illius orificio, commori, ut SCHENKIUS, Tom. II. Lib. IV. Obs. med. 216. congestis plurium Medicorum testimoniiis, comprobat. Certe prout ischuriā, nimia vesicæ per urinarum congeriem distensione contorto ejus-

ejusdem meatu, gigni constat: ita etiam uterinæ colluvie excursum foras eadem modalitate præcludi rationi consonum erit. Licet autem vacui quoque a fœtu uteri ab inveterato aquarum confluxu interdum se exonerent, ut viduæ in *Annal. Wratislavienſ. Anni 1728. mens. Februar. p. 876.* conclamatæ salutis post decennium, dum ex lecto propriis viribus assurget, fallenteque vestigio in posteriora impetuose corrueret; virgini item in *Ephemer. N.C. Dec. III. Ann. V. Obs. 57.* post quindecennium, ubi prona in ventrem prætumidum supra lapides concidisset, rariori accidit exemplo; fortuitum tamen nec undique semper securum id est: vel enim paucis ab aquarum diffluvio diebus pereunt, vel morbi tandem recidiva succumbunt, quod utrumque periculum graviditas, uterino asciti juncto, plerumque arcet. Quapropter HIPPOCRATES conceptionem in hoc morbo pro probatissimo jure meritoque celebrat remedio, dum *Lib. IX. de morb. mulier. p. 612.* inquit: *Si mulier genituram comprehendenterit & prægnans fuerit, quæ etiam intus inerant una cum ipsis delata per inferiora expurgabuntur, eaque præcipue ratione convalescere poterit: ubi scilicet, ut id de nat. muliebri p. 577. dilucidat, pepererit expurgabitur, & cum ipso puerperii purgamento quæ prius in ea suberant.* Tempestivum autem, non abortivum eundem requirere partum ex *Lib. II. de morb. mulier. p. 664.* discimus, ait enim: *Si fœtum maturum perforat, tota expurgatur & sana redditur:* Nam si, priusquam moveatur, is corruptatur, & abortione, quod ut plurimum fit, rejiciatur, uteri sanguine & aqua diffundunt mulierque fere moritur, ut priori ex his prædicit loco. Quo scilicet trimestri recentior fuerit foetura, eo liquabili muco, vel lactis coagulo, magis, quam carni consolidæ est similior, atque utero insuper non nisi per chorii undique pululantes acinos muscosos, sive villos tenerimæ lanugini æmulos, leviter saltēm connectitur, quoad, succrescente &

compaginata placenta, altas & firmas in eundem radices agat; atque ea propter ut corruptioni, ita etiam per interluentes aquas eradicacioni abortuique intra hanc temporis mensuram magis, quam postea, obnoxia redditur. Cumque omnes promiscue abortientes, propter immodicas & rebelles haemorrhagias, in praecips magis vitae periculum, quam graviditatis emensa periodo parturientes, communiter veniant, mirandum haud est, illas hoc casu in specie sanguine & aqua diffluere, imo plerumque mori, has vero senescere; sub decursu namque completæ gestationis, uteri, ceu multum uberiori sanguine irrigui, permeabiliores, calidores & valentiores, adeoque renitentiores, ac alias, evadunt, sicque non moderandis saltem puerperii purgamentis sufficiunt, sed se etiam a metuendo interdum ulteriori diluvio securos & immunes reddunt. Postremo Senis nostri in præfigiendo prudentia laude digna est, dum non absolute convallituras esse, sed tradita præcipue ratione convalescere posse ejusmodi mulieres, dixit; est enim, ubi confecto etiam partu, quamvis rarius, per morbi recidivam Libilitæ, PRIMERO-SIO teste, in prædam cedant.

Hæc inter porro in quæstionem venit, utrum ætate non obstante, utero hydropico concipiendi superstes maneat potestas? in negativam HIPPOCRATEM inclinare sententiam, inter alia exinde convincor, quod non nisi emollito per vacuationem aquarum ventre, conquiescentibus, si quæ intervenerint, febribus, & mensibus pro ratione prodeuntibus, mulieri cum viro dormire consulat, neque id immerito; auram namque genitalem ad ovarium per intermediate uteri colluviem penetrare ovulumque foecundare posse, vix a me, ut credam, impetro, quod licet contingere, traditum tamen per tubas utero, priusquam germinescat radicesque in hunc pro forbenda alimonia defigat, corruptum iri, multa persuadent: quare in nostra etiam ægra conceptionem anti-quio.

quiorem paulo hydropsis fuisse exordio, merito colligo. Quodsi quispiam me erroris diagnostici, qui in dijudicando uteri & abdominalis hydrope admodum facilis est, reum postularet, simultaneo & largo aquarum mensis octavi absolvor profluvio; hoc enim cum ex amnii utre provenire haud potuerit, quum nec puerperiales aquae defecerint, nec foetui, enixu ejusdem tam longe dilato, ullum accesserit, præjudicium, nemo etiam, nisi cui fungus pro cerebro forte obtigit, illud originem ex abdomine habuisse somniabit, necessarium est ipsius uteri eluvionem fuisse. Concludi equidem subinde intra amnum & chorium, vel hujus duplicaturam, ceu peculiari stagno, aquas, prout in peritonæo quoque fit, nequaquam dispuo, nec Viris longe me peritioribus prorsus refragari præsumo, qui præcoccia ejusmodi ante partum, innoxia tamen foeti profluvia, hinc derivant; laudabili enim industria D. NEIDT hanc eorundem detexit scaturiginem, dum in secundina mulieris aliquot ante partum hebdomadibus ejusmodi aquarum repentina & copioso profluxu tentatæ, exinanitam intra binas foetum cingentes tunicas, absoluto feliciter partu legitimo, cavitatem sat largam & longam, longiorem tamen quam largam, D. CRAMERO, ut ex ejusdem relatione *Commercium litterar. Norimbergense A. 1732. Hebdom. XXXVI. Artic. 3.* perhibet, demonstrasset; ex hac enim promanasse aquas admodum vero simile est. Verum cum eas in non gravidis ex uteri caverna immediate profluere certissimum sit, cur in gravidis alium, quam hunc fontem iisdem attribuere debeam, non capio, quem proinde non nisi rariorem & extraordinarium esse autumo. Quicquid interim sit, ex quo aquarum intra chorii duplicaturam collectiones præter Naturæ ordinem, publico Medicorum consensu, eveniant, competere illis ea propter non minus, quam si in uteri colligantur cavitate, *hydropsis* nomen, in aprico est, nisi forte sciolus quis-  
plain

piam verborum auceps & severus exactor, affectionem hanc potius *chorii*, quam uteri *hydropem* dici debere prætendat. In nostra ad minimum gravida, non ex illius lacuna, sed hujus potius antro, aquas promanasse, illud mihi si non demonstrativo, probabili tamen syllogismo est, quod primis mox a conceptu mensibus, ponderis in pube sensum experta fuerit; cum autem ovulum, ceu futuri hominis germen, hoc temporis intervallo magnitudine columbinum non excedat, fieri non potest, ut tantæ inter ejusdem membranas cumulentur aquæ, quantæ pro simili gravitatione requiruntur.

Prorumpere autem 2. 6. 8. vel pluribus etiam ante partum hebdomadibus consueverunt, raro præcocius, medio scilicet gestationis tempore, ut HARVÆUS observavit, vel quarto ejusdem mense, juxta MORISONIUM, quibusdam ad partum usque citra diffluxum, ut HILDANI uxori accidit, delitescunt, quam, ubi ventre adeo extumuisset monstrose, ut binos vel trinos fœtus eandem gestare cuncti arbitrarentur, & jam jam parturire inciperet, aquarum limpidissimarum & incruentarum plus 18. libris uno impetu primum, ac abhinc, postquam paululum interquievisset, puerperialium, una cum fœtu, ad libras novem profudisse, Cent. II. Obs. 56. ipse narrat. Familiariter vero exundaret profusione simultanea, rarius successiva & divisa, pedetentim scilicet per unam alteramque diem diffugientibus aquis, idque ut plurimum indolenter, aliquando tamen cum sociis abortumque minitantibus doloribus, fœtu interea salvo ad partum usque legitimum permanente, & sub tanta, secundinis ruptis, aquarum proluvie, quantam parturientes promiscue perpetiuntur, vitali & robusto prodeunte. Judicij ergo ecclipsin passus est VARANDÆUS, dum fœtum in utero hydropico perfectionem assequi posse negavit, sufficiens enim facti hujus apud DODONÆUM, SCHENKIUM,

PRI-

PRIMEROSIUM, SALMUTHUM, HARVÆUM, MORISONIUM, &c, ut plures taceam, in *Ephemerid. N. C. Dec. II. Ann. VIII. Obs. 165.* prostant documenta, quibus hancce meam observatiunculam, velut superflue adtexere volui, neque mirandum est, foetum suis utpote involucris & singularris præmunitum aquis, in uteri colluvie, non saltem permaturessere, sed etiam ex suo ergastulo in columem & robustum prodire, id quod HILDANUS inter alios testatur, qui filium suum a matre hydropica enixum, omnium liberorum suorum non saltem robustissimum, sed optimo etiam ingenio præditum fuisse deprehendit, quod & ego in filia nostræ hydropicæ pariter comperi.

Ceterum quoniam aquas hydropicas a puerperalibus non nisi ex eventu certo discernere licet, ideo cautionem & diligentiam adhibere oportet, ne ex quavis earundem apparitione partui jam sonuisse horam, eumque obstetricias despicere manus, præcipitanter censeamus; hoc enim ut Medico ignominiosum, ita gravidæ & foetui simul perniciosum foret. Providendum quoque est, ne fluctuantes in utero aquæ, motum foetus mentiendo, incautis mulierculis impellant, utpote quæ suis undecunque blandiuntur votis, ac quidvis in conceptæ spei alimoniam rapiunt, imo per earundem fassiones Medico quoque palpum obtrudunt, cuius fraudis jam HIPPOCRATES Lib. I. de morb. mulier. p. 613. mentionem fecit, dum inquit: *In ventre velut pueri motus sentietur, uteris nimirum aqua oppletis & ea in illis agitata;* cuiusmodi motus fuso deceptas fuisse turpiter ex utero hydropicas, dum loco sperati foetus aquas saltem excluserant, præter SCHENKIUM, MORISONIUS Lib. I. de morbis Gravid. Cap. 3. singulari docet exemplo. Sed nec illico de foetus vivi absentia longius, ac par est, saltu ejusdem emanente, sententiam ferre convenit, cumulum enim aquarum uterinarum aliquando sensum ejusdem manifestum matri in-

tercipere, *Observatio 74. Centur. III. Ephemerid. N.C.* persuadet, quæ utpote foeminam, suspectæ & dubiæ graviditatis, non nisi evacuata per uterus, incognitæ medicinæ beneficio, multa seroso-sanguinea nigricante & male olente colluvie, motum fœtus percepisse, & post sex hebdomadas puellum robustum (quod omnem suspicionem excludit, illum tam diu ob imbecillitatem, ut aliquando fit, a motu ferriatum fuisse) præter multorum exspectionem peperisse testatur.

(Eperieso Halam missa d. 21. Jun. 1749.)

## OBSERVATIO LXXVII.

Dn. D. JOANN. de GORTER.

De

*Sustentaculorum vario usu.*

*Definitio.* **O**mnibus fere partibus solidis mobilibus inest quædam contractio automatica, quæ in viventibus paulo validior deprehenditur, quam in cadaveribus, estque etiam in iis vitalis actio adcurtans, ut plurimum alterne agens & se dimittens, quam vocamus actionem vitalem si perpetuo agat per totum corpus; sed ex sola voluntate agens, ad motum animalem refertur; illa autem actio specialis in quibusdam partibus, ut in ventriculo, intestinis, hepatem, pulmenibus, ab earum partium motu distincta, a nobis ad actionem particularem refertur, de qua nuper egi in *Exercitatione medica quinta*. Hæ omnes reddunt fibras breviores, & adjuvantur externa sustentatione aëris. Impetu autem interno humorum distenduntur, ut inter causas adducentes & extendentes habeatur æquilibrium, ad conservandam vitam & sa-

& sanitatem necessarium. Quæ auxilia hanc nimiam distensionem cohibent, vel factam adducunt, *Sustentacula* merentur appellari, quamdiu non omnino impediunt dilatationem vel elongationem per causam internam faciendam, & non suffocant motum vitalem cooperantem. Tam valida enim sustentatio ad compressionem referenda esset.

Sustentantia ergo adjuvant esse & tamen, qui proveniunt ex *Effectu*, fibrarum contractilitate automatica, motu vitali, animali & particulari; & cohibent nimiam distensionem a causa interna inductam. Quæ autem partes *distendente elastica potentia* donatae sunt, ut *nervi, cartilagines, umbilicalis funiculus, pulmo*, a sustentantibus in actione sua impediuntur: his enim sufficiens inhibetur dilatatio, quod in partibus contractilibus non erat verendum.

Hinc patet, non omnibus in partibus sustentantia eundem usum præbere: *arteriae* enim & *venæ*, tam cruentæ, quam lymphaticæ, quæ lateribus contractilibus constant, motuque vitali in suis fibris contrahuntur, sed implente sanguine dilatantur, ut plurimum atonia & debiliore actione laborantes, vel externo sustentaculo privatæ, aut impedito redditu humorum distentæ, addita sustentatione externa non solum juyantur in contractilitate automatica, verum etiam eorum motus vitalis magis agere potest in contentos humores, minoremque copiam humoris hæc vasa in se colligunt, atque susceptos propellere valent. Si vero *vena cruenta* sola, vel *vas lymphaticum* alicujus partis sustentetur, intacta, vel minus pressa, ejusdem partis arteria, pars ab implente arteria ultra modum distenditur: quare in sustentatione alicujus partis, si scopus est augere eorum vasorum actionem, & cohibere istius partis intumescientiam, omnes venæ istius partis modice sunt sustentandæ, ne sustentaculum mala compressionis vel ligationis producat. *Tunica cellulosa* admodum dilatabilis, fibris constans exilissimis, vix aliqua actione

contractili vel vitali præditis, a partibus ambientibus sustentata, frequentissime ob sustentaculi defectum vel redditum humoris impeditum, ultra modum distenditur, humoresque in se colligit, quod egregie prævenitur æquabili & modica externa sustentatione: humores autem in ea collecti, quia stagnando sœpe concrescunt, non tam facile extruduntur, quam eorum prævenitur collectio: unde in his adhibenda sustentacula, antequam collecti fuere humores, vel plane in principio collectionis.

*Particula-  
ribus.*

In capititis morbis non multum juvant sustentantia, quia partes encephali ossibus duris calvariæ firmatæ sunt, & ob altiorem situm ad reliquum corpus, non facile caput tumet, ex gravitate humoris incumbentis. *Hydrocephalus* perfectus sanatur discutientibus & roborantibus, quam sustentantibus, quibus potius comprimerentur partes encephali, & caput tumens, ob impeditum sanguinis redditum per jugulares, in angina & reliquis collitumoribus ablatione prementis est curandum, non vero externo sustentaculo capitis. Si vero portio cranii sit sublata, quando semper exspectamus cerebri fungum, omittenda non est sustentatio, præveniens illam excrecentiam; nam si facta fuit, maxima restat difficultas: Sustentatio enim tam valida, quæ abigeret fungum, induceret soporem, apoplexiā, vel syncopen, partein vero prominentem sectione tollere, non caret periculo. Quia ergo semper talis generatur fungus, prudentis Medici & Chirurgi est, protinus applicare sustentaculum, ne excrecentia fiat. *Pectus*, quia est organum elasticum dilatabile, ejus actio in thorace sustentato magis impeditur, quamvis mulierculæ proprium suum & infantum pectus, ad conservandam sanitatem, Thorace valide sustentant & comprimunt. Omnes enim partes elasticæ extensiles sustentatione externa agere impediuntur, quia sustentatio expansioni est contraria. Magis igitur sanitati conduceret liberum relinquere pectus, ejusque

que automaticam dilatationem nunquam impedire damno-  
sis Thoracibus. In abdomen alia omnino est ratio , ejus  
enim musculi ambientes omnes contractilitate sua atque mo-  
tu vitali comprimunt contenta viscera. Experimenta do-  
cent, in abdominis vulneribus, quibus tollitur hæc susten-  
tatio, cavitates *intestinorum* humoribus impleri & turgere ,  
atque intestina tunc se exonerare non posse in vasa lactea ,  
vel in venas meseraicas ; adhibito autem sustentaculo modi-  
co, intestina iterum depletæ. Quod etiam verum est inpuer-  
perarum utero a fœtu liberato : Musculi enim ante partum  
admodum prolongati, statim a partu se tantum adcurtare ne-  
queunt, ut debitam utero præbeant sustentationem ; quare  
in uteri cavitate , ut observatum fuit in intestinis, colligitur  
sanguis nimia quantitate , qui deinceps plerumque congru-  
matus cum puerperæ detimento ejicitur , de quo infra am-  
plius. *Umbilicus* etiam & *inguina* , quia a peritonæo &  
musculis abdominis minus sunt firmata, utiliter suffulciun-  
tur ad præveniendas hernias. *Inguina* autem virorum ,  
transmittentia vasa spermatica , validiorem sustentationem  
seu compressionem non admittunt. *Scrotum*, cuius fibræ  
vix tonum habent, modica sustentatione sæpe eget. Tan-  
dem *hypochondria*, quæ ad impediendum uteri adscensum  
mulierculis ut plurimum arête cinguntur, validiore com-  
pressione omnem fere sanguinem in vena portarum, reli-  
quisque uteri & abdominis vasis, cum maximo sanitatis de-  
trimento, inferunt : arteria enim aorta latens, magna sua vi-  
pellente deorsum ducit sanguinem, sed vena cava hoc cinc-  
guo compressa, sanguinis redditum remoratur , & quoniam  
abdomen reliquum non est sustentatum, in hujus vasis ma-  
xime venosis magna sanguinis copia colligitur, qui ibidem  
stagnans, vel lentius commotus lentescit aut concrescit, vel  
in foemini lochiorum aut mensium nomine erumpit.

*Fœtus*, quamdiu membranis integris in utero contine- *Infante.*  
Rr 3 tur,

tur, toto corpore premitur non solum ab ambiente liquore, sed & contractione uteri & muscularum abdominalium: ejus insuper intestinum colon meconio est oppletum, atque dia phragma ita sursum ductum, ut pulmo in cavitate pectoris, instar hepatis, aqua sit ponderosior, nihilque aëris contineat. Statim vero ac in lucem prodiit, venter liberatus ab illa externa sustentatione, magis tumere incipit, pectus sua elasticitate se expandit, & quoniam conceditur via per tracheam pro aëris introitu, pulmo impletur aëre, mole augetur, atque diaphragma descendit seu complanatur. Ut igitur *meconium* in colo collectum reddatur, non solum requiri tur hujus intestini actio, quæ ante & statim post partum non multum differt, verum etiam diaphragmatis descensus, magis urgens viscera ventris, modo abdominales musculi satis suffulti sint, extrudit meconium, toto gestationis tempore collectum. Non raro autem hi musculi, externo sustentaculo privati, tantum prolongantur, ut intestinum colon post partum descensu diaphragmatis non magis, quam ante partum, comprimatur, unde infans non valet, deficiente cau sa viscera abdominalia premente, meconium reddere, quod ita retentum sensim fit tenacius, &, quia accedit etiam aér, incipit corrumpi & acre fieri: aut quando quædam ejus portio fuerit ejecta, residuum retinetur, quia abdominales musculi tantum se contrahere nequeunt, ut omne meconium extrudatur; dum enim quædam portio meconii est ejecta, diaphragmatis descensus non majus spatium ventris occupat, quam concessum fuit emissione portionis meconii. Omne igitur meconium, vel ejus portio retenta, multa mala postea infert, quæ non raro infanti mortem inferunt, primis a partu diebus. Frequentissima in hoc malo auxilia sunt, oleum amygdalarum dulcium vel olivarum, ad lenienda ventris tormenta: aliæ autem mulierculæ majorem fidem habent pulveribus terrestribus simplicibus, vel compositis, ex Per lis,

lis, lapide de Goa cum foliis auri & argenti; sic pulvis Marchionis, & similia speciosa nomina, censentur omnes morbos infantum abigere posse & vitam conservare; hæc si non juvant, fato inevitabili mortem adscribunt. Si vero penderetur, istos mōrbos oriri deficiente sustentatione abdominis, qua exonerari non potest meconium, quod retentum & dein corruptum dictos morbos infert, certe non exhibuissent olea tonum laxantia, utpote quæ etiam in loco illo calido brevi contrahunt rancorem; neque darent pulv̄eres acidum absorbentes, quod tunc nullum est in infantis ventriculo & intestinis, qui adhuc nulla adsumit acescentia, & qui pulv̄eres meconio misti majorem spissitudinem conciliarent; sed æquabili sustentaculo fulcirent totum abdomen, quod promoveret meconii expulsionem; aut darent infanti colostrum matris, blanide purgans, aut in hujus defectu aliquid de infusione rhabarbari cum sale polychresto, aut de Syrupo blande purgante, in tam parva cōpia sæpius repetita, donec meconium, & deiri bilis flava tenax evacuata fuerit. Non solum ventris sustentatio hac in re infantibus tantum auxilium præber, ut nunquam sit negligenda, verum etiam alia quoque mala avertit, quibus infantes obnoxii sunt, nempe umbilici prominentiam & herniam; locus enim hic non satis a natura firmatus, ut plurimum, nisi sustentaculo præveniatur, exomphalon generat. Nemo igitur inficias ire poterit, abdominis sustentationem infantibus fore utilissimam ad conservandam sanitatem & vitam, multaque mala præcavenda.

Neque in *gravidis* quibuscum abdominis sustentatio est *Gravidis* repudianda: quædam enim tam laxum & propendulum habent abdomen, ut foetus, supra marginem ossis pubis locatus, difficilem admodum partum præfagiat, qui partus difficilis præveniretur, si abdominis inferior pars cingulo sustentata fuisset. Aliæ iterum foeminæ, maxime post partum fre-

frequentiorem, tanta atonia in muscularibus abdominalibus laborant, ut uteri vasa minus suffulta nimis magnam sanguinis copiam in se colligant, quæ vasa implet; grida dein facta foemina dum cedere coguntur, contentum sanguinem in uteri cavitatem conantur evacuare, qua non raro detruditur placenta, & concitatur abortus, cum ingenti sanguinis profusione. Non ignoro, repetita venæ sectione hujusmodi abortum præcaveri, sed quia hac sanguinis missione potius massa totius corporis minuitur, quam deplentur uteri vasa, defectu sustentaculi turgentia phlebotomia saepius bonum suum effectum non obtinuit, & tunc præcipue, quando ad impediendum, ut ajunt, uteri adscensum arcte stringuntur hypochondria, quo impeditur sanguinis reditus per venam cavam sursum versus cor. Si vero adhiberetur æqualis abdominis, a pube paulo supra umbilicum, sustentatio, hujusmodi abortus saepè prævenirentur, quod experimentis practicis comprobatum vidi: hæc autem sustentatio, si non sufficiat in plethoricis foeminis, quæque statutis temporibus magnam copiam sanguinis per menstrua emittere adsuetæ sunt, utiliter etiam institui potest phlebotomia, imo repeti, si requiritur: hæc enim sanguinis missio minoris est periculi ad producendum abortum, quam naturalis menstruatio in quibusdam foeminis gravidis, quum menstruatio hæc, etiamsi fiat ex vaginæ vel etiam uteri vasis, quibus non adhaeret placenta, multo magis uterum in consensu trahat, quam venæ sectio in pede vel brachio, ad contentum fœtum immaturum excludendum, minusque adhaerentem placentam detrudendam.

*Parturientibus.  
tibus.*

In parturientibus foeminis non solum magnum solamen, verum etiam partum faciliorem per hanc abdominalis sustentationem observavi. Quando enim fœtus extensis pedibus exitum molitur, si uteri os nimis contractum manet, ingens tumor abdominalis, cum multo dolore, non raro obser-

observatur, qui parturientibus magnum dolorem infert, sine parturiendi spe: frustra enim conatur foetus vivens extensis pedibus moliri exclusionem, quoniam abdomen cedens omnem adimet vim pressionis ad uteri os, dum deinde sustentaculo ad pedes foetus, omnis ille conatus ad uteri os illuditur. Si vero illa abdominis pars, quam detrudit foetus extum moliens, fuisset suffulta & cedere non potuisset, omnis actio foetus in uteri os applicata superasset ejus orificii contractionem, & excluderetur foetus. Hoc felici cum effectu, monitu meo, in parturientibus observavi, applicata manu supra intumescentem abdominis partem, qua impediebatur illa extensio in parturiendi conatu: Sentiebant enim inde parturientes statim solamen doloris, & foetus facile excludebatur, in quo casu verebar uteri ruptionem a vehementi foetus robustioris extensione. Monui igitur omnes obstetrices, si inveniant in parturientibus abdomen ab inclusu foetu sursum protendi & tumere, ut manu sua vel adstantium eam partem sustentent. Quanti momenti sit haec sustentatio abdominis ad partum facilitandum, & levando dolores, sive ea fiat manibus, sive aliis machinis, vix poterit aliquis, nisi expertus, credere. Quamobrem omnibus obstetricibus, quas docui obstetricandi artem, sedulo inculcavi, ut hoc observarent pro levamine parturientium.

Si statim post foetus exclusionem non sequitur placenta, *Placenta remanente*  
multa mala non solum mulierculæ, verum etiam Medici, præsagiunt, judicantes, malignum sanguinem, toto gestationis tempore collectum, in placentam concretum; evacuari debere; hic si non protinus reddatur, nescio quæ non mala præsagiunt creduli. Hinc omnes, quas vidi, obstetrices gloriantur, si statim post foetus exclusionem extrahere possint secundinas, se optime exercuisse suum negotium, & illas omnino reprobant, quæ statim placentam non extrahunt. Inde non raro adfui puerperis, ubi funiculus um-  
*Autor. Pb. M. Vol. IX.*      *Ss*      *bilica-*

bilicalis a secundinis fuit avulsus; aliis iterum, quibus totus uterus erat inversus; denique quibus plica vaginalis, imo totum perinæum fuit laceratum, aut quando educere non potuere obstetrices placentam, uteri os & forsati uterum ipsum duriori illa tractione ita irritarunt, ut, inflammatione superveniente, postea placentam excludere non potuerit. Hoc quoque celeberrimus observans RUY SCHIUS, monuit, in libro *de musculo novo invento in fundo uteri*, placentam potius esse relinquendam, si non satis facile sequatur, statuitque hunc novum musculum placentam extrudere posse. Non inficiar, fibras uteri contractiles depellere posse placentam, sed quando placenta non satis matura utero tenacius adhæret post fœtus exclusionem, qua amplissimum conceditur spatum, ut solam placentam relictam excludere valeant, nisi post unum alterumve diem, dum placenta aliquomodo putrescere incipit, unde vincula nebstentia extenuantur & solvuntur, ubi simul uteri fibræ hoc temporis lapsu magis magisque contractæ & breviores redditæ, eandem facile expellunt. Hoc igitur in casu, quando non prompte & sponte cum exiguo nixu excluditur placenta, monui obstetrices, relinquendam esse eandem, sed simul totum abdomen esse sustentandum lato quodam cingulo, & in macilentis applicato simul pulvinari molli ad abdomen. His peractis, ut puerpera deponatur in lectum, quia hac methodo externe sustentatur evacuatus venter, felicissime & sine dolore deinceps exclusit placentam: Uteri enim & muscularum abdominalium fibræ sustentatæ & adductæ multo majorem vim ad extrudendam placentam exercere possunt, quam si abdomen non fuisset hoc adminiculo suffultum. Hinc in tota mea praxi nunquam noxiū qualemcumque effectum ex relicta placenta observare potui, sed quando misera puerpera, durius & imprudenter ab imperita obstetrica tractata, fine hoc

hoc sustentaculo in lectum fuerat deposita, certe eo in casu multa mala observavi ex relicta tunc placenta nata, quæ tamen feliciter ut plurimum sanavi, applicato fomento ad abdomen cum simili leniori sustentaculo. Minime vero hic volo relinquendam esse placentam ab utero solutam, quod facile ex sanguinis effusione cognosci potest, sed quando utero adhaerens ejus adhuc vasa, lochia fundentia, obfessa tenet. Dum enim placenta non amplius admittit sanguinem ex utero venientem, hinc continuans in uteri vasis circulatio sensim adhaerentem placentam detrudit, quæ separatio redditur successive facilior, accedente putredine inter uterum vivo motu gaudentem, & placentam quasi mortuam. Aliam tunc objiciunt difficultatem, os nempe uteri a partu arcte ita contrahi, ut placenta excludi non possit: verum si uterus ejusque orificium rudiori tractatione non fuerit irritatum, tunc post partum ita nunquam clauditur, quin possit transmittere placentam, quum puerperæ fere omnes multos ac satis ingentes etiam reddant sanguinis grumos, qui excludi haud possent, nisi orificium uteri aperiretur. Quod autem placenta saepè retineatur in iis foeminis, quarum hypochondria cinguntur, non vero abdomen, non est mirandum, quia abdomen depletum & dein non sustentatum, contenta uteri extrudere non valet. Nihil ergo salubrius inventi potest pro parturientibus post enixum foetum, quam abdominalis sustentatio, sive placenta maneat adhuc inclusa, sive exclusa fuerit.

Quoniam in *Puerperis* post secundinarum exclusionem, *Puerperis.* lochiorum evacuatio modica fieri debet, uterus vero & abdominales musculi tam longo tempore extensi, subito ad debitam contractionem devenire nequeunt, atque vasa sanguifera, circa has partes haerentia, naturali sustentaculo fure re privata; hinc saepissime vel lochia subsistunt, contracto orificio uteri, vel nimis copiose profluunt, præcipue si tunc

simul stringuntur hypochondria, & puerpera erecta tene-  
tur aliquamdiu, quod multis frequenti est usu, ut demon-  
strent, puerperam valere, & obstetricem suum opus bene  
absolvisse. Miserrima de hinc puerpera incidit in validos  
ventris dolores, cum lochiis suppressis vel profluentibus;  
dein vero febricitare incipit, funditque lochia foetentia,  
quæ omnia ut plurimum ex sustentationis defectu proflu-  
unt. Nam uteri vasa, circa finem gestationis sanguine tur-  
gentia, subito in partu omni sustentaculo privata, magnum  
in modum implentur, & quoniam externe non sustentantur,  
ideo magis magisque turgent, & ob hanc distensionem,  
quod quoque in herniis, varicibus, anevrismatibus, ventri-  
culo & vesica turgescentibus, experimur, hæ partes dole-  
re incipiunt, unde generantur illi post partum dolores, qui-  
bus toties vexantur puerperæ, quosque frustra adsumto oleo  
amygdalarum, & remedio carminativis, vel antihystericis,  
lenire satagunt multi, qui tamen omnes facilime præve-  
nirentur (quod multis experimentis compertus sum,) susten-  
tatione facta abdominis. Hoc sancte adfirmare possum, me  
in initiosis praxeos meæ frusta fæpe solitis usum fuisse medi-  
camentis, ad dolores puerperarum leniendos: postquam  
vero cingulum hocce sustentans commendavi & adhibui,  
alia non amplius, pro obtinendo hoc scopo, a me desidera-  
bantur remedii. Serio igitur monendas judico omnes puer-  
peras, ut statim a partu abdomen suum sedulo suffulcent,  
utpote quo auxilio certissime evitabunt hos dolores mole-  
stissimos & satis pertinaces, sed cane & angue magis evitent  
damnosam hypochondriorum constrictiōnem, omnibus fe-  
re obstetricibus familiarem: quo enim arctius cinguntur hy-  
pochondria, eo magis impedietur sanguinis redditus per  
venam cavam, eoque copiosius hæc vasa, in cavo abdo-  
minis hærentia, sanguine irpletuntur. Quia vero san-  
guis stagnans in amplissimis his vasis sponte facile concrescit  
in

in grumos, hinc præter dictos dolores, plura alia succedunt mala: nam grimus vasa uteri implens omnem lochiorum evacuationem suppressit, unde ex concreto sanguine, & sensim magis turgescientibus vasis, fit doloris incrementum. Post satis longam moram sanguis corrupti incipit in loco illo calido & humido; portio vero ejus venis tradita & massæ circulanti mista, febrem putridam & hecticam excitat, qua complures moriuntur puerperæ, vel admodum pallescentes, sudantes, summeque debilitatæ eluctantur, degentes vitam longo tempore valetudinariam. Alia pars in cavum uteri deposita præbet lochia fœtentia. Remanens pars sensim magis corrupta, uterum & vaginam exulcerat. Cuncta hæc mala præcaveri potuissent, mature adhibito sustentaculo abdominalis, priusquam sanguis, in vasis dilatatis stagnans, concreverit: nam si sero adhibetur sustentaculum, tunc sanguinem concretum, in uteri vasis hærentem solvere aut evacuare non valet; quare omnis cunctatio periculosa est. Si autem concretio iam sit facta, tunc tamen magis conductit eo etiam tempore uti sustentaculo, quam istud omnino negligere: Experientia enim docuit, & rationibus confirmatum est, sanguinem grumosum & dein corruptum melius omnino sub nomine lochiorum fœtentium evacuari, quam si toto tempore nullum sustentaculum fuisset adhibutum. Neglecto usu hujus sustentaculi, etiam colligitur sanguis lochiorum in cavo uteri, unde postea grumosus interdum emittitur. Uterus enim laxus cum orificio constricto in se colligit sanguinem, & quoniam non satis se contrahe-re potest, neque adducitur compressione muscularum abdominalium, hinc collectus & stagnans sanguis concrescit, qui postea dilatato orificio emittitur, unde ab hac retentione minus periculi est peritemscendum, quam a sanguine in vasis uteri concreto. Deficiente hac sustentatione, cum uteri ore clauso, puerpera non valet effusum & in utero con-

cretum sanguinem expellere, quæ causa frequentissima est subsequentis lochiorum suppressionis, etiam post naturalem partum. Hoc in casu si simul stringuntur hypochondria, adeoque sanguinis reditus per venam cavam ex uteri vasis impeditur, utique sanguinis collectio in cavo uteri inde redditur major, quæ omnia mala averterentur, satis mature adhibito sustentaculo. Non satis ergo potest inculcari usus sustentaculi pro toto abdomine in puerperis, quod tamen ita negligitur a multis, qui hypochondria tantum cingenda præcipiunt.

*Menstruan-  
tibus.*

*Menstruantes* foeminæ multa sæpe patiuntur symptoma a sanguine in uteri vasis contento, quem nequeunt sufficiente abdominalium musculorum contractione in cavyum uteri exonerare. Uterus ita affectus reliquas partes in consensu trahit, & suffocationem spasmodicam uterinam inducit, quam convulsionis, seu spasmi propagationem, fistunt mulierculæ arcte constrictis hypochondriis, eodem modo, ut fieri solet in spasmis membrorum, qui remittunt, valide ligato membro supra partem spasmo dolentem. Ne rediret idem spasmus, omni tempore gerunt mulieres hypochondria arcte constricta, quod ita est in consuetudine, ut foeminæ non audeant per momentum solvere vinculum hypochondria cingens. Has omnes foeminas valetudinarias vixisse passim observavi, tantamque fidem in hac constrictione locasse, ut nullo pretio vinculum solvere voluissent, quia experiebantur eo soluto statim se corripi suffocatione hysterica. Utinam hoc auxilii genus nunquam fuisse excoxitatum, quo urgetur fere omnis sanguis, ut in abdominis & uteri vasis colligatur, quod tamen solvere non possunt, quin statim spasmis quibusdam corripiantur. Tantum valet mala consuetudo, ut, si omittatur & in meliorem convertatur, corpus inde multa damna percipiat. Hoc etiam experiuntur ebriosi, qui si a spirituosis abstinent, statim red-

dun-

duntur debiles & tremuli, unde tamen nemo inferet, abusum spirituosorum conducere sanitati conservandæ, quin potius Medicus prudens præciperet, sensim esse desuescendum, quoniam longo tempore adquisita consuetudo mala, non sine periculo subito omittitur. Videri potest nostra *Medicina Hippocratica*, Aphor. 75. & 76. Si ergo foemina huic malæ consuetudini indulxit, sensim laxius stringenda sunt hypochondria, sed reliquum simul abdomen æquali sustentaculo est fulciendum, quo facto expertus sum, successive evanuisse symptomata molesta menstruantium, & in ordinem rediisse ipsam excretionem menstruam.

(*Harderovico Norimbergam missa d. 10. Julii 1749.*)

### *OBSERVATIO LXXVIII.*

Dn. D. JOANN. FRIDER. FÜRSTENAU.

*Empyema, naturæ ductu, congruis præsidii chirurgicis persanatum.*

Præsens, quem jam proponere animus est, casus medico-chirurgicus, si quid video, ita est comparatus, ut inter alia scientiæ anatomicæ & chirurgicæ non minus utilitatem, quam necessitatem in Medicina feliciter facienda non solum sole clarus ostendat, sed etiam quando, & qua ratione naturæ ductus sequendus & imitandus sit, interitis quasi dignis monstrare videatur.

Quinque nimirum annorum puer, a prima nativitate pectoris oppletione, tussi, ronchis, motibus epilepticis, aliisque mali moris symptomatibus laboraverat; accedens autem capit is Tinea, cum insigni foetore, & humorum corruptorum & putrescentium evacuatione conjuncta, haud leve

leve inde sentit levamen. Mater vero hujus pertæsa molestiæ & noxæ, quæ exinde possit oriri, inscia, medicamentis evporistis vulgo diëtis, butyro nimirum non salito, aliisque pinguibus & obstruentibus, nullo habito ad internam humorum correctionem, derivationem & evacuationem respectu filioli inunxit caput. Voti quoque compos fuit facta, cute capillata in capite mox plane exsiccata, remanentibus saltē crustis & escharis crassis pariter ac duris. Aſt paucō temporis ſpatio interjeſto puer pectore iterum cœpit laborare: Prævio enim horrore corripiebatur æſtu, siti, anxietate, spirandi difficultate summa, aliisque symptomatibus, inflammationem pectoris internam indicantibus. In consilium vocatus, nihil feci reliqui, quod ad debellandum sanitati & vitæ tam infenſum hostem aliquo modo ſpectare videbatur. Nitrum nimirum depuratum, cum camphora & aliis temperantibus & bezoardicis fixioribus remixtum, neque minus potiunculas ex aquis adpropriatis cum oxy-melle squillitico, ſyrupo de jujubis, & de manna concinnatas, aliaque huic morbo dicata & congrua præſcripti remedii. Morbus quoque ſenſim ſine ſenſu, plerisque symptomatibus mitigatis, non ſolum imminutus, ſed & plane fugatus videbatur. Cum autem nulla *κρίσις*, ſeu morbi ſolutio, neque per hæmorrhagiam, neque per ſudorem, alvum aut urinam, erat observata, ſicque inflammatio absque signis bonis & peccantis materiæ excretione ceſſaverat; æger quoque obambulando ſinistrum humerum in altum elevaret, & quaſi gibbosus adpareret, nihil inde boni ominatus ſum. Paren- tibus itaque ut in medicamentis laxantibus, diureticis, hæ- mocatharticis forma varia a me præſcriptis ſedulo perge- rent, inculcavi. Neceſſarium, quod incidebat, iter aliquot septimanarum, impedimento erat, quo minus ægro nostro adiffe, eumque visitare poſſem. Redux autem factus & ſex circiter septimanis præterlapsis in consilium iterum vocor;

acce-

accidenti itaque parentes maximo conquerebantur opere, quod ne micam quidem medicamentorum puerο instillare potuissent, hincque me absente omnia in pejus ruere cœpisse: Ingens enim tumor, duos robusti viri magnitudine superans pugnos, sensim sinistram occupaverat mamillam, quem diversis cum jam monstrassent Chirurgis, nullus tamen ejus curationem in se suscipere ausus fuerat. Erat autem tumor durus, lividus, immobilis, dolens, & vasis sanguiferis cæruleis repletissimus, ita ut facile terrorem cuiquam potuisset incutere. Febricula insuper, tussis, dolor, quietudo, aliaque symptomata puellum excruciant. Primo itaque facculos herbis resolventibus & emollientibus refertos, siccios, saepius calefactos & reiteratos, tumori imponere jussi. Interna autem medicamenta ob metum epilepsiae, parentes vi obtrudere recusabant. Quatuor sic diebus præterlapsis, tumor in parte sua inferiori paululum albicans mollisque fiebat, superior autem tumoris pars pristinam retinebat duritatem. Symptomata interim ingravescabant, ac diu noctuque urgebant, ita ut puellus, dolorum impatiens, ipse aliquoties a parente cultrum postularet rassorium, quo sibi tumorem resecare posset.

Inito itaque, cum Parente meo Venerando, consilio, eoque adstante, tumorem parte sua molliori & albicante lancetta majori, incisione transversa & lata (quam autem ob integumentorum communium crassitatem reiterare debebam) aperui, quo facto pus tenue, pauxillo sanguine remixtum, tanto impetu & tanta profusio copia, ut vestimentis meis totus fere conspurcarer, & brevissimo tempore mensura ferme materiae purulentæ profusio retinet, vixque tempus mihi superesset, tumore pannis obturato (ne nimia quantitas puris simul & semel evacuaretur) deligationis apparatus rite applicare. Post deligationem ægrum lecto imponere & cordalibus refocillare curavi. Sed duodecim

nondum præterlapsis horis, altero die summo mane accersor, quia materia purulenta tanta vi erumperet, ut omnia stragula, omnemque inundaret vestitum, unde Chirurgum nunc qui adsisteret mihi, & quæ ipsi jussa essent sedulo curaret, aecersi curavi. Deligatio bis in die instituebatur, tumorque sensim imminutus, trium septimanarum spatio, (cum in quavis deligatione ultra tres unciae purulentæ materiæ extillasset,) disparesbat. Aderat autem adhuc sinus, seu canalis versus sinistrum latus, trium digitorum latitudine sub integumentis communibus reptans. Hunc aliis subsidiis frustra tentatis lege artis dissecui. Optime sic omnia videbantur esse constituta; symptomata cessabant, neque ullum in actionibus vitalibus, naturalibus, & animalibus, vitium observari poterat; cessabat quoque pus, & plaga, instar vulneris recentis adparens, nullius videbatur momenti; ægrum itaque deserebam, & quæ ad conglutinanda ulceris labia pertinebant, Chirурgo committebam. Duo autem vix præteriere dies, cum Chirurgus animo valde turbato me conveniret, & quod in ultima deligatione ægro multum ejulante, vociferante, & corpusculum in varias regiones moveente, haud exigua puris quantitas per foraminulum, vix ac ne vix quidem percipiendum, extillasset, narraret, meumque consilium expeteret. In locum itaque adfectum de novo inquirens mediante sonda subtili, plura detegebam foraminula exigua, quibus turundulas immittere, sequenti autem die spongiam ceratam applicare jussi, unde ingens mox sequebatur canaliculorum dilatatio, præcipuus autem qui aderat ductus, sub musculo pectorali majori sese occultabat. Chirurgi, anatomiae & actionis muscularum ignari, consilium statim erat, transversim dictum dissecare musculum, sicque sinum sub eo latentem in apricum producere. Rejecto autem hoc consilio, cumque animadverterem, ductum hunc nullam fere amplius plorare materiam, neque externe quic-

quicquam p. n. percipi posse, sola compressione l. a. instituta ductum hunc ad consolidationem perducebam. In altero autem plagæ latere, versus sternum, alium observabam ductum vel sinum, oblique progradientem & in cavitatem pectoris penetrantem, qui quotidie multum puris, præcipue si æger valde clamaret, & corpusculum in omnem regionem moveret, eructabat. Huic ductui, prius spongia cerata dilatato, adproprietam injectionem ope syringæ curavi immittendam. Opportune ante breve tempus celeberr. Amstelodamensium Medicus, Joann. Daniel SCHLICHTINGIUS litteras ad me dederat humanissimas, in quibus inter alia, se annuo spatio Empyema in mediastino situm, per injectionem spiritus vini rectificatissimi, vel solius, vel cum pauxillo Essentiæ Myrrhæ remixti, curasse referebat. Hanc ergo injectionem, Chirurgo licet plus vice simplici contradicente (quippe qui suam potius ordinariam, ex aqua calcis vivæ &c. constantem, adhibere mallebat, in præsenti casu etiam experiri constituebam. Facta injectione æger ob dolorem, pedibus manibusque calcitrando, & fortiter in- & exspirando, purulentam in cavitate thoracis stagnantem materiam vi quasi exprimebat. Sibilus quoque pulmonum & vesicularum pulmonis introitus in aperturam ulceris manifeste observabatur. Chirurgus tandem laborum pertæsus, cum ultra quadrimestre curæ jam impendissimus, & ulcus in fistulam callosam degeneraturum extimesceret, nullaque sanationis spes ipsi superesse videretur, nova & ampla incisione ulcus, audaci sane conatu, dilatare, imo costas incidere volebat. Sed constanter, ne æger puellus tener, & a vi morbi debilitatus, in præsentissimum vitæ discrimen conciceretur, renui, cum vires, locus quoque, ob vasorum, nervorum & muscularum situm, ejusmodi dilatationem haud admittebat. Sedulo itaque & pertinaciter dictæ jam methodo insistere duxi **consultius**. Interne autem præter laxan-

laxantia grata ex resina Jalappæ in emulsionem l. a. redacta & edulcorata, nihil quicquam neque vi, neque verborum lenociniis adsumere volebat. Semestri itaque spatio præterlapso, aliquando cessante interdum materiæ purulentæ effluxu, spes sanationis mox mox futuræ adfulgebat. Hoc potissimum tunc observari poterat, cum capitis capillati superficies, tinea & ulcusculis manantibus maleque oientibus nonnunquam infestaretur; quibus vero sponte iterum exsiccatis, materia peccans, statim ex pectori iterum extum quærebat. Naturæ ductum & in hoc passu sequi admidum duxi proficuum. Chirurgo itaque, ut capiti emplastrum de betonica, cum pauxillo emplastri vesicatorii remixtum, per sex vel octo horas parti imponeret capillatae, injunxi; qui vero rem negligenter tractans non solum æquales dictorum emplastrorum partes summis, sed & me absente (cum peregre iter mihi faciendum erat) ultra 24. horas in capite reliquit. Primo itaque diluculo accersitus pullum fere exanimem & summis infestatum symptomatibus, inveni. Febris, sitis, calor maximus, stranguria, mictus cruentus, aliaque symptomata urgebant, imo convulsiorum mox mox futurarum indicia sese manifestabant. Remoto emplastro fumus foetidus, instar camini fumantis, spectaculo sane curioso, ex capite prodibat. Externe itaque vitis foliis applicatis, interne cordialia, analeptica, demulcentia varia grataque, præcipue autem emulsionis forma, præscribebam, quibus effeci, ut æger paucō temporis spatio iterum refocillaretur. Ab hoc tempore caput denuo ulcusculis foedari coepit, & quotidie haud levem puris quantitatē ploravit. Cum itaque injectionem in cavitatem pectoris sedulo continuarem, voti tandem trimestri spatio factus sum compos, & indefesso studio spe semel concepta haud excidi; ulcus enim tandem firmam atque perfectam admittebat consolidationem, quæ jam per integrum annum,

num, & quod excurrit, constans fuit, ita quidem ut cum puer a prima nativitate semper anhelosus fuerit, & pectoris infarctu, cum macie corporis, laboraverit, jam liberime respiret, obesus fiat, & athletice valeat.

Sistit hic casus iterum luculentum sene exemplum *metastasewę & autonpatēnę* naturæ, cuius Medicum interdum esse Ministrum, interdum Ministrum, & hæc docet observatio. Natura dux optima, nec facile errat, ipsius qui insistit vestigiis; illa flante prospere navigat, uti scite SENECA loquitur. Naturam sequentibus omnia facilia & expedita sunt, contra illam viventibus non alia vita est, quam contra aquam navigantibus, sicuti Nicol. TULPIUS *Obs. p. 67.* ratiocinatur.

(Rintelio Halam missa d. 29. Julii 1749.)

## OBSERVATIO LXXIX.

Dn. D. JOANN. BERN. de FISCHER.

De

*Krakatiza.*

Cum sub hujus anni initium primum meum pensum Academiæ illustri solverem, & in præmissis pollicerer, me debito pro studio annis sequentibus observatiunculas quasdam largiturum, non quidem mens fuit sub ejusdem hujus anni finem promissis stare, cum penit' ipsius primi impressionem nondum factam esse scirem. Inter primas tamen observationes illam, de Zoophyto marino caudato, Krakatiza vocato, communicare jam tum mecum constitui, cum in *Commenc. litter. Norimb. Ann. MDCCXL. Hebd. 23. pag. 180.* a celeb. BRÜCKMANNO communicatam ejus brevem descriptionem cum figura, sub animalis pelliti forma, of-

fenderem, simulque falsitatem ejus mirarer, & animadverterem. Interim non properandam esse hanc communicationem ex supra allegatis rationibus putabam. Nihilo minus, cum hoc ipso anno inciderem in *Collectiones œconomicas*, quæ Lipsiæ publicantur, sub titulo: *Leipziger Sammlungen von allerhand zum Land- und Stadt-Wirthschaftlichen Sc. Nachrichten*, & *Fascic. 26. 33. Sc. 34.* invenirem relationes quasdam de rege glirium, & recordarer, *Krakatizam* quondam regem glirium marinum oīo caudatum creditum fuisse, veritati nullas amplius ponere inducias, sed in historiæ naturalis commodum, quid sit *Krakatiza* docere statui. Quæ in allegatis fasciculis œconomicis hac de re exponuntur, coincidunt in glirium aliquot, caudis suis connexorum, inventam gregem; qualis oīo reperta esse dicitur & curiositatis gratia in aula Weissenfelsii depicta asservari, *Fascic. 33. p. 778.* asseritur, simulque hanc congregationem coitum pro fine habuisse putatur. Mitto hujus opinionis examen, nec non ejusdem, quæ, connexionem talem caudarum, glirium juniorum securiorem detentionem pro scopo habere supponit, ne prolixus sim; addo tamen aliam opinionem, an forsan hæc connexion glirium per caudas sonano vel languori hyemali faveat, cui glires per hyemem indulgere dicuntur, & foetui communi sic inferiat. Quicquid autem sit, tamen hæc glirium congregatio in caudatam societatem nullam speciem regiæ cujusdam figuræ indicat, cum præterea incognitum & inauditum sit, glires rempublicam vel imperium constituere, cui caput vel monarca præcesset, qualis in quibusdam animalibus præsumitur & dicitur. Gaudeant autem rege glires, certe *Krakatizæ* nomen ipsi non competit.

Præmittendam nunc censeo clariss. BRÜCKMANNI, ex loco supra citato petendam, recensionem, quæ in sequentibus consistit: „*Krakatiza animal est natatile, & incola Ponti*

„ Ponti Euxini, a nemine, quantum scio, haec tenus descrip-  
„ tum & delineatum. Hujus pellem detractam, & lana in-  
„ farcta expansam, Petropoli in Germaniam missam, sistit  
„ figura adjecta, in magnitudine naturali, quoad corpus, &  
„ octo caudas, accurate depicta, quam in ulteriore inqui-  
„ sitionem studiosis rerum naturalium propono. Vir iste  
„ Petropolitanus, qui istud animalculum transmisit, scien-  
„ tias autem naturales nunquam excoluit, sequentia tantum  
„ literis germanicis adjecit: *Krakatizza est piscis pretiosus,*  
„ *in mari nigro habitans, septem vel octo caudis, in cor-*  
„ *poris extremo, instructus.* Hujus animalculi marini tria  
„ exemplaria, tanquam donum peculiare, & rarissimum quid,  
„ ad Regni Cancellarium Principem de Cernasky, nec non  
„ ad Imperatricem glorioissimæ memoriae, superiori anno  
„ Petropolin translata sunt. Monstrum certe non est, ut  
„ quidam putarunt, hoc enim vel ex eo probari potest, quod  
„ tria ejusdem conditionis specimen hujus animalis, uno  
„ eodemque tempore Petropolin missa sunt. Num vero  
„ sit *piscis*, pro vero affirmare non audeo: ad *caput Me-*  
„ *dusæ*, maris Caspii incolam & multis caudis superbien-  
„ tem, pariter non pertinet; pellis intuitu potius ad *Lutras*  
„ vel *feles aquaticas* a me refertur, utpote cum quibus ali-  
„ qualem habet similitudinem, sed hoc assertum quoque  
„ conjectura tantum est; forsan alias, qui hanc figuram vi-  
„ det, factamque relationem brevem hanc, ut ut mancam,  
„ legit, meliora certioraque de hoc animalculo caudato, si-  
„ bi melius noto, cum orbe literario communicare pote-  
„ rit „.

Vidi itaque figuram, & recensionem, brevem quidem, sed non adeo mancam, quam falsam, legi, & meliora certio-  
ra que de *Krakatiza* communicabo. Notum tamen prius  
faciendum existimo, mihi, cum Petropoli non solum Imper-  
tricis ANNÆ, glorioissimæ memoriae, ad obitum us-  
que,

que, Personæ Medicus existerem, sed & áltero munere Archiatri, res medicas per Imperium dirigit, fungeret, quicquid rarioris rei ex triplici regno Naturæ, vel ad Imperatricem b. m. vel ad Principem Czernasky (male Cernasky) cuius favore semper gavisus sum, missum fuit, meis semper oculis gratiissime expositum fuisse, vel quicquid mihi a Chirurgis, Pharmacopœis, & Medicis ex dissitis locis, quoad res naturales, rarum missum fuit, eorum oculis semper exposuisse, nunquam autem tale animal, nec tales exuvias, quas a viro quodam Petropolitano missas clariss. BRÜCKMANNUS tenet, vidisse. Hoc equidem bene memini, clarissimum BRÜCKMANNUM anno 1739. & sequ. humanissimas ad me dedisse literas, & catalogo mediante, varias res naturales, & inter illas quoque *Krakatizam* & caudarum, glirium regem, Pontique Euxini incolam, sibi expetiisse; & quantum post incendium urbis, & simul Pharmacopolii Imperialis, in quo recondita habebam innumera Imperii Russici rariora, mihi licuit, ejus desiderio lubentissime satisfecisse, mittendo illas vel directe navibus Lubecam tendentibus, vel per ambages, Halam ad filium meum, tunc temporis ibi studiis incumbentem, ut cum Dn. D. BRÜCKMANNO illas communicaret, quod & factum esse novi. Recor-dor etiam optime, me celeb. BRÜCKMANNO in responsoriis notum fecisse, quod post multam inquisitionem nullam expiscari potuerim de *Krakatiza* notitiam, simulque recordor, illum in secundis literis, de vera existentia talis animalis, *Krakatiza* vocati, se certum esse, asseruisse.

Incidit tamen, ante discessum meum Petroburgo, qui sub anni 1742. initium contigit, forte fortuna mentio *Krakatizæ* apud Medicum quendam Græcum, jam ex rebushumanis exemtum, quo nomine auditio, an haberet vir mentionem faciens ejus notitiam, inquisivi. Quidni, respondebat: servamus enim illud inter cibos nostros jejunales; & ut

ut breviter dicam, sequente die dono mihi dabat conglobatam quandam cartilaginoso - coriaceam massam, addebatque, se tempore jejunii rigorosioris Ecclesiæ Græcanæ, (quod certe multum superat rigore illud Ecclesiæ latinæ jejunium) hanc *Krakatizam* macerare, a fordibus liberare, & facta quavis alia præparatione, admixto oleo & aceto, in cibum capere. Cum curiositas mea innotesceret circa *Krakatizam*, aliquot diebus adhuc elapsis aliam accepi dimidio fere majorem, & ad dimidium circiter explicatam *Krakatizam*. Mitto itaque in usum illustris Academiæ priorem, quo, si placuerit observationem hanc nostris inserere Aëtis physico-medicis, delineatio fiat per omnes ejus situs, ante explicationem, (quod Fig. I. Tab. IX. factum est,) & post explicationem, (sicuti Fig. I. Tab. X. eandem sistit) (\*), ut caudarum numerus & figura appareat: nec fugiet hoc modo delineatoris oculos parva illa, nigra cochlea superficie *Krakatizæ* inhærens. Quantum autem ex exemplari majori, quod mihi reservavi, jam fere toto extricato, conjecture licet, *Krakatiza* est insectum Zoophyton, cartilaginoso-coriaceum, planum, in octo extenuationes & extremitates resolutum, quarum extremitatum apicibus se ad virgulta marina, vel alia obvia solida, in littoribus Ponti Euxini, contine re dicitur, quando Pontus a procellis æstuantibus valide jactatur, non aliter, quam *caput Medusæ*, maris Atlantici (non maris Caspii, uti asserit clar. BRÜCKMANNUS) incolla, ad cuius genus certe *Krakatizam*, non vero ad illud

*Autor. Ph. M. Vol. IX.*

Uu

qua-

\*) Ubi simul *a* & *b* duo acetabula paulo majora, in brachiis hærentia, & exiguae quasi cucurbitulas repræsentantia, quibus sorbere solet hoc animal, denotant, alterum integrum, alterum per medietatem dissectum, quæ prævia maceratione brachiorum facillime separari & extrahi possunt.

quadrupedis caput lutrinum vel glirinum, pertinere judico \*\*). Vocem ipsam in nullis Lexicis græcis, ut tamen putaram, nec mentionem ejus apud ARISTOTELEM, aliasve græcos Auctores, inveni; forsitan, quod *Krakatiza* tunc temporis nondum inter edulia sumta fuerit: opinor itaque esse denominationem Tataricam vel Turcicam: nec est *Krakatiza* rarum quoddam insectum Ponti Euxini, sed sat copiose invenitur in ejus littoribus occidentalibus. Consideratu digna est ejus substantiæ crasis, quod, cum jam per septem annos illud possideam, nec nisi simplice charta testam servaverim, vermiculi nullatenus illud arroserint.

Exhibebatur mihi haud longo intervallo post aliud edulum jejunale, *Potarga* dictum, quod nihil aliud est, quam theca ovarii piscis marini, quem *Thymallum* esse opinatur ELSHOLTZIUS in Diætetico, quatuor pollices longa, & unum crassa, quod uti ovula Sturionis, *Caviar*, tempore jejunalis cibis aliis apponitur.

Condita itaque meliore quadam notitia de *Krakatiza*, quid de depictis, in loco supra citato, exuviis tenendum sit, facile liquet.



Cum supra mentionem fecerim muneris mei medici duplicitis, quo in aula Imperiali Russica functus sum, haud in-

---

\*\*) Exacta illa ad naturam diligentissime facta delineatio, quam Fig. 1. Tab. X. sistit, abunde satis monstrat, *Krakatizam* nil aliud esse, quam primam & secundam speciem Polyporum RONDELETII, quorum partem pronam, seu inferiorem, in iconе exhibet GESNERUS *Histor. animal. Lib. IV. pag. 739.*  
*Edit. Francof. de ann. 1604.* A. E. BüCHNER.

inconcinnum fore arbitror, ad historiæ medicæ hodiernæ notitiam, addere, in quo consistant hæc munera medica in Imperio Russico. Usitatissimus nunc est titulus *Archiatri*, illius Medici, qui Principis cuiusdam salutem tuetur, & cum sœpiissime Princeps plures Medicos in hunc finem stipendio donet, omnes appellantur Principis Medici, *Archiatri*, nempe Ἀρχάτροι τοῦ αὐχοντος. Aliter se autem res habet in Russia; ibi Princeps duos communiter pro salute sua tuenda Medicos stipendio alit, quorum alter primariam curam habet salutis Principis, & semi-germanico titulo vocatur *Leib-Medicus*; alter autem, si non unice, tamen primo, rerum medicarum curam gerit, quo res medicæ per totum Imperium bene & in publici commodum dirigantur; & ex hoc capite nuncupatur *Archiater*, primarius *Medicus*, *Premier Medicin*, pro usitatione gallica, origine vocis græcæ autem, αὐχός τῶν ἀρχῶν; eodem modo, quo etiam in Suecia senior aulæ Medicus & Præses Collegii Medici *Archiater* nuncupatur, & quidem olim solus hoc titulo; quorum nuperus, *Urbanus HIÆRNE*, grandævus factus, ob bene merita, aliquot annis ante obitum titulo *Gubernatoris*, *Lands-Høeffing*, ornabatur. Interim nec officium Medicci primarii, vel Archiatri Regis Galliæ, nec Regis Sueciæ, adeo amplio rerum circuitu circumscribitur, quoad res medicas dirigendas, quam Russiæ Archiater: hic enim auctoritate instructus est, Medicos, Chirurgos & Pharmacopœos, ubi desunt, vocandi, & salario ipsis, pro constituto modo, destinandi, imo distribuendi, simulque invigilandi, ut quilibet officia sua, quo locatus est loco, debite peragat. Hinc, simulac aliquis illorum in his peragendis deficit, querelæ contra illos moventur, ac Archiatro deferuntur a Præfectis supremis, vel Collegiis Imperii, quorum res medicas, secundum regulas præscriptas disponere & agere devincti sunt. Archiater eum in finem ex ærario ipsi concredito, plurimo-

rum Medicorum, Pharmacopœorum, & Chirurgorum; nec non Cancellariæ suæ ministrorum, salario disponit, ipsique pro certo modo, commendatione, meritoque, illa minuendi vel augendi potestatem habet.

Architatri præterea est, omnia a summo Imperante circa res medicas placita & jussa exsequi, quin Imperanti, quæ Imperii commodum ex fonte medico promovere possunt, propone. Hæc duo officia autem interdum uni eidemque Medico, sub duplici titulo, concredita sunt.

(*Petropoli Halam missa d. 9. Septembr. 1749.*)

### OBSERVATIO LXXX.

Dn. D. CHRISTIAN. FIDEJUST. SILBERSCHLAG.

De

*Fractura ossis femoris in extremitate superiori,  
sine violentia externa, absque membra motu  
& nullo diurno prægresso dolore  
facta.*

Parens beatus, *D. Joh. Casp. Silberschlag*, ultra dimidium seculum Physicus & Ohrdruffii Poliater, paucis ante obitum suum annis, quum ipse ego sedulam jam praxi navarem operam, sequentem notatu maxime dignum observavit casum: Pannificis cuiusdam Ohrdruffiensis vidua, 50. & quod excurrit, annorum, cancro mammarum per anni circiter quadrantem, non sine gravibus in pectori doloribus, decumbens, die 24. Januar. hora quarta pomeridiana drepente insigni quodam maximeque acuto in femore sinistro, ver-

versus inguina excurrente, corripitur dolore, alta voce simul clamitans: *Ach es will mir jemand mein Bein zerbrechen!* Filia, cum alia muliere in hypocausto tum temporis præsens, statim accurrit, pedemque arripiens fragorem audit, quasi radix quædam crassa, vel baculus, per medium diffringetur, (*als wenn man eine Rübe zerbräche*) eoque ipso pedem a consueta sua sede remotum pauloque incurvatum conspicit. Chirurgus statim accersitus fracturam, circa caput ossis femoris magnum, transversim factam, observat, decenterque deligat; ægra vero febre lenta superveniente & in hec tam transeunte, post aliquot hebdomadum intervallum tandem moritur.

## Scholium.

Circa hunc re vera admodum notabilem vixque ab aliis observatum casum sequentia in primis notanda mihi videntur momenta:

1) Licet fracturarum leví de causa factarum hinc inde adductæ ab Auctori bus deprehendantur observationes, veluti apud SCHENCKIUM rarar. *Observat. Lib. V. Obs. 7. 8. § 240.* HILDANUM *Chirurg. Cent. II. Obs. 66. § 68.* BLANCHARDUM *Anatom. pract. Obs. 4.*; tales tamen omnes exhibent saltem casus, ubi fracturæ non sine antegresso & per aliquot dies durante dolore, vel prægressa violentia aliqua, vel aliquali membra motu contigere, cum e contrario nulla hic contusio, nec distorsio, multo minus convulsiones, vel ulla, ne minima quidem, violentia præcesserit, siquidem. 2) huncce pedem per aliquod tempus immobilem ægra habuit, nec ullo modo, nisi filiae, vel alterius cujusdam personæ, adminiculo, movere, vel ex uno in alium locum repovere potuit; quemadmodum etiam 3) ægra ante fracturam per aliquot horas immota, pede in recta linea collocato, jacuit,

cuit, eundemque nemo ullo modo attigit ; neque 4) ægra eodem die ante fracturam extra lectum in alium transportata fuit locum, ipsaque 5) pedem dextrum, quem alias hinc inde mouere potuit, sinistro a se impositum fuisse negavit. Præterea 6) humorum acredinem, quæ in hacce paupercula & diætæ regulis parum obedientiæ, in primis ob cancri præsentiam, prorsus haud neganda, ansam huic fracturæ præbuisse , osque illud antea inde corrosum fuisse , propterea vix probabile videtur, quod nec ante , nec post meridiem dicti diei, neque per totum decubitus tempus , usque ad ipsum fracturæ momentum, ullum femoris dolorem ægra perceperit, nec tam sonorus, inter factam fracturam, exaudire fragor , multo minus tam acutus & maxime sensibilis in ipso fracturæ momento, dolor percipi potuerit, si os cariosum & fragile jam jam extitisset, unde potius illud adhuc solidum & firmum fuit æstimandum, dum 7) post mortem facta partis læsæ lustratio confirmavit, quod os femoris fractum satis adhuc durum, nec ullo modo corrosum , ipsaque fractura tam æqualis, ac si serra discissa fuerit. Vulgus conjiciebat culpam in supra naturales causas , & incantationem accusabat, ob suspicionem variam ; sed si neque violentia externa a contusione vel distorsione, neque notoria læsio interna ex ossis carie aut convulsionibus, in membro doloris hactenus experte , hic admittenda est, veram hinc physicam causam aliis sagacioribus & prudentioribus eruendam relinquo, dum verisimile mihi sane haud videtur, quod juxta aliorum sententiam, contractio in pede immobili spasmodicatam subito exoriri, ac simul os admodum durum , totiusque corporis crassissimum, ipso quasi momento frangere potuerit.

(Obrdruffio Halam missa d. 22. Septembr. 1749.)

OBSERVATIO LXXXI.

Dn. D. JOANN. MARTINI BREHM.

*Ossis femoris fractura obliqua letalis.*

Matrona honesta, uxor viri optime de republica meriti, annorum fere septuaginta, potui vini sublimati fere usque ad extreum vitæ halitum dedita, cachexia laborans, in area domus suæ ex improviso, cum eodem tempore fascem majorum clavium femori dextro annexam gestaret, super glaciem concidebat, resurgens autem scalam ascendebat inque hypocaustum suum se conferebat, in quo denuo corruerat, hocque facto de dolore femoris, latitudine unius manus supra genu, conquerebatur, subseguente dein & brevi post admodum invalescente tumore ingenti, maculis lividis cincto, in illa maxime regione, ubi claves adpensos gestaverat. Per integrum quidem mensem resolventia & discentia externa sedulo adhibebantur remedia, absque tamen ulla subsequuta tumoris diminutione, licet nullum interim amplius ægra sentiret dolorem. Tandem dum pedibus ea insistere tentabat, affrictum quendam insolitum (*ein.knorbeln*) in pede animadvertisit, nec tamen fundatum mali tunc perscrutari poterat, donec, elapsio iterum menstruo spatio, Medicus vocatus affrictum illum supra genu observaret & de fractura ossis femoris suspicionem moveret, unde Chirurgi simul adhibebatur opera, qui per integras tredecim hebdomades ferulas applicavit, methodoque consueta femur deligavit. Ast, primis tribus quatuorve hebdomadibus vix elapsis, statim tumor satis ingens edematosus femur ad extrema pedis usque, occupavit, ut idcirco tertio quolibet die, mediante leni scarificatione in femore instituta, serum ibidem collectum & stagnans educere co-  
gere.

geremur. De doloribus plane non conquerebatur per totum morbi tempus, uno saltem alterove die exceptis, in quibus vehementes punctiones, per totum femur excurrentes, se persentiscere adserebat, qui postmodum iterum evanuerunt. De reliquo omnia satis erant tolerabilia, siquidem nec inflammatio, nec suppuration, nec aliud quoddam fonticulum aderat symptomata. Adpetitus interim, qui jam antea quam maxime imminutus erat, nunc penitus prostratus adparebat, & unice saltem adhuc potu spiritus frumenti deletabatur ægra, eoque solo se conservari adserebat. Tandem superveniente hectica febre, viribus omnibus prorsus absuntis, placide extincta fuit.

Post mortem sectione in læsum, diffractum, tumidum, nodisque affectum hocce inquirebatur femur, eaque facta, deprehendebatur os ipsum femoris non ad amissim transverse, sed oblique diffractum esse, prout Fig. 4. Tab. IX. monstrat & ne vestigium quidem materiæ collectæ aut suppurationis, sed statim, incisione facta, solummodo nigri atque coagulati sanguinis grumi, pugni magnitudinem æquantes, qui circa poplitem subsederant, tanta in copia inveniebantur, ut olla, integrum capiens mensuram, iisdem repleta fuerit. Subter hunc sanguinem coagulatum ingens adhuc quantitas fibrillarum carnearum, ab acutis ossibus dilaceratarum & disceptarum, quæ in minimas partes diviso, divulso, lacerato, ac derafo panno, aut lignorum ramentis similes erant, & per acuminata & aspera hæc ossa de musculis, vasto interno, recto, gracili & semimembranoso, sensim attritæ & abrasæ fuerunt, ut nihil fere, præter tendines solos, ibi relictum comparuerit, qui absque dubio ob tenacitatem magis obliterunt, & idcirco quasi frusta, ovorum columbinorum magnitudinem superantia, repræsentarunt, atque cum supra memoratis fibrillis carneis dilaceratis nodosas illas protuberantias, in femore simul adparentes, formarunt.

marunt. Os ipsum femoris, cum medulla in illo contenta, nullam monstrabat corruptionem, aut qualemcunque cariem; nullæ etiam circa fracturam aderant festucæ, nec tamen (quod maxime mirandum) durante toto illo quadrimestri spatio qualecunque saltem initium coalescentiæ utrarumque extremitatum dehiscentium, mediante callo, factum erat, procul dubio ob humorum per nimium spiritus frumenti abusum inductam cacockymiam & plenarium gelatinosarum laudabilium partium, conglutinationem talem maxime perficientium, defectum.

### *OBSERVATIO LXXXII.*

Dn. D. JOANN. MARTIN. BREHM.

*Fætus octimestris, cum secundinis pinguedine ob-  
ductis, subnigrisque glandulis scirrhosis re-  
pletis, in lucem editus.*

**F**œmina, ferme quadragenaria, duobus circiter mensibus ante conceptionem hæmorrhagia uteri corripitur immodica, sub qua ingens sanguinis sinceri tam fluidi, quam coagulati, posteaque haud minor materiæ adeo fœtidæ copia per duas vel tres hebdomades e genitalibus prodiit, ut nec ipsa, nec adstantes, summam illam tolerare potuerint graveolentiam. Convenientibus tandem remediis mitigata hacce extraordinaria excretione, subssecutaque postinodium ingravidatione, primis ejusdem mensibus satis bene se se habuit, integro manente appetitu, somno, & reliquis functionibus naturalibus, unde etiam post quintum mensem, sumto prius laxante remedio, venæctionem præservatoriam in brachio instituit, felicem dein partum debito tempore expe-

&tans & exoptans. Ob crebriores autem & vehementiores iracundas animi commotiones procul dubio contingebat, ut octavo mense præmaturo partu, absque ullis doloribus fœtum excluderet, subsecente satis notabili quantitate nigerimi & satis spissi sanguinis. Fœtus ipse quoad externam formam perfectus & legitime constitutus erat, unico hoc excepto, quod os frontis a radice nasi, versus coronalem suturam, duorum circiter digitorum latitudine divisum apparet, & cavitatem quandam, intra quam pollex abscondi poterat, formaret, quæ cute saltem tegebatur, subjectumque & facile per eandem prominens includebat cerebrum. Tempora, frons & universa superior capitis peripheria, squamis ex rubro - albescientibus, lichenum, vel achorum ad instar, tecta erant, quæ procul dubio ex dyscrasia humorum matris, quam nimio ciborum acidorum & salitorum abusu, durante hac graviditate, sibi conciliaverat, ortum duxerunt, prout hoc exemplo non absimili probat GARMANNUS in *Epistolis*, Cent. III. Epist. 73. p. 308. Ceterum adeo macilentus erat hic fœtus, ut ossa sola fere cute tecta adparerent, quæ insimul adeo flaccida erat, ut facili negotio undiquaque complicari quasi & corrugari potuerit. Placenta vero uterina undiquaque duorum digitorum crassitie obducta erat pinguedine, simulque multis glandulis subnigris & scirrhosis hinc inde obsita deprehendebatur; unde facile adparet, quod, retentis sic & subsistentibus intrahanc partem utilissimis gelatinosis & oleosis massæ sanguineæ partibus, fœtui alias in nutrimentum & augmentum corporis cedentibus, necessario is adeo extenuari, & infecuta sic, ob atrophiam talem, præmatura morte, citius quoque ex utero materno exturbari debuerit.

(Smalcaldia Halam missæ d. 28. Septembr. 1749.)

## OBSERVATIO LXXXIII.

Dn. D. JOANN. CONRAD. TRUMPHII.

De

*Delirio ex Apoplexia orto.*

Febrem apoplexiæ supervenientem in bonis esse habendam, ab HIPPOCRATE jam dudum edocti sumus. Experientia hoc & in nostris terris confirmat, quamvis non semper motus febrilis stasi in cerebro resolvendæ sufficiat, præcipue si major jam jam adest fibrarum debilitas, adeoque etiam certa prædictio de recuperanda sanitate non ubique formari debeat. Supervenit vero etiam interdum apoplexiæ mentis emotio & delirium, quo in casu an sperandum sit, hoc pariter, uti febrem, dispidente gravi illo morbo, esse cessaturum, nondum sane certo constat; ad minimum certum est, in senibus rarius id contingere. Obtigit tamen mihi nuper exemplum, quod me edocuit, quandoque etiam senes iterum a tali delirio liberari. Virgo nempe septuageneraria, per plures annos haetenus tussi humida, cum difficiли respiratione laborans, tempestate mense Januario a. c. horrida magis redditâ, insolitam persentiscit debilitatem; expectoratio satis haetenus libera, cessat, succedit asthma & suffocatio, inclinatio in soporem, & brevi post apoplexia, cum paralysi linguæ, in hemiplegiam dein desinens. In consilium vocatus statim venæsectionem & vesicatorii applicacionem commendabam, quod utrumque tamen remedium ægra renuebat, & præter externa spirituosa fragrantia, pro o. doratu præscripta, sequentis tantum potionis duo vel tria cochlearia subinde assumebat: Rec. Aqu. Meliss. ʒij. aqu. flor. Paralys. Ceras, nigr. ana ʒij. aqu. antepil. Lang. ʒj. pulv.

Marchion. 3j. Nitr. dep. Elæofacch. Meliss. ana 38. spir. salis armon 3j. Syr. de Canela 38. M. D. ad Vitr. Postero die statim aderat febricula & delirium, quod sequente die magis adaugebatur, febrili interim motu iterum evanescente. Quarto demum die ita ingravescebat hocce delirium, ut vix quatuor adstantes ægrotam in lecto continere potuerint, dumque vesicatorium interim nuchæ erat applicatum, nunc quoque venæsectio in pede instituebatur & 3vij. sanguinis emittebantur, unde sequente nocte vehementia delirii quadtenuus imminuta deprehendebatur. Adsumferat hæcenus ægra nocturnis horis frequentius emulsionem ex amygd. dulc. & semine Papav. alb. paratam, cuius libræ j. nunc arcani duplic. 3ij. & Camphor. gr. iv. addebam, unde sexta nocte subinde per dimidiam vel integrum horam dormibat, & delirium magis adhuc remittebat, ita ut nono tandem die prorsus restituta iterum adparuerit, redeunte simul pristino asthmate, tuſli & expectoratione. Non tamen admodum diu durarunt hæ induciæ, siquidem tertio abhinc mense, ingravescente denuo priore debilitate, cum scriptioni ante adhuc vacasset, ex improviso recurrente apoplexia, subito extinta fuit.

### OBSERVATIO LXXXIV.

Dn. D. EBERHARD. FRIDER. BLANCHOT.

De

*Monstro singulari, sine collo & spinâ dorſi a  
meretrice prognato.*

**N**eque multitudo immensa, neque varietas innumera, monstrorum undiquaque fusius descriptorum, deterre

rere me potuit, quo minus aliquam ad minimum, de singulari hocce in confiniis nostris a meretrice in lucem edito monstroso foetu, suppeditarem notitiam, in primis cum is præ multis aliis hujus generis notatu magis dignus sit, & peculiarem quandam majorem sibi vindicare videatur attentionem. Anno nimirum 1744. d. 20. Octobr. in pago Reisten, ad Praefecturam Bebenhusanam speditante, infans monstruosus, masculini sexus, ex furtivo amore genitus, nascebatur mortuus, & legali sectioni, præsente Physico ordinario, Dn. Prof. Bacmeijero, a Chirurgo jurato, Reisero, subjiciebatur, in quo sequentia potissimum observabantur. Quoad magnitudinem & externam formam trunci artuumque nihil plane præternaturale conspicendum se obtulit; nullus enim excessus magnitudinis, vel etiam defectus notabatur, unquesque perfecti maturitatis & perfectionis totius corporis sufficiens præbebant testimonium. Quæ vero monstrum titulum huic infanti conciliabant, sequentia erant:

- 1) Colli defectus totalis ita ut mentum cum pectore in unum coiret, nullo adparente colli vestigio, neque ulla præsente vertebra colli, uti patet ex fig. 2. Tab. X.
- 2) Caput totum quantum adeo recurvum, ut planities frontis non in facie adpareret; os siquidem frontis, quod situs reliquarum partium indigitabat, ossis bregmatis locum occupabat, ac fontanella consequenter eo in loco demum adparebat, ubi naturaliter os occipitis per futuram lambdoidream cum ossibus parietalibus connectitur. Occiput vero adeo re- & quasi introflexum erat, ut in vertebrarum colli loco quærendum fuerit. Sic & situs organorum sensuum extenorū minime naturali respondebat; os enim in pinnarum narium loco adparuit, & quidem labiis paululum distantibus, apiceque linguae prominente.
- 3) Loco frontis erat nasus valde depresso, ita ut radix nasi in suprema faciei parte posita adpareret, ubi ex utroque la-

tere oculi, & quidem valde prominentes, conspiciebantur, adeo, ut cornua quasi minus accurate aspicienti repræsentarent, dum & locus conveniebat cum ea regione, ubi in vitulis cornicula prodire solent. Ex relatione obstetricis habemus, oculos post partum nudos & apertos fuisse, quos tamen nos palpebris clausis invenimus.

4) Auriculæ vero, capite penitus, uti ex dictis patet, retroflexo, axillis incumbebant incurvatæ,

5) Fontanella, circum circa capillis cincta, colorem ex coeruleo viridem, a sanguine fugillato, induxit, immo & actu sanguine adhuc madebat; erat enim in dorso spatium sex digitorum, a fontanella ad dorsum usque, hoc colore tinctum, quemadmodum etiam extremitates & fasciolæ sanguine conspurcatæ fuerunt, atque sanguis, uti obstetrix referebat, infantे in lucem prodeunte ex ea regione quasi transudavit.

6) Remotis vero integumentis communibus, cum pericranio, in conspectum veniebat cranii depresso quædam eo in loco, ubi alias os frontis per futuram coronalem ossi bregmatis jungitur, & capiebat circiter nucem avellanam mediæ magnitudinis ejus profunditas, quæ tamen convexitati ossis frontalis & fontanellæ parum seu nihil detraxit.

7) Aperto cranio meninges quidem superficies interna erat vestita, sub hisce vero ne mica quidem substantiæ cerebri latebat, sed plane nihil ejus loco reperiebatur.

8) Dissectis vero cartilaginibus costarum, remotoque sterno, id demum oculis se exhibuit, quod omnium admirationem hujus monstri auxit. Divisum quidem per mediastinum medium ventrem, observavimus in duas cavitates suas naturales, quæ vero cavitates continebant ipartes nequaquam hic quærendas; dextra enim in cavitate cor, pericardio suo involutum, immediate diaphragmati incubuit, inclinante apice ejus versus mediastinum, ac ventriculo dextro, intervenitu pericardii, costis, ventriculo autem sinistro partem pulmonum

num attingente. De reliquo illud plane conveniebat cum corde naturali, tam quoad magnitudinem, quam figuram.

9) Pulmo autem omnem reliquam hujus cavitatis dextræ partem replebat, statim sub maxilla inferiori incipiens, & sub corde ad diaphragma usque pergens; ubi notatu dignissimum est, laryngem non per asperam arteriam cum tubulis bronchialibus conjunctam fuisse, dum quinque illæ cartilagines, laryngem constituentes, immediate cum ipsa substantia pulmonum conjunctæ erant.

10) Pars pulmonum in margine exteriori cum mediastino, & interne inferius cum pericardio concrevit, ita, ut illæ so mediastino ac pericardio cultri acies non sufficeret ad pulmonem separandum.

11) De reliquo color naturalis (quatenus scilicet colori credere licet) testimonium perhibuit de pulmonum incolumente. Hoc vero admirationi dignum, quod unicus tantum lobus adfuerit pulmonalis, qui tamen in margine per leves incisiones distinctos lobulos mentitus est, ex quibus unus sub mediastino in cavitatem pectoris sinistram transgressus, cum & vicissim ex cavitate sinistra, inferius magis, itidem per mediastinum pars, licet exigua, ex intestinis tenuibus, quæ in cavitate pectoris sinistra latebant, in cavitatem dextram irrepit, ubi, formato quasi semicirculo ibidem, iterum continuo filo in sinistrum pectoris latus transit.

12) In ipsa vero sinistra parte contentæ erant eæ partes, quarum sedem natura abdomen alias esse voluit, & quidem inferius adhuc, supra tamen diaphragma, collocatus erat ventriculus, cardia cum fundo ejus sursum, pyloro deorsum vergente. Ab hoc (scilicet a pyloro) intestina tenuia oblonge in circulum ducta pendebant, partemque maxime superiorem hujus cavernæ, ad claviculam usque sinistram, occupabant, ex quibus duodenum bile repletum ac tintum adaptabat.

13) Hisce incumbebat supra jam descriptus lobulus pulmonalis, & magis deorsum ex sinistro latere *lien* sub costis prodibat. Hisce partibus omnibus & singulis color & figura erat quam maxime naturalis.

14) Hepar vero sub costis spuriis se proripiens in dextro latere partem diaphragmatis obtexit, & quidem tantæ magnitudinis, ut respectu reliquorum viscerum satis magnum dixeris. Sic ne fingere quidem licebat, quid foccus peritonæi contineret, qui tamen se satis oneratum sistebat.

15) Cum vero in eo erat, ut hepar separaretur & eximeretur, detecta demum fuit communicatio harum partium, loco peccantium, ex cavitate sinistra pectoris cum abdomen per aperturam quandam plane singularem diaphragmatis, ubi alias naturaliter costis spuriis affigitur, quæ apertura nobis occasionem dedit, abdomen quoque cultro anatomico aggrediendi, eoque intimius hanc communicationem harum partium prosequendi ac perlustrandi.

16) Aperto autem ab domine stupenda sane moles hepatis, uti ex Fig. 4. Tab. X. patet, reliquorum viscerum respectu, visui se nostro exhibuit, quæ quater eam partem, seu lobulum, qui in cavitate pectoris erat, magnitudine superavit, sequæ longe lateque diffudit, ex hypochondrio scilicet sinistro ad hypochondrium dextrum & in regionem hypogastriam usque.

17) Sub hac mole stupenda, latebat *vesicula fellea* satis quoque magna, sed plane vacua, ut & reliqua intestina, crassa scilicet, quæ per eandem viam sub diaphragmate, sub eo lobulo hepatis, quem in pectore repertum esse diximus, in abdomen prorespere, intestino recto meconio præ reliquis admodum infarcto.

18) Longitudo intestinalium omnium & pectoris & abdominis, quantum ex accurata contemplatione conjicere licuit, nimia erat & præternaturalis.

19) Re-

19) Renes una cum sic dictis succenturiatis renibus, itemque vesica urinaria, neque in situ, neque figura seu colore quidquam monstrosi seu præternaturale exhibuerunt, ex quibus in primis renum succenturiatorum figura ac structura pulcherrima notari meretur.

20) Causam denique hujus figuræ monstrosæ, & forsan etiam situs præternaturalis partium, si adhuc subjungere licet, hanc potissimum dixero, quod sollicita inquisitione juncturæ occipitis repertum est, hoc os non atlanti, neque ulli alii vertebræ, sive colli, sive dorsi, sive lumborum, incubuisse, prout Fig. 3. Tab. X. monstrat, dum ne vestigium quidem vertebræ, sive colli, sive dorsi, sive lumborum præsto erat. Os autem sacrum dorsi, seu spinæ dorsi loco erat, quapropter eo in loco occiput cum osse sacro uniebatur, ubi alias in non monstrosis ultima vertebra lumborum cum osse sacro connectitur, & quidem hunc in modum uniebatur occiput cum osse sacro, ut nec motus flexorius, nec rotatorius in hoc capite adeo recurvo, nec ullus aliis observari potuerit motus, caputque quasi immobiliter concretum fuerit cum hoc osse sacro.

21) Os vero sacrum sistebat sua foramina figuramque consuetam triangularem, nisi quod naturalem magnitudinem admodum superaret, ita, ut ex utroque latere duodecim costæ eo in loco, quo alias cum ossibus innominatis illud connectitur, prodirent.

22) Ossa innominata autem, interventu cartilaginis fatis latæ, inter se invicem recipiebantur ita, ut os coccygis, quod neque magnitudine excedebat, internæ illi juncturæ incubuerit.

23) Hisce itaque ossibus magnitudine nil defuit, pelvimque formarunt, licet minus profundam seu concavam, fatis tamen naturalem.

## Explicatio Figurarum Tabulæ X.

- Fig. 2.* anteriorem foetus monstroſi imaginem ſiftit.
- Fig. 3.* Sceleton ejusdem, remotis extremitatibus superioribus, quoad posteriorem regionem exhibit, ubi
- a* denotat radicem, seu supremam partem nasi.
  - b* Fontanellam, cum impressione, seu fovea, mediae magnitudinis avellanam nucem recipiente.
  - c* Connexionem oſſis occipitis cum oſſe ſacro.
  - d* Oſſe ſacrum ipsum.
  - ee* Connexionem hujus oſſis cum oſſibus innomina-  
tis.
  - ff* Connexionem oſſium innominatorum inter ſe,  
mediante cartilagine.
  - g* Oſſe coccygis.
- Fig. 4.* Hepar præternaturaliter conſtitutum monſtrat, ubi
- A* partem illam denotat, quæ ſupra diaphragma in inferiori thoraciſ regione ſita erat.
  - B* partem infra diaphragma, vel in abdomen laterem, deſignat, quarum utrarumque partium
  - C* diſtinctionem exquisitam per puncta indi-  
cat.

(*Stuttgardia Halam miſſa d. 17. Octobr. 1749.*)

## OBSERVATIO LXXXV.

Dn. D. GEORG. CHRISTIAN. MATERNI  
de CILANO.

De

*Polypo cordis membranoso & corde semicar-*  
*tilagineo.*

Quam *Alexand. KNIPSMACOPPIUS*, Professor quoniam Medicinæ *Patavinus*, de *aortæ polypo* edi curavit *Epistolam medicam* in *Miscell. Nat. Cur. Dec. III. Ann. I.* illa nonnullas theses continet, quarum veritatem non quamquam libet cadaveris sectione confirmare licet. Accidit tandem ex voto, ut cadaver mihi traderetur in Theatro nostro publice diffecandum: hominis illud erat *Hiberni*, ex hydrope mortui, quod, tametsi non usque adeo demonstrationibus anatomicis aptum esset, inservire tamen potuit certis usibus, polyporum cordis generationem illustrantibus. Vulgares omnino polypi, quos *KERKRINGIUS* in *Spicil. anat. Obs. 73.* *pseudo-polypos* adpellare maluit, & qui nil nisi sanguinem in articulo mortis, quod ajunt, coagulatum & in majoribus cordis vasis hærentem referunt, vix *veri polypi* merentur nomen, qui utpote tenacioris multo consistentiæ est, & pro sui incremento longius tempus poscit, quam illæ polyposæ sanguinis concretiones, in agonizantium quorundam corporibus genitæ & in cadaverum diffectionibus non raro observandæ. Laudata vero ad *Carol. PATINUM* scripta *Epistola* §. XXXIX. materialem polyporum cordis caussam, a sanguinis massa, cordis sinus jugiter perluente, & singulari ejus textura, deducit. Observante enim *MALPIGHIO*, sanguis congeries est superimpositorum extensarum que

que pellicularum, quæ in fibras & filamenta nervea-resolvuntur. Si porro serositas secernatur, si rubicundatinctura eluatur, substantia quædam sub-albida & fibrosa & rete quasi ex nerveis fibris compaginatum conspicitur. His ante monitis, polypum cordis vere membranoso describere licet. Homo iste, de quo loquor, Hibernus, navi ad nos delatus, a nauta quodam, clam noctu littori expositus atque sibi relictus est. Miser a nemine intellectus, per urbem aliquamdiu oberrans, stipem mendicatus, tandem ad ergastulum accessit, & ut sibi ibidem pernoctandi locus concederetur, per omnia numina efflagitavit. Receptus itaque est, sed paulo post in hydropem universalem incidit ac post annum tempus exspiravit. Ceterum parum jam refert, ea narrasse, quæ forte plura in illius dissectione notatu quidem digna fuerunt, sed ab aliis pridem observata. Visum est in præsenti quædam solummodo de *cordis præternaturali constitutione & de polypo in medium adferre*. Cor ipsum respectu cadaveris, quod longitudine sua pedes quatuor cum dimidio vix æquabat, justo fuit majus, & ipsum pericardium liquore unguinoso, viscido distentum. Substantia vero cordis, cultro incisa, monstri quid alebat, quia lamellas carneas cum lamellis cartilagineis sociatas spectatoribus præbuit conspicendas. Externa videlicet *lamella carnea* erat ac pallide carneum referebat colorem, quæ crassitie sua lineam unam Parisiensem haud excessit. Huic subjecta erat lamella altera lutei coloris eaque vere *cartilaginea*. Secundæ isti substrata fuit lamella tertia carnea, sed tenuior quam prima. Cum hac tertia concrevit lamella quarta, itidem *cartilaginea* lutea, dura & duplo crassior illa carnea tertio loco positâ. Quinta & ultima tandem lamella, internam cordis superficiem circumvestiens, tenuis erat carnea, per quam passim cartilagineæ quartæ substantia transparuit. Hæc de corde; jam de *Polypo* hujus cordis membranoso. In ventricu-

triculo cordis dextro inventus est polypus pyriformis, sacculum mentiens, cui materiam forte pultaceam inclusam esse credideramus. Vena itaque cava ultra quatuor digitos Parisienses dissecta, pedunculum seu processum hujus polypi firmiter cum vena cava concrevisse observavimus, & quidem in ea venæ cavæ parte interna, qua dorsi vertebris illa innititur; reliqua ejus pars sphæroidea libere fluctuabat & nusquam cordi affixa erat. Separatum hunc polypum & cultri oculorumque examini subjectum, totum quantum ex tunicis membranaceis formatum, cavo destitutum, nec quidquam materiæ pultaceæ in se continentem, animadvertisimus, veluti saepius id accidere meminimus. Tunicæ seu lamellæ ejus albicantes, & paucis vasculis sanguiferis distinctæ, nullo negotio a se invicem separari poterant, quarum extrema fibrillis membranaceis prædicta fuit, quibus passim adhæsit venæ cavæ lateribus. Figuram hic damus integrarum, ad vivum depictam (vid. Tab. IX. Fig. 2.) Hæc nostra observatio locuples erit testis illius theses, quam in laudata *Epistola, ad Carol. PATINUM scripta §. LXII. legimus:* *Omnes tamen polypi, si diligentius examinentur, congeriem superimpositorum extensarumque pellicularum diversimode figuratam, variisque di-varicatam propaginibus, tendinosis, ac nerveis radicibus, cordis aut vasorum parietibus additamenti loco insertam, nullum facile liquabilem concretum succum includentem, videbuntur praese ferre.* Interim tamen negari nequit, non in omnibus cordis polypis membranacea hujusmodi involucra adeo distincte observari posse, veluti de *polypis adiposis* certum eit. Concedendum tamen, etiam istiusmodi *polypos adiposos*, si curatus examinaretur eorumdem structura, suis quoque non destitui tunicis; qualis ille fuit polypus, ab Iibr. DIEMERBROEKIO in sua *Anatome observatus Lib. II. Cap. 9. p. m. 282.* & aliis *Eduardi TYSONIS*, per totius generis venosi ramulos dispersus,

in Actis Hafniensibus Volum. V. Obs. 29. Polypis ceterum lapideis & illi in primis, cuius mentio fit in Ephemerid. N. C. Dec. II. Ann. V. Obs. 83. nullum prorsus ad signamus locum, quoniam lapidum texturam & partium organicarum structuram multum inter se perpetuo differre novimus. Sunt autem celeberrimorum virorum observationes, quae, polypos cordis membranaceis tunicis circumvestitos & ex multis membranis complicatos fuisse, cumulatius testantur, quas inter laudandæ C. STALPARTI Cent. I. Obs. 38. pag. 152. Jo. Conr. PEYERI Parergo III. p. 148. Nicol. TULPII Lib. I. Obs. 27. Jo. Nicol. PECHLINI Observat. physico med. Lib. II. Obs. I.

### Explicatio Figuræ 2. Tab. IX.

A A. Polypus membranosus integer.

b b b. Fibrillæ, quibus annexus erat polypus venæ cavæ,

c c c. Lamellæ membranose cultello separatæ.

### OBSERVATIO LXXXVI.

Dn. D. GEORG. CHRISTIAN. MATERNI  
de CILANO.

De

*Resolutione integri brachii embryonis, in utero  
matris facta.*

In Actis hisce physico-medicis, Volum. VIII. Obs. 93. exponitur, quam operosa & præceps natura esse soleat in formandis & fingendis nævis aliisque partibus, præter natum corpusculum embryonis defœdantibus. Hac autem observatione casum damus, qui e contrario testatur, in embryo

bryone etiam partes organicas jam structas & formatas, per energiam autocraticam destrui iterum posse atque resolvi. Mulieri, *septimo* graviditatis suæ *mense* curru vœtæ, obvium occurrebat miles exauktoratus stipem orans; corpore mutilus is fuit, quoniam eidem brachium dextrum inter prælendum amputatum erat. Intuens in mendicantem mulier, illius miseria movebatur & largiter donatum prætervecta est, nihil quidquam ominosi in futurum tempus metuens. Verum enim vero, transacto graviditatis tempore & termynio partus instantे, nixa est puerum, ceteroquin bene valentem, sed dextro brachio æque mutilum, ad instar illius militis, quem grāvida forte fortuna conspectum, in sui ipsius damnū largitione demulcere non dubitaverat. Infans recentis natus, propitio satis fato, undecima tandem post nativitatem hebdomade blande exspiravit. Ceterum dignus visus est casus, qui cum *Illustri Nat. Curios. Academia* communicetur, quo ipsius naturæ abstrusa artifacia magis magisque cognosci, gravidæ vero moneri possint, ne hoc tempore sibi ipsis defint, aut curiosulæ nimis oculis ea lustrent, quæ numquam vidisse maxime consultum fuisset.

## *OBSERVATIO LXXXVII.*

Dn. D. GEORG. CHRISTIAN. MATERNI  
de CILANO.

De

*Epilepsia somnifera.*

**D**ari Epilepsiam cursoram, seu cursivam, uti quidem appellare eam quibusdam placuit, ex ipsis *Ephemeridibus N. C. Dec. III. Ann. III. Obs. 181.* nec non ex *Annal. phys. med. Vratislav. Suppl. III. p. 108.* discimus. Ere jam erit *Nat.*

*Nat. Curiosorum*, istud quoque nosse, quod his ipsis diebus experti sumus. Puer XII. annorum, a matre accepit medicamentum purgans, ausu magis temerario, quam excusando; cuius effectus satis quidem validus, sed minus prosper fuit. Pluribus jam annis familia isthac usu est Medico quodam, qui *mercurium dulcem* sub nomine *Calomeli*, cum aquis destillatis simplicibus, syrupis & pulveribus, crebro & largiter exhibere sueverat. Ejusmodi mixturæ, ante sex menses paratæ, in vitro supererat residuum. Hoc, quidquid fuit, ebibendum filio præbuit mater. Secuta vero illico sunt tormenta ventris acuta, dejectiones autem alvinæ parciores; at illo ipso die etiam convulsiones circa vesperam. Sequentibus proxime diebus convulsiones in veram degenerarunt Epilepsiam vehementem, sed vagam, incertis horis invadentem. Decima adflictionis die novi quid & inexspectati observare licuit. Paroxysmus nimirum epilepticus puerum invasit cum somno vere coacto, ita ut in eodem, simul ac somno oppressus esset stertorofo, etiam consuetæ membrorum agitationes & motus redirent epileptici, nec tamen umquam ultra minuta horæ decem durarent. His finitis exasperiscebatur, lassus admodum & morosus, loquebatur tamen & subinde cibum poscebat. Adflixit ægrotum epilepsia diebus sedecim. Summa vero mali exacerbatio observata fuit die decima tertia, qua & somnus & epilepsia puerum tredecies corripuerunt. Fortuitum id erat, parentes vero *Seiov* *ti* invenisse sibi visi sunt, quod numerus paroxysmorum & dierum morbi idem esset. Diebus proxime secutis remiserunt paroxysmi, & puer tandem sanitati restitutus est oleo animali & pulveribus e verrucis equinis. Exhibita porro anthelmintica, toti curationi imposuerunt finem,

**OBSERVATIO LXXXVIII.**

Dn. D. GEORG. CHRISTIAN. MATERNI  
de CILANO.

De

*Scarificatione aurium, surditatem temporariam  
inducente.*

Illustris familie virgo, viginti duorum annorum, bene certa  
menstruata, gutta rosacea laborans & crebras  
narum hæmorrhagias experta, a quibusvis consilium & opem  
flagitat, ut faciei rubescens colorem tantopere sibi ingra-  
tum mutare possit in colorem illum aulicum, quem pallidum  
& album esse credebat. Tandem vero incidit in matronam  
nobilem & consilii plenam, quæ remedium suggessit, veluti  
ipsa quidem adfirmaverat, prorsus infallibile. Suasit nimi-  
rum auris externæ scarificationem descendente luna susci-  
piendam atque repetendam. Obedivit ergo auxilii cupidis-  
sima virgo, & utramque aurem scarificari curat. Exspecta-  
tionem haud fefellit eventus. Disparuit enim faciei color  
rubicundus, ipsaque gutta rosacea opinione citius evanuit;  
sed quinta post factum experimentum die auditus successit  
difficilis; decima quinta vera adfixit surditas: catamenia  
quoque ter sufflaminata sunt, quorum fluxus quarto tandem  
mense, quamvis parce, rediens, primo surditatem minuit,  
quinto autem mense consueta copia observatus auditum  
quoque difficilem sustulit; gutta vero rosacea faciem de  
novo fœdare cœpit.

*OBSERVATIO LXXXIX.*

Dn. D. GEORG. CHRISTIAN. MATERNI  
de CILANO.

De

*Clavis pedum anniversaria suppuratione sponte  
decidentibus.*

Matrona nobilitate generis clara, in juventute strenuam arti saltatoriæ dedit operam, & idcirco calceis etiam usa est æctioribus & pedum digitos nimium comprimentibus. Nati sunt inde, ut solet, clavi pedum, tam intra digitos, quam supra digitum medium utriusque pedis. Tolerauit id molestiæ magno suo incommodo ad annum ætatis usque quadragesimum secundum. Hoc ipso autem anno, mense Octobri, dolorem sensit acutum & lacinantem illis in locis, in quibus clavi pedum monstrosæ magnitudinis digitis pedum mediis insidebant. Post quatriduum secuta est suppuratio, clavorum separatio & spontanea etiam consolidatio. Observatu præterea dignum videtur illud, quod ante hanc anniversariam suppurationem sæpenumero clavos per diluvio emollire, &, ferente ita consuetudine, cultello illos recidere conata sit, sed numquam impune. Singulum etenim recessionis ausum cephalalgia excepit vehementior, quæ omnem recessionem prohibuit, & anniversaria decidentia contentam esse jussit. Sedecies jam hi clavi sponte suppūrati sunt, & omne levamen externum respuunt.

*OBSER-*

## OBSERVATIO XC.

Dn. D. GEORG. CHRISTIAN. MATERNI  
de CILANO.

De

*Muliere extra graviditatis statum numquam  
menstruata.*

Fœmina hoc, quo scribimus, anno, ætatis suæ agit annum tricesimum tertium. Sana ceteroquin & affectibus hysteris numquam obnoxia. Ante nuptias numquam passa est mensium fluxum; post nuptias autem gravida facta, primo mense catamenia vidiit per triduum, secundo & tertio mense pariter cum euphoria. Sexto mense, circa novilunium, hæmoptysi correpta, sanguinis libram unam penderis civilis eructavit & justo tempore feliciter filium peperit vivum. Septem jam liberorum mater est, & eo tempore, quo uterum non gerit, menses fluentes prorsus non observat. Foetum vero cum in utero gestasset secundum, tertium & quartum, quavis graviditatis periodo ter mensium fluxum experta est, exulante hæmoptysi. At cum quintum conceperisset, catamenia quidem consueto more tribus primis fluixerunt mensibus, sed etiam hæmoptysis rediit mense quarto, non quidem copiosa, sed graviori animi deliquio stipata. Læte tamen peperit. His gestis de novo imprægnata, mense tertio abortum passa est. Quievit quasi mensibus decem. Sed gravida iterum facta, ter menses, uti solet, habuit fluentes; metu autem hæmoptyseos forte reddituræ victa, tandem venam in pede sibi secari mense quinto passa est. Fœtum postea exclusit masculum, qui tamen paucis post diebus

bus convolutionibus correptus, fatis cessit. Jam exspectandum, qualia symptomata in posterum tempus passura sit, si parere vel perrexerit, vel plane desierit.

### OBSERVATIO XCI.

Dn. D. GEORG. CHRISTIAN. MATERNI  
de CILANO.

De

*Cephalalgia decennali per setaceum tandem curata.*

**V**irgo septem & viginti annorum ex pertinaci mensium defectu in æque pertinacem incidit cephalalgiam. Toleravit hanc primis annis incredibili prorsus patientia; horatu autem amicorum amicarumque Medicorum petiit auxilium. Horum etiam quisque alacrem se præbuit in medicando, & quoad poterat, opem ferre adnusus est. Patriæ Medicos omnes, & plures extra patriam illustris nominis Medicos consuluit, qui pro virili id egerunt singuli, ut malum vel funditus extirparent, vel aliquod adferrent levamen. Verum enim vero, nec cephalalgiae mederi, nec mensum poterant provocare fluxum tantopere ac diu ante desideratum. Perpetuae medicationis tandem pertæsa virgo, & consilii inops, suscepito itinere ancipiti, ad nos delata, decennalis vexationis cephalalgicæ exposuit historiam, si forte fortuna & aliud quasi agendo, eidem offerri posset medela. Audendum jum aliquid videbatur post tot experimenta incassum instituta, & ideo administrata est arteriotomia in temporibus, præsens alias & heroicum in effreni cephalalgia remedium. Sed omnium exspectationi nequaquam respondit eventus. Seposita igitur cura medendæ cephalalgiae, in il-

Iam solummodo curam incumbendum esse res ipsa jussit, ut  
nimirum fluxus sanguinis menstruus, si modo fieri posset,  
quantocytus, excitaretur. Venæ sectio propterea in pede  
suscepta & repetita est, quæ, sub reliqua medicatione con-  
grua, id effecit, ut post decendium menses bis quidem flue-  
rent sed exiguo cum cephalalgiæ levamine. Irritis ergo, ut  
videri poterat, omnibus tentaminibus, ultimo tandem decre-  
tum fuit *setaceum*, quod copiosum feri fluxum proritavit,  
per semestre tempus numquam sufflaminatum, qui ceph-  
alalgiam istam chronicam bonis avibus sustulit, sociato insu-  
per catameniorum fluxu, & ordinato, & sufficiente. Con-  
clusiones, quas inde formare licet, practicas, prætereundas  
duco, ne forte *Illustris Acad. Nat. Cur. Socios* id docere vo-  
luisse videar, quod singuli acri suo, quo gaudent, judicio, vel  
sua sponte adsequi valent.

(*Altona Halam missæ d. 10. Novembr. 1749.*)

## OBSERVATIO XCII.

Dn. D. JO. HERM. FÜRSTENAU.

*Aurium cum variis partibus consensu.*

Consensum partium verum Pathologiæ & Praxeos funda-  
mentum esse, cum illustr. Frider. HOFFMANNO, qui  
id ipsum peculiari labore ostensum ivit, uno ore affirmant,  
quotquot artis salutaris exercitium cum ratione instituunt.  
Aurium sigillatim cum variis partibus consensio, tot exem-  
plis confirmata, in quinto nervorum pari, quod, sicut J. F.  
MECKEL in *Dissertat. inaugur. Goettingæ 1748.* habita p.  
106. seq. præclare ostendit, intercostalis radice in exhibit,  
quodque commercio trunci & partium vitalium cum facie

inprimis inservit, quærenda potissimum videtur, isthoc nimurum per abdominis & pectoris viscera longe lateque disseminato, & quavis de causa alicubi irritato, mox reliquas, quibus idem ramulos impertit, partes in consensum trahi, & doloribus aliisque molestiis affici, quin & puncturas, titillationes & læsiones quaslibet alias nervorum quorumlibet diras non raro convulsiones insequi, constat. Meatus certe auditorius, insignem, qua pollet, sensibilitatem, quando vix ejus internam superficiem duriori aliquo instrumento attingere licet, ab ejusque inflammatione dolores excitantur vehementissimi & ægris vix tolerabiles, insigni ejusdem quinti nervorum parvus ramo debet, ut *l. c. p. 116.* pariter est annotatum. Hinc adeo ratio patet, cur qui primarum cruditibus viarum, vermibus, flatibus, spasmis hypochondriacis aut hystericas laborant, sonitu & tinnitu aurium frequenter simul afficiantur & sublato alterutro malo, alterum plerunque aut sponte evanescat, aut mitius saltem affligat. Quam vero jecur inter & aures quærunt nonnulli sympathiam, illa vel a bilis & ceruminis analogia, vel a plexu potius hepatico, qui & ipse nervo intercostali originem debet, repetenda videtur. In universum aurium cum partibus variis consensum illustrat sequens memoratu dignus casus: Fœmina venusta, 30. fere annorum, mensibus rite, sed parce fluens, in matrimonio sterili vivens, auditu difficulti, ad surditatem proxime accedente, laborat: quo circa consultus data occasione Medicus id egit sedulo, ut antecedentem & occasionalem mali causam erueret, ideoque variis eum in finem propositis quæstionibus, ægra mira oris suavitatem rem omnem enarratura, se ab ineunte ætate sanam affirmat, & justo tempore menstruatam, præsenti, qui aderat, marito, despontatam, foedo manuum tumori & exanthematibus in iisdem apparentibus, conquisitis undique remediis, medelam parasce, acidulas quoque Pyrmontanas eum in finem usurpasse &

appropinquante nuptiarum tempore ne quid ornamenti capillitio deesset, & caput, & collum ipsasque manus aëri frigido & horrido exposuisse, indeque inter ipsas festivitates nuptiales, choreas & tripudia per aliquot dies protracta, fere insensibiliter hanc surditatem contraxisse, nullis deinceps remediis obnoxiam, nullo quoque pejoris notæ symptomate, unam si exceperis cephalalgiam molestam, pro varia tamen aëris ambientis constitutione, modo graviorem, modo leviorum. Ex hac luculenta morbi historia non potuit non sequens ferre judicium rogatus eapropter Medicus: A congestione sanguinis & humorum nimia versus aures malum omne derivandum, mensum parciorum fluxum in ordinem redigendum, eumque in finem tepida manuluvia & pediluvia, frequenter usurpanda, sedulo commendavit, tum & veniam in pede, & inter alia, purgantia & antispasmodica, spiritum formicarum, lumbricorum & serpilli cum sapone Veneto permistum meatui auditorio tepide pariter, sed & provide per vices injiciendum Chirurgo impense commendavit. Vix paucis elapsis septimanis revocatus ad ægram hancce Medicus, eandem semel atque iterum atrocissimis convulsionibus, in facie inprimis, correptam accepit, demum & ipse attonitus conspexit; media enim nocte, ob paroxysmum præsentem, excitatus, rem omnem oculis usurpavit, ægra, postquam ad se rediisset, ad interrogata comode respondente, sequente vero mane rerum omnium ignara, quæ nocte præterita erant gesta, & D.O.M. gratias agente, quod noctem adeo tranquillam, ab omni insultu immunem, ducere potuerit. Hisce commotus, nihil fecit reliqui, quin veram rei causam sollicite indagaret. Non deerant, qui paroxysmum similem ab ægra quondam fuisse extantatum, sed dubie, affirmarent, aliis terrorem ab infelici V.Snis successu, aliis aëris vicissitudines accusantibus; sed de injectione pridem cominodata porro sollicite responsum est

ab ægra: illam sibi non quidem adversam, sed ob irritatio-  
nis sensum a syringa paulo altius adacta omnino molestam  
quondam extitisse. Quare, hanc unam & veram tot gra-  
vissimorum symptomatum causam ratus, in id incubuit Me-  
dicus, ut, universalibus potissimum catharticis, sanguinem ad  
inferiora derivaret, manuluvia & pediluvia, V. Snem in pe-  
de, clysteres, & similia, frequenter usurpanda identidem com-  
mendaret, non neglectis interea specificis, ipsoque *oleo ani-*  
*mali Dippelii*, quod reliquis omnibus facile palmam præ-  
ripit, post periodum quamlibet menstruam adhibendo, cly-  
sterem vero auricularem interea seponendum, auditumque  
difficilem naturæ viribus relinquendum judicaret, unde per  
aliquot abhinc annos ab iisdem convulsionibus, & omni  
morborum insultu, si auditum excipias difficilem, immunis  
per Dei gratiam, læta & incolumis degit.

### OBSERVATIO XCIII.

Dn. D. JO. HERM. FÜRSTENAU.

*Noduli in partibus musculoſis.*

**M**ercator 40. fere annorum, temperamenti sanguinei præ-  
dominantis, habitus corporis mediocris, asthmate  
convulsivo subinde, & nuper in nundinis Brunsuicensibus,  
cum suffocationis metu exacerbato, correptus, remedii un-  
diquaque, sed frustra, conquisitis, neque ordine debito usur-  
patis, ab usu eorundem, ut & V. Sne abhorrens, data occa-  
sione opem quærit, & mentione simul facta nodulorum in  
brachiis, femoribus, quin & abdomine simul obviorum, mox  
brachiis denudatis eosdem tangendos præbuit, neque enim  
oculis, sed tactui occurrabant, ad nucis avellanæ magnitu-  
dinem accedentes, illisque prorsus similes, quos in *Historia*  
mor-

morborum *Vratislaviensium* 1699. p. 58. eleganter descriptos legere licet. Hujus quidem phænomeni, rarissime certe, causas occasioales ut eruerem, nihil feci reliqui, sed ad singulas quæstiones nihil aliud responsi retuli, quam, ut vulgo loqui mos est, fortuito & absque causa manifesta, ullaque, quam meminerit, violentia externa, hosce nodulos ab ipso passim observatos esse. Hos tamen, nullo dolore aut alio quopiam incommodo stipatos, nullo magnopere remedio indigere, ipsum et intelligens, ab asthmate vero convulsivo vitæ & valetudini insidias strui non sine ratione metuens, eidem remediis exquisitis ut obviam irem, eo ardentius flagitabat. Quare præter universalia cathartica & hæmocathartica, ipsamque V. Sne in pede, non obstante idiosyncrasia, quam magna ex parte imaginariam fuisse, eventus docuit, una cum pediluviis, & selectioribus antispasmodicis, ipsoque aurato antimonii sulphure, quod reliqua in hisce casibus laudata remedia facile antecellit, proposui, & sedulum omnium usum per vices commendans, non omisso congruo victus regimine, virum hunc divinæ tutelæ reliqui, qui brevi post lætus retulit, se fluxum nuper hæmorrhoidalem, haftenus sibi plane ignotum, prima vice expertum, nunc belle valere, remediis vero sibi commendatis, una excepta V. Sne, præter omnem spem feliciter administrata, neutquam indiguisse.

### *OBSERVATIO XCIV.*

Dn. D. JOANN. HERM. FÜRSTENAU.

*Miasma venereum, per obstetricem longe lateque disseminatum.*

Turpissimum hoc malum, undecunque initio exortum, hodie nonnisi congressu impuro, adeoque mediante

contagio, propagari, & *Veneris illicitæ flagellum* merito appellari, una est intelligentium sententia Medicorum, quam & ipse publice profiteri non dubitavi Diff. de *Contagio & morbis contagiosis* h. l. 1742, habita. Illud vero & aliis subinde morbis, præsertim chronicis, ipsisque spasmodicis sub varia forma complicari in hisce *Actis N. C. Vol. V. Obs. 158.* & *Vol. VI. Obs. 113.* exemplis haud e trivio petitis, aut totus fallor, ostendi. Hinc sponte corruunt, quæ ad palliandum turpitudinem conficta esse videntur commenta, ac si communi mensæ, vestimentorum, lecti, & insontibus prorsus subjectis, communicari possit & soleat. Neque tamen partium glandulosarum contactum immediatum, mammorum v. g. ad os, & versa vice, hic exclusum velim, usu rerum convictus, a nutrice infecta in alumnos insontes, a pu- fillis vero lactescientibus, hoc malo deturpatis, idem in nutrices alias, ipsaque matres innocentes, imo & per hasce interdum in maritos propagari, id quod tamen, quantum sollicito haetenus scrutinio indagare licuit, non facile ultra scabiei, & simili exanthematum valde quidem rebellium, sphæram, accedente in primis viatu conveniente & medela congrua ac matura, progreedi solet. Obstetricum opera virus idem dispergi, & insontes utriusque sexus personas eodem contaminari, admodum juvenis fando saepius accepi, de modo vero diu fateor dubius haesi, donec nuper similis occasione relationis, & ægris variis hoc malo infectis ope- pem quærentibus, ipsaque obstetricice in loco aliquot hinc mil- liaribus distante hoc malo correpta, eoque tandem defuncta, curatius in singulas circumstantias inquirens, responsi loco tuli: Obstetricem illam hujus criminis ream, alias ho- nestam, & quantum constat, impurioris convictus neutiquam suspectam, pusillos recens natos, labiis ori adplicatis, fre-quenti suuctu exercere consueuisse, indeque simul ab infe-ctis idem & haussisse & aliis deinde communicasse contagium, sique

sicque porro per matres earumque maritos latius disseminatum, id quod sicut a verisimilitudine non plane abhorrere videtur, ita ab aliis turpitudinem propriam hoc velo pallari, neutquam inficias iverim.

### *OBSERVATIO XCV.*

Dn. D. JO. HERM. FÜRSTENAU.

*Purpura cum variis symptomatibus complicata.*

Purpura magno symptomatum varii generis ipsorumque spasmodicorum numero stipata, in puerperis quidem lochiorum quoddam vitium, in aliis vero subjectis mensium aut hæmorrhoidum negotium, & scenam modo clanculum, modo aperto marte ludere, in hisce *Actis N.C. Volum. VIII. Obs. 96.* affirmare nullus dubitavi, ejusque rei luculentum præbet testimonium virgo nunc 40. annorum, teneroris & valde sensibilis texturæ, temperamenti cholericæ, occasione qualibet levissima ira exardescens, vitæ generis mobilis, inquieti, ut neque cibo adsumendo, neque somno capiendo justo tempore & ordine vacare soleat. Mensium fluxu admodum juvencula primo correpta, sed & eodem, ætate maturescente, & ab annis aliquot, occasione inprimis terroris & cujusdam morbi acuti maligni, quo laboravit, valde imminuto & parco, singulis tribus septimanis revertente, eo usque afflita fuit, ut *menses carbunculosos* ab HIPPOCRATE, de morbis mulierum, Sect. XXIV. n. II. hinc & in Satyris Med. Silesiac. Specim. IV. p. 78. delineatos, si, quæ narrat, curatius attendas, in eadem re vera offendas. Inde adeo causariam vitam aliquamdiu traxit, & variis symptomatis, in primis spasmodicis, afflita, opem medicam subinde imploravit, in acidulis vero Pyrmontanis, aliquot ex or-

dine annis usurpati, externi quoque balnei usu accedente, potissimum levamen invenit. Hisce vero anno elapsi intermissis, circa autumni initia male habere, & spasmodis primus varii generis, gulam, ventriculum, vesicam diversimode irritantibus, hinc & purpura, demum & febre acuta continua laborare cœpit, neque post integrum trimestre interea: elapsum in hunc usque diem cum valetudine in gratiam rediit, quin quotidie circa noctem in primis, prævia vix sensibili horripilatione, æstu, siti, inquietudine, & similibus symptomatibus, in primis sudore immodico correpta, vitam miseram inter perpetua suspiria anhelosa ducat, purpura modo accedente modo retrocedente. Mensium fluxus inter initia morbi adfuit solito copiosior & diutius fluens, cum maxima spe sanitatis brevi ad futuræ, hinc vero ultra novæ septimanæ constanter filens, spem antea conceptam irritam fecit. Venæ se-  
tione in pede, hinc & scarificatione, cui & ipsa adsueta est, plus vice simplici, & cum euphoria administratis; namque & ipsa data occasione se quondam hæmorrhoides apertas vidisse, affirmat, præterea & de nausea & sapore oris amaro & putrido, ad nares usque extenso, & de alvi obstruzione per-  
tinaci & fecibus siccissimis, albo veluti muco obductis, id  
quod hæmorrhoidum albarum indicium esse solet, assiduae querelæ. Ideoque & quoniam vitia primarum viarum, in-  
que primis biliosarum faburra cruditatum negotium facesse-  
re videbantur, tum mitioribus catharticis, tum blandis eme-  
ticis per intervalla exhibitis juxta cum diluentibus, absor-  
bentibus, antispasmodicis, bezoardicis & tonicis pugnandum  
esse duxi, congruo simul regimine injuncto, quo su-  
dores in primis copiosos & nimios nocturnos non tam cohi-  
bendos, quam moderandos, potum etiam nimium nocturnum  
fensim imminuendum suasi. Quibus observatis ægra-  
modo mitius, modo gravius malis suis affligitur, lecto ta-  
men

men usque affixa & constans demum symptomatum levamen ab aëris vernalis proximi calore & salubritate experans.

## OBSERVATIO XCVI.

Dn. D. JOANN. HERM. FÜRSTENAU.

*Fluor albus in vetula septuagenaria.*

F luor albus ex colluvie serosa, uteri regionem inundante continuiter originem trahit & modo criticus, modo symptomaticus est, modo ex utroq; quasi mixtus, qualem vetula exhibet septuagenaria, quæ venæ sectioni & scarificationi adsueta, utraque vero, ob ætatem ingravescentem, haetenus neglecta, fluxu uterino fere perpetuo, eoque copioso, variis coloris striis sanguineis distincto & foetido correpta, ad opem medicam implorandam compellitur, addita notabili, quæ simul refertur, circumstantia, quod, fluxu isto tantisper retardato, ægra mox exquisitis dorsi doloribus exposita sit, nausea ceteroquin, ciborum fastidio, lassitudine totius corporis & similibus symptomatibus perpetuo afflcta. Congruis remedii, purgantibus, roborantibus, tonicis, mundificantibus ex ordine exhibitis, ægra & redeuntem ciborum adpetitum & vires alaciores, & fluorem nunc revera album & homogeneum adesse, fatetur, & continuato debitorum usu auxiliorum, ipsaque scarificatione postliminio reassunta, pristinum vigorem a divina gratia propediem expectat.

## OBSERVATIO XCVII.

Dn. D. JO. HERMANNI FÜRSTENÄU.

*Passio iliaca, cum vermium copiose per vomitum  
rejectione feliciter curata.*

Insimæ sortis foemina 46. annorum, aliquot liberorum ante  
mater, nunc aliquamdiu vidua, mensibus plerumque recte fluens, misere, sed tamen honeste, laboribus quippe manuum, vicitans, passionibus hysterico - colicis frequenter obnoxia, vere ineunte doloribus abdominis exquisitis, vomitu adsumitorum perpetuo, quibus lumbrici variæ magnitudinis perpetuo, maxima & incredibili copia, permixti fuere, cum alvi pertinaci adstrictione laborans, per 14. fere dies, opem quærerit. Accedens in re ancipiti, ægram pulsu forti & constanti, animo præsenti, neque ciborum appetentia plane destitutam offendens, mitioribus primo catharticis, senna, rhabarbaro, cremore tartari, clysteribus emollientibus & suppositoriis fotibusque externis rem aggressus sum, hisque frustra tentatis, ad fortiora, resinam Jalappæ, diagrydium sulphuratum, trochiscos alhandal & mercurium dulcem, sensim & debitissim intervallis, ascendi, hisque clystres oleosos, tabacinos, tandemque muriam halecis, non facile fallentem, clysteris forma adplicandam addidi, ultimo demum loco mercurium vivum ad uncias tres cum oleo amygdalarum dulcium commixtum exhibui, sed hoc pariter, ut reliquis omnibus, vomitu, cum insigni vermium copia, rejectis, balnea, pediluvia & V. Snem in pede postridie suasi, qua facta alvus largiter soluta est, ægraque brevi cum valetudine in gratiam rediit. Inter remedia, copia haud exigua, brevi temporis spatio usurpata, præter modo dicta

dicta etiam ex fuligine, millefolio, floribus hyperici & chamomillæ constantia, itemque antimonii crudi, & æthiopis mineralis, cam temperantibus, digestivis & absorbentibus permisti effectum in primis anodynū laudavit.

### *OBSERVATIO XCVIII.*

Dn. D. JO. HERMANNI FÜRSTENAU.

*Dolores capitis & artuum rheumatici cum vermis complicati.*

Fœmina 45. annorum a bieñio non amplius menstruata, indeque variis congestionibus sanguinis, atque hinc oriundis pathematisbus obnoxia, V. Sni & scarificationi adsueta, de doloribus capitis, dorsi, scapularum, artuum & anxietate præcordiali acerbas fundit querelas. Rogatus suasi ante omnia venæctionis & scarificationis, adsuetae utriusque, sed diu intermissæ, frequentem & propediem iterandam administrationem, simul & pulverem digestivum temperantem, & pilulas mercuriales usurpandas commendavi, quibus assumitis lipothymia correpta, sed brevi post ingenitem saburram pituitæ tenacis & viscidæ, cui notabilis copia vermiculorum intermixta fuit, ἀνεκάρα excrevit, brevique ad pristinam & vix expectatam alacritatem rediit, ut nulla nec V. Sni nec scarificatione se amplius indigere existimaret, quam tamen utramque neutiquam negligendam, sed debito tempore pro more consueto repetendam utramque suasi.

## OBSERVATIO XCIX.

Dn. D. JO. HERMANNI FÜRSTENAU.

*Venæsectionis in febribus intermittentibus utilitas & necessitas.*

Venæsectionis in febribus, intermittentibus quoque, a F. SCHRADERO quondam peculiari Dissertatione laudatam h. t. variis exemplis observare licuit, posteaquam hyeme tepida, & Februario & Martio mensibus nullo fere frigore recurrentibus, Aprili autem Majo & Junio mensibus, tempestate varia, & ultra modum horrida & humida haud raro infestis, transpiratio variis modis modo aucta, modo iterum suppressa, indeque corpora impura & plethorica ad varias congestiones & decubitus humorum disposita fuerunt, unde febres in primis catarrhales, benignæ tamen, in plerisque exortæ, & horrore quidem vix sensibili, sed majori æstu & spatiæ, singulis vel alternis diebus cum variis symptomatis ad delirium non raro exacerbatae, ingentem saepè terrorem adstantibus medentibusque incussere, quæ tamen omnia & tota morbi vis notabiliter immutata fuit, quando venæsecchio tempestive instituta, & pro necessitate repetita, reliquum vero regimen exacte diaphoreticum neutiquam neglectum, & victus simul ratio ita, ut par est, habita fuit, non omissis simul emeticis & catharticis, modo lenioribus & milderibus, modo etiam pro re nata fortioribus. Hæc certe medendi methodus etiam in illis subjectis, ubi nulla plethoræ commotæ, vel impuritatis in sanguine indicia adfuerere, optatum & manifestum levamen adulit, & morbus saepè in prima, quod ajunt, herba, hac ratione suffocatus fuit, ut nullis specificis ad expugnandam febris violentiam indigerent.

gerent ægroti, ab eadem brevi liberati, nec recidivam, nisi  
enormi in vietu commisso errore, facile experti.

## OBSERVATIO C.

Dn. D. JOANN. HERMANNI FÜRSTENAU.

*Abscessus muscularum abdominis utriusque  
fortunæ exemplum.*

**A**bscessus muscularum abdominis & partium vicinarum varia, tristia pariter & læta, quæ notare licuit exempla, tum peculiari Dissertatione 1742. habita, tum in hisce *Actis N. C. Vol. IV. Obs. 123. & Vol. V. Obs. 165. & 166.* exposui, inque serie causarum antecedentium sanguinis ad locum affectum congestionem, in eoque stasis inflammatoriam, indeque suppuratoriam, ipsosque abscessus productum, hæmorrhoidum quidem in utroque, mensium vero & lochiorum, cumque iisdem conspirantium partus, abortus, molæ & secundinarum successum impeditum vel maxime attendendum esse, monui, id quod bina, quæ sequuntur, subiecta, suo confirmant exemplo : Fœmina nimirum juvencula, teneroris & sensibilioris constitutionis, temperamenti cholerici prædominantis, per aliquot annos in matrimonio vixerat, sed non nisi semel foetum, per aliquot dies vitalem, partu exclusit, reliquis hinc conceptibus abortu exclusis, qualem & ante 14. dies a duobus & dimidio mensibus conceptum cum copioso lochiorum fluxu excrevit, & prævia animi commotione fortiori, horrore primum, hinc aestu, siti, nausea, inquietudine, doloribus ventris & similibus symptomatibus febrilibus corripitur. Accersitus hinc ad locum, in quo degit ægropa, altero hinc lapide distantem, Medicus, nihil fecit reliqui, quin malis istis, selectis

occurreret remediis, sed per biduum penes ægram commoratus a medicamentis temperantibus, antispasmodicis, tonicis, ipsisque emeticis, clysteribus, aliisque sollicito & per intervalla exhibitis, nullum levamen, in primis quoad exquisitos abdominis dolores, observans, ægram dubio, ut res tulit, reliquit prognostico. Post ejus discessum, alius Medicus simul & Chirurgi opem ut imploraret, coacta fuit; doloribus enim sensim auctis, accedente inflammatione, eaque in suppurationem tendente, abscessus denique formatus est, quo aperto ingens quidem vis materiæ purulentæ profusa est, sed ægra viribus interea prostratis fatiscens, & febre hinc lenta, demum & hecūca consumta, elapsa nondum trimestri spatio, vitam cum morte commutavit.

Altera foemina plebeia, primipara, a partu vix exantato, doloribus exquisitis & perpetuis in abdomen laboravit, quorum causa cum ab initio lateret, ipsaque obstetrix in suspicionem læsionis cuiusdam in manuali operatione puerperæ inflitæ veniret, remediis paregoricis, emollientibus, temperantibus, antispasmodicis, carminativis & similibus internis & externis diu, sed frustra, pugnatum est, donec ægra sponte fateretur, se gravidam, a lapsu in terram facto, sensum istum tristem in loco affecto primum expertam esse, indeque constanter retinuisse, demum & incisione facta aperto, notabilis puris quantitas sensim prodiit, ægraque, consolidatione brevi in sequente, cum valetudine in gratiam rediit.

## OBSERVATIO CI.

Dn. D. JOANN. HERMANNI FÜRSTENAU.

*Ejusdem morbi diversa & singularia plane  
symptomata.*

Fratrum ut gratia s<sup>æ</sup>pe rara est, ita eosdem corpore & animo multum ab invicem s<sup>æ</sup>pissime differre, res in vulgus nota est, id, quod memorandum nunc venit, exemplum, si aliud, in memoriam revocat aurea QVINTILIANI verba: *Contingit tibi magna experimentorum materia, Medice, æ gri duo, languor idem, Declam. VIII.* Bini nimirum fratres, non germani tantum, sed & uterini, eodem victu, eodemque museo & lecto utuntur. Horum alter, & natu quidem major, purpura corripitur rubra, per totum corporis habitum velo quasi scarlatino expansa, prævia venæctione & paucis adhibitis remediis diapnoicis & temperantibus, cum simili regimine, ita feliciter decurrente, ut paucorum spatio dierum pristinam alacritatem viresque & appetitum recuperaret æger. Singularia, quæ ille ostendit, symptomata, fuere, partim quod ulcusculo in genu sensim cum invasione morbi senescente, & cum eodem evanescente & consolidato laboraverit, partim quod per totum morbi decursum diarrhoeam fere perpetuam, absque ullo purpuræ detimento & cum manifesto levamine, expertus fuerit. Alter & natu minor frater, hausto procul dubio a fratre natu majori contagio, & ipse eadem purpura rubra correptus, sed gradu longe minori, colore in corporis habitu rubicundo vix e longinquō conspicuo, nullaque vel diffīcili respiratione, vel anxietate præcordiali, ac inquietudine, sicut in priori, occurrentibus. Interea per octo de-

cemve dies lecto affixus nullum durante hoc tempore alvi beneficium expertus est, & subinde rogatus, id sibi consuetum, & quoties ægrotaverit, familiare semper fuisse (ut fratri ulcus in genu, in qualibet morbi invasione), sancte affirmavit, eventu optato utrumque confirmante adseratum.

(Rintelio Halam missæ d. 19. Novembr. 1749.)

## OBSERVATIO CII.

Dn. D. JOANN. JACOBI HUBERI.

*Animadversiones quædam de vesicula fellea, de vena umbilicali atque de ligamento suspensorio hepatis.*

### I.

Cum anno 1734. Basileæ inter privatos parietes dissecando cadavera humana anatomicis negotiis serio incumbere, incidi in sectionem infantis aliquot dierum, quem ex Nosodochio, curam ibi ægrotorum gerens, accepi. Perlustratis in eo visceribus, partibusque foeti propriis, duas animadvertisi vesiculos felleas, in communi sulco lobi hepatis dextri sitas. Rescidi hepar integrum cum pancreate, annexaque ductuum ope intestini duodeni parte, quo commodius & vesiculæ & ductus examini subjicerentur. Vidi tunc sulcum hepatis, pro recipiendis vesiculis simplieem, multo tamen, quam de more esse solet, latiorem, non vero longiorem, sed dimidium ad digitum latum supra marginem hepatis desinentem. In eo magna primum conspiciebatur vesicula, communi membrana externa obtecta, cum fundo duplici, sejunctim propendente, dum media pars atque

atque collum simplicia adhuc adparebant. Cum primum autem rescinderem caute tunicam externam, sequendo dehiscentiam, non nisi tunicæ cellulosaæ ope connectebantur binæ illæ vesiculæ. Separando dein omnem cellulosaæ, rescindendoque tunicam omnem, nexus cum hepate facientem, in conspectum prodibant duæ distinctæ ac completæ vesiculæ, quarum quævis fundo suo, corpore, cervice, atque ductu ad aliquot lineas seorsim incedente, gaudebat. Non tamen æquales quoad omnia erant inter se binæ vesiculæ, cum dextra, cuius fundus ad marginem hepatis proprius accedebat, paulo fuerat longior, atque in universum amplior, in sinistræ vero collo, singularis distensio conspiciebatur, dextram vesiculam attingens, quæ tertiam fere vesiculam, sed exilem admodum, referebat. Dicendum hic quoque, humorem effluxisse in sejungendo vesiculos a se invicem & a fulco hepatis, qui visui ex rubro viridescens, gustui subamarus erat. Nullos ductus, neque cyst-hepaticos, neque hepatico - cysticos detegere potui, cauta quamvis manu pertractatis & curiose perlustratis omnibus. Nec aderat ulla vesicularum læsionis suspicio, quod flatu distentæ, & in suppelæctili mea anatomica servatae adhuc vesiculæ satis monstrant. Posse enim cellulosaæ & tingi & amaritie bilis cysticæ imbui absque singularibus ductibus biliarriis, satis evincunt partes vesiculæ felleæ vicinæ, quæ absque cellulosaæ auxilio colore simili atque gusto imbuuntur; quales sunt v. gr. intestinum colon aut duodenum, peritoneum, omentum, vel pylorus etiam, quando, quod tamen non frequenter evenit, ad vesiculam usque se extendit, eamq; attingit. Hæc ea propter affero, ne ii, qui BIANCHIO nimium favent, & ductus cyst-hepaticos atque hepatico-cysticos hominibus adscribunt, incessisse putent trans cellulosa illam rescissam ductus tales, & ita vel attulisse eos, vel revehisse aliquid biliosaæ materiei, quod disruptione ef-

fusum sit. At vero ductuum cysticorum quivis, ut ad vesiculas redeamus, ad aliquot lineas sejunctus incessit, postquam e cervice quivis sua prodierunt; mox vero ii, in morem concursus ductus cystici cum hepatico, ad angulum influebant acutissimum: & ita demum ductus cysticus iste communis breve iter suum absolvere pergebat, & hepatico ductui insertus, choledochum producere adjuvabat, ut a communi illo ductu cystico pro re nata vel recipi bilis hepatica, & ad vesiculas vehi, vel effusa e duplice conditrio suo cystica intestino duodeno infundi possit. — Hepar certum more infantum recens natorum, constitutum erat; magnum valde, dextrum hypochondrium totum, maximamque sinistri partem occupans, & totum fere ventriculum obtegens lobo suo sinistro, atque umbilicum fere attingens.

II. Quod jam attinet ligamentum suspensorium hepatis venamque umbilicalem, notandum hic habeo, hanc cum peritonæi expansione incedere secundum lineæ albæ directionem, & rectissima fere via adscendere, & ita vix dextrorum vergere in junioribus, maxime in foetibus; nec arte applicatam esse musculis abdominis, prout in adultis evenit: sed quam primum illa e placenta prodiens, umbilicum foetus penetraverit, recedere cum productione peritonæi a pariete abdominis, & recedendo ab umbilico magis magisque penetrare interiorem abdominis cavitatem, usque dum pervenerit vena ista ad sulcum suum, in hepar exsculptum. Dum interea peritonæi productio & cum vena umbilicali incedat; & lineæ albæ, & diaphragmati, & convexæ hepatis parti, & fissuræ ejus accrescat, ligamenti hepatis suspensorii nomine. Istud jam ligamentum suspensorium non modo ad hepar terminatur, sed ad umbilicum usque se protendit in junioribus, dum ibi aliquot linearum latum prodiens, latescendo, & cum vena umbilicali incedendo

dendo ad hepar accedit, sicque fere triangulum acutum format. Per ætatem vero hæc omnia mutantur: hepar proportione reliqua corporis sui partium fit magnitudine exilior; reclinando a centro, atque evacuando hypochondrium sinistrum dextrorum magis vergit, longiusque ab umbilico recedit. Ligamentum suspensorium hepatis etiam dextrorum magis incedit, relinquendo lineam albam, longe remotius propendere incipit. Vena umbilicalis, in ligamentum mutata, per longam viam ab umbilico incedit arcte applicata musculis abdominis; nec quid propendens in hoc itinere emittit peritonæi, ut ita per ætatem evanescat ligamenti suspensorii portio tenuis, ab umbilico ad hepatis convexam partem usque propendens in junioribus.

III. Cum disputetur de situ vesiculæ felleæ, primo, quoad fundi eminentiam extra hepatis lobum, seu marginem ejus inferiorem; & secundo quoad fundi altitudinem ratione cervicis: hic ob argumenti affinitatem quædam de his addere vole. Quia vero hæc res pro diversa ætate diverso modo se habent, hinc frequens diversorum cadaverum inspectio eas illustrare commodissime poterit. Quamvis ab aliis dictum sit, vesiculam felleam pro diversa ætate vel eminere fundo suo extra hepatis marginem, vel intra illum desinere; & quamvis exactiores Anatomici industrie satis explanarint, vesiculam illam in junioribus, ob nimiam hepatis molem, non eminere extra marginem, & in adultis modo, retracto quasi hepate, ultra ejus oram prominere. Frequens tamen observatio me docuit, naturam nolle ad certas & ita rigorosas leges reduci. Non semel enim, sed repetitis vicibus vidi, vesiculam felleam prominere ultra marginem in recens natis, in pueris XII. dierum, IV. septimanarum, IX. septimanarum, VI. mensium, anni unius, duorum & quinque annorum. Contra quoque animadvertere mihi datum fuit intra marginem desinentem vesiculam.

culam in pueris VIII. & XIV. dierum, III. & V. septimanarum, anni unius & duorum, nec non in perfecta aetate. Quod ad alteram vero vesiculae situs quæstionem attinet, perpetuam magis servat vesicula legem, ut probe notandum sit, situm illum ratione cervicis atque ductus praeter Anatomicorum atque Physiologorum attentionem esse diversum pro aetate diversa. Non ergo ita generali ex sententia de omnibus pronunciari licet, fundum vesiculae neque esse paulo inferiorem cervice sua, neque cum aliis ita crude putare fas est, perpendiculariter propendere, & recta sursum, degenerando in cervicem, adscendere illam. Nulla harum sententiarum pro constanti in quavis aetate habenda, nulla ita simpliciter rejicienda est, sed repugnantes has sententias moderandas esse, non tam rationes physiologicæ, quam maxime cadaverum inspectio me docuerunt. Scimus, hepar valde magnum esse in foetibus, & junioribus homuncunculis, atque amittere quasi per aetatem molem suam, i. e. non ita reliquarum corporis partium in incremento ulterius pergere cum annis: Scimus, illud in recens natis umbilicum fere attingere. Inde facile est intelligere, fundum vesiculae altius propendere, deorsum magis vergere in pueris, quam in adultis, quibus hepatis margo tenuis, fere potius recta antrorsum & extrorsum directus est, quam deorsum. Hinc quoque pendet diversus vesiculae situs in diversa aetate. In recens natis fere, sed ne tum quidem penitus, perpendiculariter propendet vesicula, neque introrsum conversa, neque dextrorsum, neque sinistrorsum, vix tamen paulo retrorsum adscendendo in cervicem abiens. In pueris vero pauloque adultioribus oblique & magis introrsum (quia tunc dextrorsum magis inclinat margo tenuis lobi dextri cum fundo vesiculae) ac retrorsum, sursum vero paulo minus incedit. In adultis, & id quidem maxime in mulieribus, ut aliquoties animadverti, (iis enim ordi-

ordinarie hepatis margo altior paulo est, quo facilius nempe intestina cedere utero gravido possint & altius repelli) non retrorsum respicit cava hepatis pars, prout in junioribus, sed deorsum potius; atque ipsa quoque illa concavitas vix sensibilis est in senibus: hinc quoque in iis situs vesiculæ fere horizontalis est. Et ita tum demum perspectis hisce differentiis atque probe comparatis omnibus, veri quid de vesiculæ felleæ situ pronunciare licet, modo ratio semper habeatur diversæ ætatis, nec ad unam perpetuam legem homines omnes redigantur. Cum jam hæc ita sint, Physiologo demum concludere licet, recens natis atque pueris difficilius effundi bilem cysticam, ægre se exonerare, ob situm ad perpendicularē proximus accendentem; adultioribus autem longe commodius ac facilius id fieri posse, & hoc quidem ob situm vesiculæ ab horizontali vix recedentem. Et hoc satis convenire quoque videtur cum usu bilis, quum parciori ac tenuiori bile indigeant pueri, quia blandis ac vix pinguibus nutriuntur; dum contra homines perfecti atque adultiores, qui crassa ac pinguis ingerrunt, crassiorem copiosioremque, hinc cysticam magis, præ junioribus requirunt bilem, ad digerenda commodius & facilius assumta varia atque ad excitandos stimulos.

IV. In puerō trium annorum magnam valde observavi vesiculam felleam, pollicem latam ultra marginem pro-pendentem, totam quantam tenuem, atque pellucidam. Sulcus tamen, qui hepati ad excipiendam vesiculam insculptus est, intra marginem desinebat. Singulare, quod in illa animadverti vesicula, hoc est, quod bilis loco limpida & pellucida aqua repleta apparuerit. Erat ductus brevis admodum exilis aperturæ, ut primum vix ullam adesse putarem. In ipsa dein vesicula nullam plane inveni bilem, sed tres circiter uncias humoris viscidi ac pellucidi, qui colore, visciditate atque insipida qualitate sua ad albuminis ovi na-

turam accedebat. In fundo pauxillum humoris paulo crassioris ac subviridis erat, gustui tamen amaritatem offerentis nullam.

V. Exilem in pueru unius anni nuper demum reperi vesiculam, totam albam, crassam, quæ ligamentum magis referebat, quam bilis conditorium. Aperta paucas modo guttas bilis viscidæ continebat. Ipse quoque ductus ligamenti naturam exhibebat; clausus tamen non erat penitus, sed apertus, qui bili in cystide servatae transitum concedere potuerat, ne quis putet, in ipsa vesicula secretam fuisse bilem illam.

(Cassellis Halam missa d. 12. Decembr. 1749.)

### OBSERVATIO CIII.

Dn. D. HENR. FRIDER. DELII.

*Musculi gastrocnemii, soleus & plantaris, albi.*

Colores naturales partium nonnullarum corporis humani mutantur saepiuscule. In ictero flava redditur universa peripheria, præsertim oculi tunica albuginea, quæ in declinatione viridescere solet. Adsumta, nec non morbosæ fluidorum constitutiones, urinam reddunt aurantiam, vjridem, brunnam ac nigram. Bilem per vomitum rejectam, in infarctu a febre cum inflammatione hepatis juncto, vidi elegantissime prasinam, & colori viridi, qui jam magni aestimatur & *sans pareil de Saxe*, vel *viride alchymisticum* nuncupatur, proximam. Menstruatim e genitalibus virginis cuiusdam fluorem viridescentem prodiisse, qui & linteas tingebat, scio pro certo. In gangræna radii inflammatorii coerulei, rubri, flavescentes, varii observantur, doc-

nec in ipso sphacelo prorsus nigrescant. Offa animalium, quæ viva, radice rubiæ tinctorum saginabantur, rubra evadunt. Ipse chylus, si desit proportionata quantitas alcalini, vix colorem sanguineum induit, sed magis albicit.

Ante aliquot annos virile cadaver cultro meo anatomico subjiciebatur. Musculos in eodem præparare placebat. Ubi ad tibiam sinistram ventum erat, & communia integumenta cum pinguedine resecta, musculi gastrocnemii, suram constituentes, toti albi in conspectum veniebant, non aliter, ac tendines solent, nisi quod fibræ, solito musculorum more, laxiores tendinibus essent. Ne ullum aderat musculosæ rubedinis vestigium. Progredior ad soleum & plantarem, & utrumque itidem album invenio, si nonnullas in his fibras exceperis. Musculi peronæi & tibiae conSUeto musculofo rubore gaudebant, tendo Achillis rite constitutus erat. Vasorum conditio naturalis. In dextro quoque pede nihil non naturale offendebatur, neque hujus insolitæ albedinis vestigium.

Defunctus in vivis dum fuit, pauper fuit, neque Medicum, dum æger esset, adhibuit, ex quo historiam morbi & mortis querere potuisse. Aperto autem thorace permagnum pulmonis dextri abscessum reperiebam, qui sine dubio mortis caussa fuerat, cum reliqua viscera sanis similia, neque phthiseos indicia adessent, cum præterea pinguedo subcutanea satis multa adfuerit.

Jam, utrum hæc muscularum albedo coñata, an adquisita vel morbosa fuerit, vix decidere audeo, cum multa ad historias desiderentur, quæ tunc temporis indagari non poterant \*).

\*) Magnus enim cadaverum numerus in regium theatrum Be-  
rolinense fertur, (ubi etiam dicta observavi) eorum paupe-  
rum, qui hebdomadatim stipem ex ærario publico accipiunt,  
unde

Nolle hinc ex fibris albis elicere conclusionem, ac si muscularum actio non ab irruente sanguine, sed ab influxu liquidu nervei dependeat. Rubor etenim sanguinis a copia & attritu particularum globosarum, e sulphureo & alcalino mixtarum, oritur, & dum sanguis in minima vasa transit, ob istarum particularum numerum deficientem pallet. Videlimus id saepissime in mesenterio ranae viventis, ope compositi microscopii. Pars fluida hinc sanguinis, seu serum, simili ratione, ac sincerus fanguis, ad fibras musculares adaptata, ope motus fibrarum tonici, forte musculos movit. Neque inauditum est, homines fuisse otiosos, lacte caseoque abutentes, qui sanguinem albescensem in vasis habuere. Nuper etiam infans albus, parentibus Aethiopibus natus, non minimae fuit spectatoribus admirationi, de quo conf. libellum, *Venus physique inscriptum*, & *Histor. Academ. Reg. Scient. Paris. Ann. 1734.*

### OBSERVATIO CIV.

Dn. D. HENR. FRID. DELII.

*Fistula ani completa, in febre quartana, sine sectione feliciter curata.*

**E**x refrigerio æstate febrem catarrhalem cum efflorescentia purpurea patitur vir XLVIII. annorum, habitus strietioris, sed simul athletici, animi alacris, sed & plurimis meditationibus & pathematibus obnoxius. Aegre, ob complura

unde & defectus historiæ vitæ anteactæ, morbi & mortis derivandus est. Interim rariorem, licet incompletum, easum eschedis meis cum publico communicare melius judicavi, quam eundem silentii populo plane involvere.

plura exhibita calidiora medicamenta, restituitur. Haud ita multo post in itinere febre intermittente corripitur. Dominum reverso exhibentur promiscue calida & adstringentia, vi pessime unita. Irregularis hinc redditur febris, & cum multis deliriis, non sine vitae discrimine, continua evadit, attamen ad quartanæ indolem proxime accedens. In quartanam demum legitimam rationali methodo redigitur. Alvi obstructio antea iteratis clysteribus reserata erat. Accidit autem semel, ut æger sub ejusdem applicatione, quæ cum cannula & vesica facta erat, dolorem solito majorem in intestino recto sentiret, quique locus postea saepiuscule doluit. Jam in quartana intermittente legitima altero die vacuo lenia laxantia cum fructu exhibebantur, & omittebantur clysteres. Cum autem æger ante morbum post usum nonnullorum haustulorum vini Burgundiæ communissime sanguinis hæmorrhoidalis excretionem expertus esset, ita in præsenti morbo motus hæmorrhoidales, colica, vomitus, diarrhoea, tenesmus saepius adfligebant, hocque eo magis, cum ante decem annos jam adfuerit abscessus circa anum, ad glutæum musculum, minime autem ad intestinum, penetrans, sinumque formans, qui iterata sectione demum curatus erat. Molestam hinc sanguinis hæmorrhoidalis ad intestinum rectum directionem hirudinum applicatio paululum levabat. Sed supra notatus locus intestini recti per intervalla, plus, minus, dolere non cessabat. Post molestissimum demum tenesnum, murium marinorum suffitu, per instrumentum infundibuliforme adacto, nec non lacte cum millefolio cocto non plane sedato, circa ani orificii latus dextrum tuberculum minus conspicitur, quo altero die rupto, & aliquantulo puris evacuato, omnis cessabat dolor. Apertura lacrymale punctum paululum superabat. Interim titillatio in dicto intestini recti loco nondum plane cessabat, meritoque oriebatur suspicio communi-

nicationis, præsertim cum ex anno interdum purulenta quædam materia parcus effluxerit, ab hæmorrhoidum sic dilatarum materia longe diversa. Dilatato paulisper ani orificio, ipsoque sphinctere, excoriatione quædam intestini, in qua ea minima quædam apertura apparebat. Febris hucusque eadem. Jam inquirendum erat, utrum vera inter aperturam externam & internam adsit communio. Eligebatur *syringa absque tubulo*, ad modum HEISTERI, quam *Instit. Chirurg. major.* p. 469. commendat, sed rotundiori & globosa seu potius hæmisphærica extremitate donata, in cuius medio foramen minus aderat, per quod liquor injici poterat, & angusta apertura repleti, cum hæmisphærica ista structura regressum liquidi modesta peripheriæ compressione impeditret. Tali ratione detegebatur vera communio, & fistula perfecta. Decernebatur jam sectio, cum isthmus ille inter utrumque foramen nondum pollicem æquaret. Ast cum immedicabilia demum vulnera sint ense rescindenda, cuncta prius tentanda fuasi. Ordinavi hinc decoctum Nicotianæ saturatum, cum oleo ovarorum & myrrha per deliquium mixtum. Hoc ope syringæ descriptæ eburneæ bis quotidie tepide iniiciebatur. Alia adhuc utebatur syringa orichalcea cum tubulo, cujus vero consueta apertura ferruminando claudebatur, aliaque lateralis præparabatur in hunc finem, ut in modum cannulae clysmaticæ in ipsum anum introduci hoc modo possit ita, ut lateralis apertura syringæ liquorem aperturæ fistulæ internæ iniciere queat, qui etiam per externam aperturam profilire visus est. Sæpiuscule autem anus linteolo obturabatur, ita ut liquor injectus paulo diutius in fistula remanere potuerit, cujus orificium externum, interea sensim paulisper dilatatum, turundula claudebatur, superimposito emplastro saponato Barbette camphorato. Dicto liquori postea jungebatur agrimonæ & veronicæ decoctum, nec non pro ulteriori consolidatione, myrrha

myrrhæ & succini essentia & balsamus de Copai-va. Neque spes nostra frustrata est. Febris etenim antea corrupta jam legitime tractata, regulariter, secure & feliciter decurrebat, nisi quod sub finem in quotidianam versa esset. Post aliquod tempus quoque fistulæ apertura externa minore consolidata, ita ut injectum liquorem non amplius transmitteret, injectio per anum sola semel per diem ope syringæ secundæ facta, & simul linteolum, balsamico isto liquore madidum, leniter introductum est, qua ratione ægrotus a longo & gravi multisque symptomatibus & variationibus stipato morbo, cuius ambitum & curationem vero in præsenti prolixius describere animus non est, convaluit, *fistulaque completa sine sectione curata.*

### *OBSERVATIO CV.*

Dn. D. HENR. FRIDER. DELII.

*Tumor singularis malæ sinistræ ante obitum.*

**O**lim in viro evsarco, febre lenta, ex iracundia singulari orta, extincto, aliquot ante obitum diebus observavi tumorem, nucis moschatæ magnitudinis, sine notabili occasionali causa, infra os zygomaticum sinistrum exsurgentem. In alio phthisico similem in mala dextra sub iisdem conditionibus vidi. Anatomica utrorumque indagatio post mortem non permittebatur. Ante aliquot annos autem determinatus quidam juvenis phthisicus curæ meæ commendabatur. Haud difficile erat, funestam prognosin formare, cum per quatuordecim jam dies cum molestissima tussi sanguinem purulentum exscreaverit, cuius quantitas quotidie ad minimum ad uncias quinque accedebat, & corpusculum continuo æstu febrili depasci videretur. Dum autem roga-

aus

tus eundem sæpiuscule visitarem, in mala sinistra, in regione molaris dentis secundi, conspicio tumorem fabæ magnitudinis, & unde ille ortum trahat, inquiero. Aegrotus, cum nullum ibi dolorem sentiret, vix illum curabat, neque causam adferre poterat. Ego autem binis jam exemplis edocetus illum pro mortis prænuncio tacite reputabam, præcipue cum indies in majorem molem & demum in ovi gallinacei magnitudinem ex crescere. Mirabar autem simul, in nostra scientiæ medicæ luce Medicum quendam tumorem hunc pro nihilo in principio aestimasse, & cum indies augeatur, tandem pro acrimoniæ effectu, in corpore hoc illucce volitantis, habuisse, quæ dum in pulmonibus vasa corrodendo hæmoptysin excitaverit, jam pro bono signo metastaseos ad malam se convertat, & lapidibus saltem cancrorum, nec non decocto lignorum obtundenda sit, cum tamen ægrotum jam altero pede in cymba Charontis esse quilibet videbat. Sed hæc in transitu. Tumorem autem ipsum aperire, vel aliis emplastris unguentisve maturationem ejusdem promovere non consultum erat, ne ægroti brevi discessuro nova adderetur adfligatio. Tertio enim ante obitum die noctu enormis oriebatur hæmorrhagia narium, qua forte libra una cum semisse sanguinis sinceri excernebatur, ægrumque mortem exspectantem ad incitas redigebat, donec extremorum ligatura fortior paululum sanguinem sistere videretur. Interea per ultimos hos vitæ dies ægrotus sanguinem non amplius expuebat, spiritus autem suppressio valde augebatur, qua tandem etiam extinguebatur. Aperto post mortem thorace, dexter pulmonis lobus totus erosus in eoque ultra libram puris sanguinolenti inventebatur. Tumoris autem faciei conditio curiosius investigabatur. Cruciatim ergo cutis dissecabatur, & tum inter musculum subcutaneum, buccinatorem & membranam, oris interni cavitatem investientem, pus latitare observatur,

tur, cuius eximia quantitate evacuata cavitas tumoris per ampla reddebat. Cavitate hac spongia elota, caussa tumoris demum in conspectum veniebat. Aderat nempe *caries ossis maxillaris tanta*, ut ad antrum Highmori penetraret. Duo molarium dentium nigredine consumptierant, ipsique alveoli cariosi. Propinqui defuncti, ea de caussa interrogati, respondebant, nostrum olim odontalgia saepius laborasse, variisque pro tollenda ea usum fuisse. Forte eadem fuit caussa in subjectis supra memoratis, quorum sequitur post mortem non concedebatur. Notabile autem mihi visum est, tumorem exortum fuisse in subjectis hecticis. Ergo ad signa prognostica ex facie tumor hicce forte referendus, sed majori antea experientia & nexus pathologico confirmandus.

### *OBSERVATIO CVI.*

Dn. D. HENR. FRIDER. DELII.

*Ventriculus admodum tenuis & pellucidus.*

**V**irgo LII. annorum, habitus corporis spongiosioris, animi elati, inter alia pathemata morbi chronicæ, qui convolutionibus & deliriis stipatus erat, frequentes numerabat vomitus. Quotidie ventriculum dolere conquerebatur. Consueverat autem quotidie clystere quodam simplici album referare, opinione ducta, ac si pulchritudo cutisque elegantia inde augeretur. Dolorosæ porro circa ventriculum sensationes, vel imaginationes, eo perducebant nostram, ut vix diem transigere potuerit, quo non pulveres temperantes, corticum aurantiorum effentiam, seu pilulas balsamicas adsumferit. Interim appetitus plurimum erat constans. Quodsi autem se se paulo magis tantum ægrotam sentiret;

Medicus vix satis medicamentorum præscribere poterat, eum semper plura appeteret. Sæpiuscule etiam Medicum hortabatur, ut, quando fatis cedere coacta fuerit, ipse corpus exanime aperiat, & præsertim ventriculum curatius inspiciat. Hæc omnia sæpe Medicum eo perducebant, ut, cum subito, post adsumta optima eupepta, vomitu eadem iterum reddi observaret, in hæc verba erumperet: Certe parum abest quin credam, ventriculum hunc esse chartaceum, (*sie müsse ohnfehlbar einen Magen von Post-Papier haben*). Accedebant demum nonnulla & sonica animi pathemata, sub quibus nostra in adfæctum soporosum, coma vigil, ipsum denique carum incidebat, quo tertio die, prægresso secundo ante obitum die novo insultu convulsivo, irritis omnibus adhibitis, vitam cum morte commutabat.

Corporis dissectio, propter copiosam tam sub cute, quam intra abdomen, pinguedinem, valde operosa erat. Interim in hypochondriis morbi caussa latitabat. Lien sanguine nigricante grumoso refertus erat, ipsumque parenchyma semiputridum, ita ut digitis compressum facile diflueret. Hepar non adeo morbosum, nisi quod vasa sanguifera, vena portæ præsertim, sanguine spissæ distenta observarentur. In vesicula fellea quinquaginta duo calculi, pisí magnitudinem & numerum annorumvitæ defunctæ referentes, quorum unus ductui choledoco impactus, & propria membrana cinctus erat. In ipsa vesicula nulla bilis, mucus tenacis parum. Ventriculus vacuus, permagnus, admirationem merebatur, præcipue cum vulgo sic dictum fundum, seu arcum majorem & cavitatem sinistram tandem admodum mollem & tenuem observarem. Mutato paulum situ & protracto ventriculo, candelam admovebam, noctu enim peragebatur sectio, & curioso spectaculo ventriculi membranas, easque pro situ jam duplicates, transparentes & pellucidas,

das, candelæ radios facile transmittentes, observavi. Parva facta ventriculi incisione, digitis facilissime eandem dilatare, immo ipsum ventriculum lacerare poteram, cuius interna facies omnino omnibus rugis villosis expers cernebatur. Uterus autem, qui antea pro fede morbi constanter habitus erat, admodum parvus, durus & naturaliter constitutus apparebat.

Jam adhibita ulteriori historiæ morbi indagatione, prima ventriculi morbi origo patebat. Ante aliquot enim annos, defuncta binas satis amplas lagenas *aquarum medicarum Seidschützensium*, vulgo *Bitter-Wasser*, non tam ex errore, quam lubens, sub spe melioris valetudinis, intra aliquot horas hauserat. Confestim ingens ventriculi inflatio & fere crepaturæ sensus oriebatur, & epigastrica cum gastrica regione ad modum globi majoris tumebat, scrobiculo cordis plane deleto, pectore ad suffocationem usque angustato, ex quo tempore nostra usque ad vitæ finem valetudinaria redditia erat.

Dum hæc meditor, causamque & decursum animo volvo, certe generosam quandam virginem, annorum XIX. anni alacris, temperamenti sanguineo-cholerici, miror, quæ sanctissime adseverabat, aliorumque testimoniis confirmabat, se, consuetæ alvi seignioris pertæsam, uno die itidem binas lagenas aquæ *Seidschützensis*, cum salis eiusdem uncia semissæ, epotasse, in prandio inter alia lacte & petasone fulmo indurato delectatam fuisse, & versus vesperam poma recentia prunaque avide adsumsisse, post cœnam saltasse, neque postea damnum inde, præter diarrhoeam leviorum, expertam fuisse. Certe effectum insontem potius gratulari, quam imitari fas erit.

## OBSERVATIO CVII.

Dn. D. HENR. FRIDER. DELII.

*Phosphorescentia lapidum & gemmarum.*

Constat inter omnes, quantopere per aliquot annos animalia conflagrassae viderimus, tot illustribus experimentis phosphorescentiae & electricitatis corporum accensos. Felix periodus! ex quanovam annorum seriem læta numerabit Philosophia naturalis. Hac occasione *lapidum phosphorescentiam, & zemmarum*, diurno sole illustratarum, lucem noctu redditam de novo mirati sunt multi. Adjungam qualemque observationem. Mittebantur mihi ab amico lapides duo, ovalis figuræ, albicantes, sub titulo: *Quarzum phosphorescens ex Oceano non procul Kilonio*. Hi, in loco obscuro invicem attriti, per totam substantiam quasi ignei & pellucidi apparebant, & odorem ingratum sulphureum spargebant. Wernigerodæ tunc temporis commoratus, in memoriam revocabam, me saepius in rivis Ilse & Ecker similes lapides, quos pro silicibus semper habueram, observasse, & ob candorem & figuram rotundulam collegisse. Eosdem ergo etiam invicem adfrico, eandemque lucem & phosphorescentiam, eundemque odorem, licet debilius utrumque, animadvertere contigit. Lapidès vero cornei communes pyromachi, (*Feuer- und Flinten-Steine*) adhuc debiliorem lucem odoremque, neque nisi fortiori attritu, edunt. Ad alios autem lapides pretiosiores progressus sum, scilicet ad smaragdum, hyacinthum, amethystum, topasium, carneolum. Non autem istos adhibui, quos genuit India, ut pote pro experimento nimium caros, sed eos, qui majoribus frustulis profant, pretioque haud ita magno venales in Pharmacopoliis & apud gemmarum sculptores, natalique loco Saxonie.

Saxonici, Bohemici, Barutho - Fichtelbergici, Hercyniive sunt. Hi quoque ut plurimum magis sic dictis fluoribus *gemmeis*, quam ipsis gemmis solidioribus comparandi, &, fissuris hinc inde prædicti, operosiori culturæ & polituræ non destinati sunt. Hos invicem adfrictos difficultime lucis cuiusdam speciem spargere animadverto. Adfrico autem in hypocusto tenebricoso fornaci ferreæ ac calidæ, & ecce per pulchra apparet phosphorescentia. Amethystus autem, hyacinthus, topasius debiliorem, carneolus magis imminutam lucem spargunt. Pulcherrime autem elucet smaragdus sic dictus, vel potius *fluor smaragdinus*, *pseudosmaragdus*, *quarzum viridescens*, vel *aqua marina*, nuncupatus. Frictione literas pingo, quæ in ipsa fornace calida per aliquot horæ minuta eleganti spectaculo, constanter phosphorescebant, & odorem manifesto sulphureo - urinosum spirabant, indicio, *phosphorescentiae caussam in actione acidi salis communis* & *phlogisti tenuioris*, *sulphuris speciem constitutente*, latitare. Parum abest, quin *ignis electrici* veram caussam in hoc ipso quæram. Sub frictione pulvillus smaragdinus in fornaci laminæ inferioris, itidem calentis, margines decidebat, qui prunæ instar diu candebat.

### *OBSERVATIO CVIII.*

Dn. D. HENR. FRIDER. DELII.

*Infusum Theæ subito nigrum redditum.*

**E** consueta pyxide, in qua, semper clausa, herbam Theæ, eamque optimæ notæ, servabam, pugillum in consuetum immitto cantharum, infundo aquam calidam solitam, in aheno solito, statno obducto, coctam. Tum infusum in mundam effundo patellam solitam cum saccharo. Sorbillo.

Color infusi, odor, sapor consuetus, gratus. Denuo unum vel alterum sacchari frustulum patellæ immitto priori, addo infusum, inter infundendum proh! quanta est subitanea & inopinata mutatio! Infusum nigrescit. Quid ergo hoc sibi vélit miratus nescio. Odor paululum gravis, sapor adversus. Profsus eadem instrumenta; prima patella bona, legitima; omnino nihil novi accessit, quare altera tantopere variata? Confestim aliam patellam sumo, diligenter mundo, addo ex eodem vase saccharum, adfundo idem infusum, color, odor, sapor naturalis iterum ut antea. Quale portentum? qualis influxus astralis? quale omen? Rideo. Succenseo. Omnem autem errorem excutiendum ratus, forte colorem peregrinum a charta coerulea, qua involvuntur saccharini coni, cuius forte particula saccharum & cum eo infusum tinxerit, derivandam esse hariolatus, frustulum chartæ coeruleæ saccharinæ in tertiam patellam conjicio, saccharum & infusum addo. Color, odor, sapor idem. Nondum animus tranquillus. Neque jam manus nigredine maculatæ, neque chymico labore jam occupatæ erant. Revoco autem in memoriam, infusum Theæ, si adsum seris aquam fontis aliquas soterii vitriolicam, evadere nigram. Tres ergo patellas recipio mundas, in hanc conjicio tantillum vitrioli viridis, *in istam tantillum vitrioli albi*, in illam guttulam olei vitrioli. Omnibus superinfundo infusum, addito saccharo. Ecce prima & tertia subito nigerrimæ redduntur, *media nigrescit*, & patellæ, quæ antea in admirationem me rapiebat, fit similis. Jam problema forte solutum, & mali ominis & venenitumor cum miraculo vel portento dissipatus est. Scilicet verosimillimum esse credo, conum istum saccharinum, de quo frustula sumta erant, in mercatoris officina in loco quedam forsan adtritum passum esse. Hoc loco saccharo nudo vitriolicum quoddam exigua quantitate, casu, quorum mille possibles sunt, mixtum est; *hoc inquinatum sacchari frustum*,

*lum, colore non variatum, jam ad patellam, casu, inscius dedi, quippe quod, ope vitriolici commixti, infusum Theæ subito nigredine tinxit.*

(*Erlanga Norimbergam missæ d. 15. Januar. 1750.*)

### *OBSERVATIO CIX.*

Dn. D. JOANN. SEBAST. ALBRECHT.

*Ducatus Coburgensis agri, cum vicinis, corporum petrefactorum, ex utroque regno, copia & varietate nullis secundi in Germania.*

**A**nte hos decem fere annos celebris quidam vir, in historia naturali versatissimus, *Ludovicus BOURGUET*, proximo ante mortem anno, (nam 1743. in Novis castris, publico litteratorum luctu, fatis cessit,) in peculiari scripto: *Memoires pour servir à l'histoire naturelle des petrifications, dans les quatre parties du monde* (a), magna industria indicem exhibuit locorum, ubi petrefacta, i. e. ejusmodi corpora naturalia reperiuntur, quæ organicam quidem suam structuram vel animalibus, vel plantis debent, at casu humo defossa aliam plane induerunt substantiam, hinc mineralibus potius, quam animalibus vel plantis, nunc annumerantur. Recensitis Tom. II. illis Autoribus, quotquot vel in Gallia, vel in Italia, Helvetia, Germania, Anglia, &c. de ejusmodi rebus, ad amplificandam historiam naturalem, scripsisse noverat, indicem subjungit geographicum locorum illorum omnium, ex quatuor mundi partibus, qui in sinu suo recondunt hujus ordinis lapides. In Germania ex circulo Franconico laudat, ob fertilitatem ejusmodi petrefactorum,

Wür-

(a) in 4to à la Haye, chez Jean. Neaulme, 1742.

Würzeburgensem seu Herbipolensem, Manebachensem, Aichstadensem, Altdorffensem, Noricam, Winckelheidensem, Hagenhusanam, Sulensem & Ilmenavensem ditionem. Sed Coburgenses etiam agros, cum confinibus, illis adhuc annumerandos esse, jam anno 1726. docui Virum quondam celeberrimum, Dn. D. Job. KANOLD, ob variam eruditio-  
nen & *Vratislaviensis* amplissima & doctissima *Miscella-  
nea* nemini non notum, in peculiari Epistola, quam C. F.  
NEICKELII, aut potius EINCKELII, Hamburgensis mer-  
catoris nobilissimi, *Museographiæ* (b) inferere dignam ju-  
dicavit (c). Deinde in *Commercii litterarii Norici ann. 1737.  
Hebdom. XLVIII.* p. 373. nec non anni 1739. *Hebdom. IV.*  
p. 26. indicavi, magnam ligni petrefacti copiam, cuius ad-  
huc multa centenaria in aula Sereniss. nostri Principis, Patris  
Patriæ optimi, asservantur, duritiei & splendoris, post politu-  
ram, vere achatini, Coburgi, prope pagum *Grub* repertam  
esse, quod in *Museo Richteriano* splendidissimo *Xyloachates*  
vocatur a seculi nostri Plinio, Viro doctiss. & celeberr. Dn.  
D. Jo. Ern. HEBENSTREIT (d). Ex iis, quæ hactenus di-  
cta sunt, satis abunde patet, Ducatus Coburgensis agros cum  
confinibus, æque ac Thuringicos, Hennebergicos, Franconi-  
cos, petrefactorum copia & varietate esse divites. Hoc vero  
ipsum nunc novorum exemplorum spicilegio confirmabo.  
Quod si iter a civitate nostra septentrionem versus instituunt  
rerum curiosi, & pagos plures, qui a *Lautera* amne nomen  
for-

(b) Prodiit hæc 1727. Lips. & *Vratislaviæ*, sumptibus Mich.  
Huberti, in 4to.

(c) Vide illam Parte I. p. 145. seqq.

(d) pag. 263. ubi aliæ adhuc species *Lithoxyli Coburgensis*  
enumerantur, quibus ex Museo meo qualicunque addo frag-  
menta ejusdem, quæ viridescente colore, plane eodem, qui  
in putredine corruptis salicum truncis conspicitur, oculos  
& mentem delectant.

sortiti sunt, *Ober - Lauter*, *Inter - Lauter*, *Tieffe Lauter*, *Zettel - Lauter* transiunt, in viis, in agris, in primis vero in torrentis alveo, (*im Orläss - Graben*) copiam eorum colligere possunt. Nam tempestatum vehementia ex declivibus undique agris, aquarum copia collecta, impetu suo & secum rapit ad hunc alveum ejusmodi lapides, & subverso ejus fundo denuo eosdem ex imis eruit. Iter ulterius prosequuti versus Schalcoviam oppidum, ad pagum veniunt, qui dicitur *Weissenbronn*, prope quem jucundo spectaculo & plane mirabili fodinam reperiunt, lapide calcario albo, tenuissimæ structuræ, quem *Spar - Kalch* vocant, fœtam, qui ipse lapis per calcinationem fatiscit in pulverem subtilem, lectissimæ albedinis, in architectura ad dealbandos parietes desiderati usus. Inter ipsos vero illos lapides strata observantur tophi albescens, friabilis, arenosi, plerumque humidi, qui autem liberiori aeri expositus mox exsiccatur, & successisse magnum firmitatis seu soliditatis gradum acquirit, & ob levitatem, nec non porositatem, quam conjunctam habet, quoque interposito cemento firmissime combinatur, indeque in extruendis ædificiis & fornicibus formandis non minoris est usus. In hoc vero ipso topho variarum arborum & fruticum folia, substantiæ ejusdem elegantissime impressa, quasi studio hominum, superfuso liquato gypso parata, sed varie convoluta & confusa ordine collecta reperiuntur magna in copia, v. g. quercus, fagi, alni, pomi, cerasi, fraxini, rubi, immo ipsius vitis, &c. Neque vero solæ elegantissime impressorum variorum foliorum figuræ delectant, sed attentionem merentur interpositæ hisce voluminibus cavitates majoris minorisque diametri, cylindraceæ, aut si mavis, conicæ, ortæ ex ramisculorum & stipitum sarmenatorum consumpta substantia, solo superstite in illis paucō cinere levissimo, quoad colorem cineribus vulgaribus plane simili. In viis & agris circumiacentibus simul copia Nau-

tilitarum & Cornuum Ammonis, variarum specierum, substantiae marmoris crudi, observatur.

Quodsi vero vel ab urbe proficiscens, vel ex Lauteranis agris quis sinistrorum, versus N. W. flectat iter, ad viacos, *Moggenbron*, *Walbur*, *Elsa*, *Alstadt* & oppidum *Rodach*, tunc ubique in agris petrefactorum conchyliorum varia specimen colligere poterit. Eminent inter haec magni moduli *Cornua Ammonis* & *Nautilites*, plurium librarum ponderis prope *Alstadt*. Ex his ipsis possideo cornu Ammonis XIII. unciarum, seu transversorum digitorum diametri. Non mino autem *Nautilites*, si extremæ spiræ ambitus interiores omnes tegit; sin vero una cum extrema omnes interiores, ad dimidium saltem, conspicuae sunt spiræ, tunc *Cornua Ammonis* dici malim.

Rerum curiosi si ab urbe iter dirigunt in plagam inter septentrionalem & meridionalem intermedium, circa pagum *Blumenroth*, invenient lapides calcareos, mytulis refertissimos, in massa subaquili coloris, flavedine aliqua tincta, a Lauteranis maxime inde diversos, quod substantiam testaceam, organica structura omnino integra, mutatam videant in spadiceam. Hi lapides, polituram experti, marmoris elegantissime variegati, licet minus duri, speciem habent. Versus Orientem ulterius progredientes, veniunt *Fechhemum* (e) *Fulbachum superiorem*, *Garnstadios*, *minorem* & *majorem*, pagos, de quibus ea nunc repetere nolo, quæ in Epistola ad celeb. *KANOLDUM*, superius allegata, jam retuli. Pauca potius addam ex vicinia. In vinetis Monasterii antiquitate sua illustris Ordin. St. Benedicti, *Banz*, S. *Banthi*, cuius mon-

(e) De eleganti, figuris hieroglyphicis quasi ornatissimo Belemnite, hic olim reperto, vid. *Actorum horum Volum. IV.* *Observ. XV. p. 72.*

montis radices Mœnus fluvius alluit, in lapide fissili, cineri coloris observare licet plana tantum impressa testaceorum bivalvium copiosa simulacra, ostrearum, chamarum rugosarum, tellinarum, mytulorum, cum univalvium rarissima sint exempla. Aliquot inde stadia trans Mœnum & vallem amoenissimum, amplissimum, fertilissimisque agris & pascuis interdistinctum, proximos huic montes, prope Monasterium celeberrimum immediatum, Ordin. Cistertiensis, *Langheim*, in agris cujusdam pagi *Uzig*, Nautilites & Cornua Ammonis variarum specierum, medii & minimi moduli, a pyrite aureo colore elegantissime infucata & fulgentia, Museis quæ asserventur dignissimæ, copiose colligi possunt, bivalvibus contra rarissime obviis. Satis nunc probatum esse reor, agros Coburgenses cum confinibus rerum ejusmodi & varietate & copia nullis in Germania esse secundos.

(*Coburgo Halam missæ d. 27. Januar. 1750.*)

### OBSERVATIO CX.

Dn. D. JOANN. CONRADI TRUMPHII.

*Hernia incarcerata, cum imminentे jam passione iliaca, remediis in- & externis, sine sectiōne, iterum liberata.*

Fœmina LXIV. annorum, temperamenti sanguineo-cholerici, diaetæ falsæ, acidæ, & in specie crebriori usui carnium fumo induratarum & sale conditarum olim nimium indulgens, & exinde aliquoties haftenus purpura scorbutica, itemque frequentioribus calculosis & hystericas pathematibus adficta, sub initium mensis Maji anni præteriti de ventris tormentibus, per intervalla subinde recurrentibus & se se exacerbantibus, conqueritur, quorum mitigatione

tionem, variis jam incassum adhibitis domesticis remediis, tandem usu Mithridatii & spiritus cornu cervi obtinere intendit. Ast, sperati levaminis in locum, succedit plenaria alvi obstrūctio, cum majori torminum incremento, unde tandem auxilium a me petit. In causas varias inquirens, cum sciscitando nullam detegere possem, pulveres antispasmodicos, cum oleo millefolii vero remixtos, & cum Tinct. Rhabarb. alternatim quolibet bihorio adsumendos, interposita mixtura, ex aqu. carmin. Dorncr. meliss. millefol. flor. samb. & liquor. miner. anod. exhibeo, globulosque saccharinos successive adPLICARI jubeo. His vero nihil proficiuntibus, & superveniente tertio die vomitu, cum singultu, viriumque imbecillitate, quum iterata vice serio inquirerem, an forsitan hernia laboraret, tandem fatetur, quod diu edicere debuisset, adesse nimirum inguinalem herniam. Inveni eandem in ipso annulo peritonæi hærentem, valde duram & constrictam, ac magnitudine ovum columbinum quadantenuš excedentem, & insimul comperi, quod eandem jam ultra semestre spatum sine subligaculo gestaverit, commode autem antea semper, quando in dorso decumbet, reponere illam potuerit, quod vero nunc nec ipsa, nec Chirurgus statim in auxilium vocatus, præstare valuit. ApPLICatur ergo statim clyster emolliens, & tumori hernioso imponitur cataplasma, ex rad. alth. lilio. albor. herb. malv. vulg. parietar. melilot. flor. chamom. vulg. samb. sem. lini & carvi paratum, & cum lacte coctum. Clyster paucissima educebat excrementa, quæ in intestinis crassis forsitan infra constrictiōnem hæserunt, unde post meridiem ejusdem diei aliis, in quantitate paulo majori, adPLICabatur. Accedebat insuper ani procidentia, ægrotæ alias maxime familiaris, cum tuberculis hoemorrhoidalibus in ambitu intestini recti simul prodeuntibus, ex quibus etiam parum sanguinis exstillabat. Urina evadet rubicunda calorque accedebat

cedebat febrilis, unde de V. S. ne administranda quidem cogitabatur, quæ tamen omittebatur, quoniam ægra non admodum plethorica erat, eandem ordinarie multum reformatbat, insuperque iam eandem initio præteriti mensis præservative admiserat.

Tumori hernioso, a prædicti cataplasmati applicatione nihil mutato, linimentum, ex ungu. dialth. axung. Taxol. chamom. cocto & pauxillo camphoræ paratum, inungebatur, & quoniam secundus clyster, licet in quartam usque horam remanserit, nihil plane secum eduxit, hinc tertius, ex speciebus emollientibus, cum sero lactis coctis, paratus, additis olei lini 3ij. & nitri antimoniat. 3ij. horis vespertinis injiciebatur, sed irrito pariter cum effectu. Nox hinc admodum erat inquieta, vomitusque continuabant, ut omnia tam medicamenta, quam potulenta, statim rejiceret; hinc summo mane quartus applicabatur clyster, ex mensura dimidia seri lactis, syrapi dialth. Fern. 3ij. olei Lini expr. 3ij. & nitri antimoniat. 3ij. paratus, qui elapso trihorio itidem frustra rejiciebatur. Ad imminentem ergo inflammationem præcavendam equidem partim pulveres leniter camphoratos, partim emulsionem diapnoicam, ex seminibus card. ben. & card. Mar. paratam, ordinavi; ast, quoniam omnia assumta, etiamsi in minori porrigerentur dosi, vomitu illico rejiciebantur, unica hinc spes, quoniam herniæ incarceratae liberatio & repositio, per sectionem chirurgicam, sæpe etiam fatalis esse solet, in diligentem clysterum repetitionem reponenda erat. Sextus hinc clyster post meridiem, ex sero lactis, cum syr. dialth. Fernel. & rosar. solut. paratus, itemque vespertinis horis septimus, ex lactis vaccini mens. dimid. olei lini expr. libra dimid. & salis commun. 3ij. constans, injiciebatur, uterque autem, elapso circiter trihorio, sine ullo effectu reddebatur, subsequente dein iterum nocte valde inquieta. Matutinis dein horis quarti diei mu-

lierculæ adstantes suppositorium, ex melle, sapone & excrementis passerum constans, applicabant, hocque nihil proficiente, hora IX. clyster octavus, ex decocto herbar. & flor. emollientium, cum fol. Senn. Alexandr. & salis cathart. anaar. ana 3*lb.* paratus, injiciebatur, sed simili frustraneo, cum prioribus, effectu. Post meridiem hinc subjungebatur a mulierculis aliud suppositorium, ex sevo cervino, melle, sapone, & murium excrementis confectum, quo pariter nihil proficiente, hora VIII. vespertina novus clyster, qui ex decocti flor. chamom. vulg. samb. & melilot. cum lacte parati 3*xviij.* Sacchar. Thom. 3*lb.* & Sapon. Venet. 3*vij.* constabat, cujus ope tandem, divina benedicente gratia, pertinax superabatur alvi adstrictio, fecesque multæ, summe foetidæ, educebantur, cum subsequente lipothymia, a qua tamen ægra, in lectum iterum delata, facile excitabatur. Iterata dein, post horæ intervallum, altera excretione, pariter maxime foetente, hernia quoque incarcerata, soluta strictura, in abdomen retrocessit, evanescente simul externa duritie & levi saltem adhuc superstite tumore. Bene hinc dormivit sequente nocte, conquiescentibus etiam successive vomitibus, aliquoties adhuc post alvi reserationem iteratis, quibus mucus saltem viscidus exprimebatur.

Proxime ergo subsequentibus diebus reassumtus fuit usus internorum remediorum, & primo quidem saltem Tinæ. Rhabarb. cum liquore terræ fol. tartari, bis de die ad guttulas LX. exhibebatur, interposita aliquoties Tinctura papav. rh. cum liquore minerali anod. remixta, unde sati tranquille se habuit, subinde dormivit & sudavit. Pomeridianis dein horis, post factam alvi apertione, ægram invisens, in facie & collo satis copiose prodeuntem notavi purpuram rubram, unde pulveres ex diapnoicis fixis paratos, ter vel quater intra nychthemerum assumendos, & pro potu ordinario p̄fisanam tenuem commendo, injuncto simul regimi-

regimine temperate calido, & interposito insuper, pro vi-  
ribus reficiendis, julapio, ex aquis melissæ, flor. til. samb. ce-  
rasor. nigr. & lilior. convall. sine vino, additis syrups cort. ci-  
tri, berberum, & spiritu nitri dulci, parato, usū vero ulteriore  
leniorum laxantium, aut ipsorum etiam clysterum, continu-  
ante nunc debito alvi successu, plane seposito. Sequentibus  
diebus; quum tardius progredientem purpuræ eruptionem  
deprehenderem, ita ut, præter faciem & collum, in reliquis  
partibus vix quicquam de ea in conspectum prodiret, bis  
saltem de die guttulas XXV. mixturæ bezoardicæ, ex parti-  
bus III. spirit. nitri dulc. & part. I. spirit. bezoard. Buffii pa-  
ratæ, exhibere jussi, unde successive in reliqua etiam corpo-  
ris peripheria exanthemata illa cum anxietatis præcordialis  
haetenus perpeſſæ mitigatione, adparebant.

Continuabat autem interim nausea, cum intercurrenti-  
bus vomiturbationibus, ita ut neque infusum Theæ, neque jus-  
culum avenaceum, neque ptisanam, loco potus ordinarii  
commendatam, adsumere valeret, ut idcirco tenuorem ce-  
revisiam, quam minus aversabatur ægra, concedere coactus  
fuerim. Urina erat saturate flava, cum enæoremate, vel po-  
tius sedimento pyramidali, pulsusque celerius & fortius,  
quam antea, micabat. Quoniam etiam in loco herniæ ali-  
qualis adhuc supererat tumor, hinc cataplasmatis usum ulte-  
rius continuare, & quoties surgeret ægra, alvum inprimis  
deponendi gratia, toties simplicem ad minimum ligaturam,  
cum linteaminibus complicatis, adplicare jussi, ne hernia de-  
novo prorumpat, donec subligaculum parari possit. De ulte-  
riori purpuræ hujus chronicæ, seu scorbuticæ, quæ usque  
ad finem Junii durabat, curatione non opus erit ut plura ad-  
dam; quum ea methodo consueta, solis temperatis diapnoi-  
cis & tenerioribus absorbentibus ac diluentibus peracta fue-  
rit, exhibendo quandoque, si necessitas postulaverit, prædi-  
ctam mixturam bezoardicam; sic enim, symptomatibus prio-  
ribus

ribus successive magis magisque evanescentibus, viribusque cum appetitu & somno redeuntibus, alvoque postmodum semper legitime respondentे, integra tandem perfecte rediit sanitas.

### OBSERVATIO CXI.

Dn. D. JOANN. CONR. TRUMPHII.

*Contumax alvi obstructio, ex nephriticis doloribus orta, juscule gallinæ non deplumatæ feliciter referata.*

Fœmina LIV. annorum, robusta, temperamenti melan-cholico-sanguinei, in conjugio sterili vivens, admodum laboriosa & in vita genere inobligi constituta, rarius morbis obnoxia, alvi tamen segnitie quasi naturali (ob partem in primis potum,) a pluribus annis laborans, ita ut non nisi tertio die eandem, & tamen ægrius, deponeret; circa finem mensis Julii ann. præt. doloribus calculosis in dextro rene, versus ureterem tendentibus, graviter affligitur, conjunctis simul crebrioribus vomitibus, ita ut nullo in loco quiescere, nec sedere, nec decumbere, nec ambulare, multo minus dormire potuerit. Alvis tunc non respondebat & per biduum jam erat clausa, urina vero adhuc libere reddebat, sine ardore & dolore, eratque tenuis, aqua & pellucida. Offero hinc statim olei amygdalar. dulc. cum gutt. XL. liquor. mineral. anod. nupti. ʒj. ut eandem binis vicibus, intra horæ spatium, cum juscule avenaceo, aut carnium, adsumeret. Addo pulveres binos antispasmodicos & salinos, oleo destillato millefolii vero nobilitatos, simulque oleo scorpionum, cum pauxillo olei destill. succini, carvi & fœniculi remixto, regionem lumbarem & abdomen ipsum inungere jussi, desuper impositis sacculis paregorico-car-

carminativis. Interna medicamenta statim fuerunt vomitu rejecta, qui & altero die continuavit, multumque saburræ biliosæ ac viridescentis exturbavit. Ob perseverantem adhuc alvi adstrictionem duo globuli saccharini, sed frustra, fuerunt applicati, & Tinctura Rhabarbari ante meridiem aliquoties fuit assumta, quam etiam retinuit; clysteris vero injectionem, quam statim commendaveram, prorsus recusavit, circa noctem tamen, meliora edocta, eandem sponte tandem desideravit, unde talem ex herba Veron. flor. chamom. vulg. samb. & semine foenic. cum lacte, additis 3ij. olei cocti chamom. & 3ij. nitri antimoniat parandum, praescripsi. Retinebatur ille in quintam usque horam, nihil autem excrementorum secum educebat, unde statim summo mane tertii diei alias eodem modo paratus, cum 3fl. nitri antimon. injiciebatur, qui, juxta relationem adstantium, pauca saltem excrementa exsiccata & indurata, cum aliquali pituita, eduxit. Conquerebatur interim ægra adhuc de doloribus versus femur progradientibus, summa inquietudine & somni plenario defectu, ac speciatim in dextra lumbari regione dolores adeo augeri adseveravit, ut ne quidem externum qualcumque tolerare posset attactum. Sera hinc nocte tertius injiciebatur clyster, ex prioribus speciebus, substituto saltem sero lactis, paratus, sed absque sperato effectu, cum saltem laciniaæ quædam pituitæ in aqua natantes, simul prodierint.

Die I. Augusti nunciatur, quod parum quidem, post clysteris egressum, dormiverit, virium autem imbecillitas magis increverit, conjuncto simul satis copioso sudore, acidum odorem spirante. Quartus hinc adplicatur clyster hora IX. antemeridiana, ex iisdem speciebus paratus & priori stimulo armatus, superadditis olei expr. lini 3ij. & syrapi rosar. solutivi 3j. Vomitus nunc bono omne siluerunt ab hora XIIima meridiana hesterna usque fere ad meridiem ho-  
*Att. Med. Pb. Vol. IX.* Fff dier.

diernam. Pro potu ordinario præscriptum fuit decoctum, ex rasur. corn. cervi, rad. Scorzoner. sarsæparill. chinæ & semine foeniculi. Pulverum loco exhibita fuit potiuncula, ex aquis chærefol. card. bened. flor. samb. tiliæ, nitro depur. arcano duplic. testis ovor. citræ, syrupo papav. rh. & liquor. miner. anod. Urina fere erat naturalis, & saltem paulo saturatioris coloris, atque in fundo ostendebat copiosa granula tartarea. Quartus clyster nihil educebat, præter aliquot flatus, qui dein paulo liberius fuerunt dimissi. Conquerebatur nostra adhuc de præcordialibus anxietatibus, aderatque adhuc aliqualis calor febrilis, cum pulsu celeriori & magno. Præscribebam duo suppositoria, ex mellis inspissati s. q. unico vitello ovi & salis communis drachma dimidia, quorum unum absque subsecuto effectu sperato post meridiem hæjas diei applicabatur. Jussi quoque ut gallina mactata, exenterata, & a sordibus probe repurgata, non tamen deplumata, probe decoquatur, indeque juscum, non adeo diffusum, paretur & cum modico salis conditatur, de quo singulis quatuor horis tria vel quatuor vascula, sorbillando infuso theæ destinata, calide adsumeret ægra, quod etiam, cum modum præparationis ignoraret, absque nausea fecit. Vesperi dein, hora VIII. quintus injiciebatur clyster, ex ȝxij. decocti prædictarum specierum, olei expr. lini ȝij. syrapi rosar. solut. ȝiȝ. & sapon. Venet. ȝ. paratus, qui per bihorium circiter remansit, posteaque feces alvinas induratas & exsiccatas simul eduxit. Nox hinc satis tranquilla redita fuit, doloresque lumborum notabiliter imminuti. Sequentे ergo die alterum applicabatur suppositorium, juscum gallinæ non deplumatæ ter adhuc continuabatur, unacum priorum remediorum usu, unde alvina excretio liberior subinde evadens, tandem plane naturalis reddita fuit, doloresque nephritici, subjuncto tandem usu Essentiæ flor. chatomillæ, cum spiritu nitri dulci paratae, & cum Elixirio antinephritico Wedeliano maritatæ, facta inde complurium arenularum, cum urina, excretione, prorsus conquieterunt. Confirmat igitur hic casus maxime salutarem effetum juscui prædicti gallinacei, in pertinaciore alvi adstrictione, jam tum a celeberr. atque doctiss. Dn. D. OVELGÜN in *Actorum horum Volum. VII Observ. 27.* speciatim deprædicatum, & ulteriori idcirco experientiae & imitationi in similibus casibus merito commendandum.

OBSER-

❖ ❖ ❖

## OBSERVATIO CXII.

Dn. D. JOANN. CONR. TRUMPHII.

*Carbunculi minores, a gutta rosacea retrocedente per metastasim in scroto prorumpentes.*

Vir quidam in cœlibatu vivens, XXXVIII. annorum, temperamenti sanguinei, in juventute admodum inordinato addictus vitæ generi, cibis inprimis acidis & muriaticis ab infantia innutritus, & a parentibus, simili diætæ adsuetis, per consequens ad scorbuticam humorum dyscrasiam valde pronis, genitus & educatus, simulque a pluribus jam annis frequentiori spirituorum potulento-rum usui, vel potius abusui indulgens, ultra biennium jam gutta ro-sacea, nasum imprimis rubore multo & pustulis coerulecentibus de-fœdante, laboravit. Circa medium mensis Julii anni præter, adfligitur is doloribus rheumaticis in humeris, superveniente simul febre continua rheumatica, pomeridianis dein semper horis se se exacerbante, cum levis horripilationis sensu, & subsequente æstu, quem, tempore matutino parum a vehementia sua remittentem, sudor excipit valde foetidus & biliosus. Urina, saturato aurantio colore tincta, altero statim die turbida redditur, & sedimentum biliosum, lateritii coloris deponit. Medicus, in consilium vocatus, hoc ipso die, nescio quam ob causam, pilulas statim exhibet pur-gantes, satis valide operationem suam perficientes, subjuncta simul mixtura quadam concentrata, quoad majorem partem ex spiritu nitri dulci, & addito simul spiritu salis ammoniaci anisato, constante. Tertio die inopinato prorsus erumpunt in scroto primo duæ, & brevi post aliæ tres pustulæ albæ & subvirides, elapso vix aliquot horarum intervallo nigræ, ad instar carbonis, & crustosæ redditæ, cum insigni magis magisque increbescente ardore, anxios ægro clamores extorque[n]te, omnemque somnum & quietem plenarie auferente. Chirurgus ante accessum meum vocatus, statim applicat carbunculis istis unguentum digestivum, cum balsamo Peruviano remixtum; superimponendo dein emplastrum diachylon simplex, & in ambitu unguentum album camphoratum illinendo, quod ultimum vero dein removere jussi, ne forte noxia & valde caustica subtilis materia, naturæ beneficio ad scrotum translata, repelleretur, ut que ejus in locum pauxillum camphoræ, in oleo rosarum solutæ, prædicto emplastro admiseret, commendavi.

Quamprimum autem hæ in scroto proruperunt vesicæ, adeo repente nigræ & crustosæ redditæ, statim nasus, alias a gutta rosacea ruberrimus, amissò hocce colore albicans fuit redditus, manifesto documento, materiam peccantem, antea ibi hærentem, omnem ad scrotum fuisse delatam. Præscripsi ergo interne decoctum, ex rad. scorzonera. sarsapar. chin. rasur. corn. cerv. & semine foeniculi, mane calide, ad instar infusi theæ, pomeridie autem & versus noctem potus ordinarii loco bibendum, interpositis simul pulveribus, ex nitr. depur. antimon. diaphor. pulv. epilept. March. C. C. sine igne præp. & pauxillo camphoræ paratis, itemque mixtura diapnoica, ex Essent. scordii non spirituosa, mixtura simpl. rectif. Essent. pimpin. alb. & liquore miner. anod. constante. Elapsis sic septem diebus, simulque transactis totidem noctibus fere insomnibus, ob summam dolorum vehementiam, tandem hi quadantenus remisere, somnusque redibat aliquo modo tranquillus, ipsi etiam carbunculosi & crustosi tumores pus tandem concipiebant, ac ii, qui statim ab initio comparuerunt, in circumferentia a parte sana separari incipiebant, unde prioris mixturæ loco aliam ex Tinct. antimon. tar- tarif. Ess. succini, lignor. pimpin. alb. fumar. & liqu. miner. anod. parata, substitui, cum pulveribus autem continuare jussi. Quoniam vero crustulæ illæ satis adhuc tenaciter adhærebant, & separationem perfectam admittere recusabant, hinc Chirurgus emplastrum diachylon compositum, cum oxycroeo remixtum, impo- suit, applicato prius ipsis crustis unguento digestivo. Interim ple- narie nunc mitigata erat febris, ita ut etiam extra lectum nunc sub- sistere potuerit æger, unde cum ulteriore pulverum aversaretur usum, eorum in locum elixirium viscerale amarum, cum spiritu an- tiscorbutico Drawitzii remixtum, additis paucis guttulis olei destill. cort. aurantior. ad' gutt. LX. alternis vicibus cum priore mixtura exhibui. Tandem circa decimum quartum diem prædictæ car- bunculosæ crustæ, quæ satis profunde intra membranam scroti penetrarunt, prorsus liberabantur & secedebant, comparente ite- rum & denuo efflorescante successive gutta rosacea in pristinis lo- cis, unde, continuato adhuc per plures dies medicamentorum ha- stenus præscriptorum usu, subiunctis demum pilulis laxantibus, & commendata exquisitiore diæta, in posterum observanda, ægrum dimisi.

(Goslaria Halam missa d. 7. Februar. 1750.)

APPEN-

APPENDIX  
AD  
VOLVMEN NONVM  
ACTORVM  
PHYSICO- MEDICORVM

Academiæ Cæsareæ - Leopoldino - Carolinæ  
Naturæ Curiosorum in Germania.

WAGNER  
ERIKSON  
LARSEN  
THOMAS

# CONTENTA APPENDICIS.

- I. Historia Podagræ Eminentiss. Cardinalis *Philippi Ludovici* nati Comitis a SINZENDORFF, S.R.E. Presbyteri, Episcopi Wratislaviens. Serenissimique Nissenfium & Grotkavienium Ducis, &c. conscripta ab ipsius Medico, *Joanne Godofredo de HAHN*, Consil. Reg. aulico & Academ. Imperial. Nat. Curios. Collega. - - - - pag. 1. seqq.
- II. Dn. D. *Salentini Ernesti Eugenii COHAUSEN* Meditationes, de noxa timiditatis in curatione Hæmopteos. - - - - 33. seqq.
- III. Dn. D. *Philippi Adolphi BOEHMERI* Observatio rarior de Sarcomate uteri notabilis molis, subjuncta simul disquisitione, qua præstantia forcipis Chamberlaynianæ, in paragomphosi capitis fœtus in partu, confirmatur, & quid de recentissimis *Levreti ferramentis* atque *forcipe Bingiana*, sentiendum sit, indicatur. - - - - 159. seqq.
- IV. Dn. D. *Christiani Andreæ COTHENII* Triga Observationum de *Lue bovina* in Circulo Prignicensi Ann. MDCCXLVI. notata, addito simul Judicio & Consilio œconomico, præservationem æque ac curationem hujus morbi concernente. - - - - 101. seqq.
- V. Dn. D. *Henrici Friderici DELII* Diatribe physica, qua ostenditur, occasione inversionis Limæ & Collao in America meridionali, rudera terræ mutationum particu-

ticularium testes possibles, pro diluvii universalis testibus non esse habenda. - - - pag. 123. seqq.

VI. Dn. D. J. H. C. H. Mercurii sophici delarvati, ex Philalethæ Introitu aperto ad occlusum regis palatum in conspectum Chymiatrorum prodientis Liber II. pag. 141. seqq.

VII. Dn. D. Joannis Philippi BREYNII descriptio fructus Cerei Americani majoris articulati; flore maximo noctu se aperiente & suavissimum odorem spirante Volck. 173. seqq.

VIII. Dn. D. Christophori Jacobi TREW brevis historia & fusior descriptio Cerei serpentis vulgo sic dicti. p. 177. seqq.

IX. Memoria NEBELIANA. - - 209. seqq.

X. Memoria DETHARDINGIANA. - - 227. seqq.


XI. Memoria STRUVIANA. - - 257. seqq.

XII. Memoria RICHTERIANA. - - 275. seqq.

XIII. Memoria Dn. D. Joann. Adami KULMUS. 295. seqq.

HISTORIA  
PODAGRAE  
EMINENTISSIMI CARDINALIS  
PHILIPPI LVDOVICI  
NATI COMITIS

A  
SINZENDORFF  
S. R. E. PRESBYTERI,  
EPISCOPI WRATISLAVIENSIS,  
SERENISSIMI QVE NISSENSIVM  
ET  
GROTKAVIENSIVM DVCIS,  
REGII BORVSSICI ORDINIS AQLILAE  
NIGRAE EQVITIS,  
CONSCRIPTA  
AB IPSIVS MEDICO,  
IOANNE GODOFR. de HAHN,  
CONSILIARIO REGIO AVLICO,  
ACADEM. IMPERIAL. NAT. CVRIOSOR. SOCIO, ET  
COLLEGII MEDICI ET SANITATIS  
DECANO.





**M**eretur omnino , uti quovis monumentorum publico-  
rum genere conservari , immortalis memoria Eminen-  
tissimi Cardinalis a SINZENDORFF ; ita posteritati  
quoque , in medici orbis gratiam , propagari singula-  
ris plane historia articularis morbi , cum quo per optimam pre-  
ciosissimæ vitæ partem confictatus est , & cui altero ab hinc an-  
no , in communis Silesiæ luctus , succubuit Princeps integerrima  
sanitate ad senium usque perdignus . Hæreditatis quidem jure  
transierat malum in corpus ad obesitatem fere nimiam pronum ,  
pituitoso oleo abundans molliorisque adeo & spongiosæ texturæ ,  
atque iis præterea signis omnibus instructum , quæ suscipiendo  
morbo favent . Quibus inter alia caput grandiusculum , ingenium  
fervens , immo vero fabricæ partium inexplicabilis quædam dis-  
positio , adnumerantur . Accedebat ad hæc lautior , & delicatissi-  
morum ciborum copiæ indulgens diætæ ratio , vini nullus qui-  
dem abusus , usus tamen liberalior , exercitiorumque , ob pedes  
præpropere motu privatos , defectus . Primos enim impetus ex-  
eruerat articularis dolor jam tum , cum viginti annos natus esset .  
Quotannis dein modeste invisens pedes , octavo autem anno subi-  
to ingravescens , totiusque corporis , præcipue articulorum vi-  
res infringens .

Ansam morbi augmentis dederat glacialis haustus . Hunc  
arthriticus sumens in colicam sœvam inciderat , retrogresso ad in-

teriora morbo & abhinc etiam in externis partibus violentiore, sensimque intactas ante superiores corporis partes occupante.

An.  
1742.  
Martius. Id sane repetito morbi accessu effectum erat, ut fractis articulorum viribus jam tum pedibus captum deprehenderem optimum Principem, cum primum valetudinis tuendæ causa ad eum convocarer. Scilicet per quadriennium ex frictionum siccaram & fervidarum abusu ita invaluerat pedum contractura, ut ægerime, nec nisi binis servis adjutus, loco eos movere, vacillantemque formare gressum valeret. Sexta erat hac vice, qua articulari morbo decumbebat, dies, pedesque & manus dolore non adeo sævo detinebantur. Et cum cognitorem morbi, quam præfestinantem Medicum, agere mallerem, tum irretorto obtutu omnes & singulas mali circumstantias sollicitus observabam tantum, absque ut quidquam molirer.

Primum, quod me, statum morbi considerantem, in admirationem rapiebat, phænomenon, erat juncta articulari dolori *canina famæ*. Visa quidem ea in quibusdam aliis podagricis, sed eo, quo hic sæviebat, excessu, nuspian.

Vellicabat nempe ventriculum adeo molestus titillans, rodensque cibi appetitus, ut, nisi ad primam cibum clamantis vocem accurrerent servi, nutrimentum adportantes, illico vomititione ingratissima afficeretur Noster, spasmo culam tamdiu torquente, usque dum proritatus esurie ventriculus pituitam & bilem cum impetu eructaret. Optime autem reprimebat hanc æstuosam famem panis albus, vel oryza cum lacte præparata, quorum fere semper ad manus erat alterutrum, ne frequentior exsureret ex horum defectu vomendi libido.

Diæta  
lactis. Usus fuerat Eminentissimus Cardinalis ant. hanc Podagræ accessiōnem *diæta lactis* per integros octodecim menses. Toto illo temporis tractu, præter lac, non nisi pisces, panem album,

legu-

legumina, fructus horæos, assumens. Tale quid enim poscebat 1742. diætæ lactis rigor, quo præripere infestum morbi somitem conabantur.

Re ipsa insigne levamen tali victus ratione se assecutum affirmabat. Durante interim podagræ impetu abstinebamus a lactis usu, quem non nisi finito penitus illo revocabat; id quod hac vice post undecimam diem obtingebat, pace abhinc plurium mensium impetrata.

Vena Majo secta sanguinem & serum justa proportione & Majus. consistentia nobis offerebat, raro passim muco oleoso conspicuo.

Novembre autumnalis accessio aderat, vernali illa longe gravior & diuturnior. Prævia per aliquot noctes turbulentia insomnia excipiebat chiragra dextra. Sensim assurgens rubellus tumor octavo die manum levabat, succendentibus eidem primo cubitu, mox & pede dextro. Latus sinistrum simul afficiebatur, costis turgidulis & subrubris. Hinc transitus in manum sinistram, tandemque in pedem. Singulæ partes justam maturitatem consequentur, mire intumescentes, madentes, cum splendore rubentes, ipsa facie phlogosi repetita perfusa. Ardor quidam, cum igne lambente comparandus, totum caput exagitabat, molesto adeo sensu, ut vel levissima tegumenta jugiter a capite raso removet Princeps.

Erat autem is in totum a superfluo illo stratorum plumeorum apparatu, quo alii podagræ tantum non suffocantur, alienus. Culcitris quippe, pilorum equinorum infarctu elasticis, corporique resistantibus, incumbebat, levioribus textilibusque stragulis obtectus.

Bis conquiescere visæ dolorum turbæ bis revocabantur, in Decembrem protractæ, fastidio & alvi lubricitate morbi augmentorum prænuntijs, pulsu celebri & debili, & canina fame co-

1742. mitibus. Tricesima septima jam agebatur dies, qua nuchæ tumor & rigor, & calor auctus, & pervigilium, & verticis dolor spasmodusque genu alterius, negotium nobis faciebant, urinis ipsis, quæ alias rarissime a naturali deviæ erant, hac vice exaltatis. Succedens tandem sputatio solvebat morbum, ita tamen, ut octoginta demum dierum ambitu penitus is terminaretur. Hoc impetu primum in usum vocavimus massam pilularum de Cynoglossa, repetitis dolorum & spasmodorum vexationibus invitati, hujusque pharmaci continuationem morbo perquam accommodam experti sumus.

1743. Quamprimum liberum se a doloribus sentiebat Cardinalis, Januarius. devotum Regi animum testandi causa Berolinum proficisci ebatur. Constat inter omnes, quanta summi Principis, maximi ingeniorum cognitoris, clementia ibidem fuerit suscepitus. Ipseque Eminentissimus noster Berolino redux, regiæ, qua gavisus fuerat, consuetudinis suavitatem & animi & corporis vires insigniter refecisse lætus interato testabatur.

Martius. Martio brevis arthritidis accessio pedem alterum & cubitum invisebat. Aquæ potui adsuetus Princeps hac occasione fastidiens aquas, protinus has cum cerevisia commutabat, per mensem integrum tres ejus vel quatuor mensuras quotidie cum voluptate Aprilis. exhauiens, usque dum Aprili mense innumeri vomitus nocturni cerevisiæ continuationem nobis dissuaderent. Exin aqua cum vino remixta per aliquod tempus obtinebat. Sanguis hoc vere cum e vena brachii, tum hirudinum ope ex hæmorrhoidalibus vasis extractus. Cœlo tunc perquam blando, calido & pluvio, pacatus aliquamdiu rerum status. Molioris enim auræ afflatus, ventique tepidi (qualem Itali *Girochi* vocant) demulcente virtute insigne semper vel in ipsis doloribus commodum se percepisse memorabat æger.

Majo perquam moderata podagræ accessio, tertianæ typum 1743.  
observans, undecim diebus absolvebatur. Majus.

Julio e contrario gravissimus impetus nos affligebat. Dede-  
rat vespertinus aër, in horto admissus, ansam dolori manus sini-  
stræ. Confestim & facies rubore perfundebatur. Altera die pes  
dexter patiebatur. Hoc non obstante tertia die per aliquot ho-  
ras in templo commorabatur Eminentissimus Cardinalis, in gra-  
tiam Serenissimi Principis Coadjutoris de SCHAFFGOTSCHE,  
hodierni Episcopi Vratislaviensis, qui tunc Abbas Canonicorum  
regularium Lateranensium eligendus erat. Tali moræ juncta fer-  
vidior paulo occupatissimi simul animi commotio exasperabat do-  
lorum articulatum cruciatus, quos insequens septima die mador  
parum levabat. Recrudescentibus iisdem decima die in usum  
trahebamus Mixturam quandam facilitandæ motuum ad periphe-  
riam directioni dicatam, cuius formula sequens erat:

R. Aquæ Menthae sine vino

Card. Benedicti.

Serpilli àa 3j.

Theriacæ Smaragdinæ

Pulver. antispasm. àa 3j.

Liquoris anodynæ Hoffm. 2ij.

bezoard. Bussii 2j. M.

Hujus pharmaci cochlearia bina quovis hora exhibita, torpentes  
& interiora obruentes motus feliciter ad extremitates propule-  
runt olim aliquoties, idemque officium & hac vice nobis præsta-  
bant. Undecima quippe die inter validiores pulsuum, quos *ex-  
pulsorios* salutabamus, ictus, per genua, scapulas, nucham & ar-  
tus reliquos distribuebatur morbi impetus, triduo post reiteratis  
massæ pilularum de Cynoglossa dosibus refrænandus. Quo facto-  
gratus mador, blandus turgor, lætus rubor, ferociam hujus ac-  
cessionis componebant. Mirabar autem pulsuum violentiam, ad  
inflam-

1743. inflammatoriæ febris ingenium proprius accedentem, urinis colorem febrilem affricare non valuisse, quippe quæ a naturalibus toto morbi tractu non deviæ erant.

Nitrosorum pulverum munere fungebantur apud Principem nostrum omnis generis fructus horæi, quorum selectissimorum semper præsto erat abundans apparatus. Nec deficiebat unquam, quamdiu id per anni rationem liceret, mala armeniana, persica, cerasa, fraga, pruna, uvæ, ficus, ananas, & quæcumque demum ad succulentorum horæorum censum spectant. His vel recentibus & crudis, vel arte exaltatis, nunquam non delectabatur, inque horum gratiam & olitore peritissimo utebatur, & cupedinario in Italia instructo, glacie præparare succos quosvis & fructus horæos callente; artificio naturæ socio duplicato ille-  
tum provocante gustum. Quibus cupediis merito hic adnumerandum lac glacie concretum & solidatum, quod vel solo adspectu convivis salivam sæpe movisse recordor, & ad cujus degustationem Romanorum *nivatas delicias*, quas SENECA fugilat, tacite excusavi. Præ reliquis autem Cardinalis in deliciis habebat excellentis bonitatis *melones*, fructus nempe cœurbitinos hortenses exiguae molis, densæ & compactæ consistentiæ, fragrantissimi & aromata spirantis odoris, saporis longe gratissimi & sine saccharo dulcissimi. Horum aliquot quotidie fere absumebat Eminentissimus, cum insigni quadam gulæ, verum ejusmodi fructuum meritum exacte dignoscentis, voluptate. Quo ipso quidem cum in abusum deflectere adstantibus videretur, hique per jocum aliquando in Eum increparent, ego, Medicus, ut partes ægri tuerer quodammodo, illustre in medium afferrebam exemplum ex *Julio CAPITOLINO Hist. Aug. Tom. I. p. 699.* „quo *Clodius Albinus* Imperator pomorum tantum hausisse diciatur, quantum ratio humana non patitur. Nam & quingentas ficas passarias, quas *Græci Callistruthias* vocant, jejunum comedisse,

„ disse dicit CORDVS, & centum persica Campana, & melones 1743.  
 „ Hostienses decem, & uvarum Lavicanarum pondo viginti , &  
 „ ficedulas centum , & ostrea quadringenta. „ Subridebat Princeps, qui a tali quidem ingluvie longius aberat. Vix enim melones ejus maximum pomorum genus magnitudine superabant , unius libræ pondus ut plurimum æquantes, raro libras duas attingentes. Harum familiæ etiam adnumerandas esse judico Hostienses illas Clodii, quarum decem uno prandio absumentissime dicuntur. Et quibus ideo, quod parvæ admodum molis sint , cucumeres cum CASAVBONO substituere minus necesse duco , cum nec naturæ , nec sanitati adeo repugnare videatur , aliquot hujus generis fructus uno prandio epulari. Persæ certe , si itinerum scriptores audias a), unico quandoque prandio triginta melonum libras devorare solent , quin mensibus quatuor æstivis ejusmodi fructus , quorum ingens apud eos varietas occurrit, plebi omnem victum præbent. Ipsi etiam optimates delicatuli, duodecim quotidie libras eorum sine incommodo ferunt. Neque ego memini ullam unquam Eminentissimo Cardinali, ex melonum talium degustatione liberaliori, molestiam enatam. Constat sanguis nos edocuerat experientia, horum usu æquo, & ad palati desideria demenso , nunquam non temperatos fuisse sanguinis fervores, indeque pendentem perspirationis excessum; quem fructum exspectandum esse a cucumerum & melonum pastu, latus aliquando legebat Eminentissimus Noster in elegantissimis ARBVTHNOTI Angli b) de natura alimentorum Commentariis, quos curiosus totos perlustrabat.

Augusti die vicesima sexta, sternutatio crebrior levem podagræ & chiragræ accessionem introducebat. Quarta die nuchæ stus, dolor & tumor , & faciei rubor observabantur. Livores per nu-

a) vid. Histoire univers. traduite de l'Anglois, Tom. III. p. 381.

b) An Essay concerning the Nature of Aliments, London 1735.

1743. cham comparebant, quasi a percussione, hique e longinquo son-  
ticum nobis minitari raptum ad caput videbantur. Sexta die co-  
storum dolor a latere dextro aderat, calore propius ad febrilem  
accidente stipatus, mox iterum discussus.

Aerate-  
rebin-  
thinae,

Postremus hic impetus metum aliquem secuturæ olim ape-  
plexiæ nobis incusserat. Præsens autem illo erat tempore ger-  
manus Eminentissimi Cardinalis Frater, Perillustris *Comes a SIN-*  
*ZENDORFF*, Eques Melitensis & Præfectus Olsnensis, fervidissi-  
mi ingenii Dominus, sed simili hæreditario articulorum dolori ob-  
noxius. Hic per aliquot annos in usum se traxisse cum insigni  
emolumento afferebat Terebinthinam, cum Polio montano co-  
ctam. Quod remedii genus in Italia frequens, laudatum ibidem,  
& multiplici experientia comprobatum, nobis valdopere com-  
mendabat. Erat autem remedii compositio sequens:

R. Terebinthinæ Venetæ libr. ij.

Polii montani libr. iv.

Coqv. in aquæ mensuris septem, ad consistentiam massæ pilularis.  
Hujus massæ sumat drachmam integrum quovis mane, ad dies  
vitæ.

Salivam movebat Eminentissimo Principi, magno exempli-  
orum apparatu confirmatus specifici hujus remedii antipodagrici  
effectus, præcipue cum præmonstratores in ejus largiore exhibi-  
tione Eidem offerrem binos, seculorum proxime præterlapsorum  
Medicos illustres, AMATVM Lusitanum, & Fulvum Cesareum  
CLAVDINVM, quorum prior c) monachum quendam nephriti-  
cum sex mensium usu terebinthinæ, nucis magnitudine quovis  
mane devoratae, restituerat; alter vero d) Principi Mirandulensi  
poda-

c) Curat. medicinal. Centur. I. Cur. LXIII. p. 305.

d) Consultat. Medicar. Consult. XIX. p. 49.

podagrico, Frederico Pico, terebinthinam cum pulvere Ivæ su-<sup>1743.</sup>  
mendam suaserat, externe adhibitis Tettuccianis & Porrettanis  
novis pro lotione & embrocatione. Idemque posterior e) in  
chiragra terebinthinam, cum pulvere Ivæ arthriticæ, per tempo-  
ris tractum ægro exhibuerat.

Est autem hæc Iva arthritica Polii montani species, *Ajuga* di-  
cta, sive *Chamapitys*, specialissimo quodam amarore, eoque non  
ingrato, commendabilis. Illum amarorem coctæ terebinthinae al-  
tiissime imprimit, massamque exhibit globulis formandis & de-  
glutiendis facilem. Quod autem ad ipsam terebinthynam attinet,  
balsamum illud nativum per quam nobis accommodum videbatur  
eliminandi per urinarias vias, vel & involvendis salibus, perio-  
steis, tendinibus, ligamentisque articulorum infestis. Eminen-  
tissimus enim *Cardinalis*, qui inter blandissimas collocutiones non  
raro gravissimum se in hoc morbo auctorem classicum jocans  
profitebatur, in ea versabatur opinione, veram arthritidis ratio-  
nem repetendam esse a sale, quod podagricorum machina copio-  
fius ex alimentis extraheret, quam aliorum hominum. Non ab-  
simili modo, quam fieri tale quid cernimus in salinis, in quibus  
aqua diuturniore mora ad extrahendum & exhibendum salem  
præparatur; fere eadem lege ventriculum & digestionis viscera  
cuncta favere salium extractioni e cibis, e quibus assatas carnes  
majorem præ elixis subministrare copiam affirmabat. Tristi enim  
experientia edoctus, assam, in primis vitulinam, multoties poda-  
gram provocasse persenserat. Non alienus fuit ab hoc, ex intimo  
rerum sensu enato Principis nostri, de podagra systemate, judicio-  
fissimus & in intima morborum sœpe felicissime penetrans BOER-  
HAAVIVS, quandoquidem is in Opere practico f), podagræ  
b. 2. ratio-

e) Consult. XXXIX. p. 93.

f) Part. V. p. 198.

1743. rationem expositurus, ergo, inquit, non bilem, non lympham, sed salem hic aliquem accuso; pauloque post g) elegantissime subjunxit, „ podagram esse effectum totius compagis corporis nostri, „ suoque tempore æque accidere, ac seminis secretionem in vi. „ ris, causamque habere in nervis ita genitis. „ Taceo quæ idem BOERHAAVIVS, in stupendi laboris Opere chymico, de sale animalibus proprio, monuit, miti quidem illo & saponaceo, & inter volatilem & fixum medio. Cum quibus omnibus si contaleris, quæ non adeo multis retro annis, de sale alcalico volatili vera podagræ causa, erudite commentatus est Medicus Florentinus, Michael PINELLVS h), nobiscum omnino senties. Nos certe tali vel experientiæ, vel acutissimi ingenij ratiocinio innixi, in usum trahebamus laudatam illam terebinthinæ cum polio montano costæ massam, propositique tenaces continuabamus per integros septendecim menses, constantia a nullo fere privato homine expectanda.

Prima podagræ accessio, quæ durante hac aera terebinthinæ

Sept 27. Serenissimum Principem detinebat, sub finem Septembribus obtinebat. Soda & sitis immodica præviæ erant. Accessio ipsa permodesta pedem dextrum occuparat. Alvus paulo liberior comes. Noctes parum quietæ, sed non doloris culpa, qui mitissimus erat. Appetente vinum stomacho, sumebatur haustus generosioris. Septima die lateris sinistri costæ affligebantur. Respiratio inde turbata, deglutitionisque difficultas maxima. Flatuum præterea turbæ. Abhinc latius se diffundens dolor, aurem sinistram, cubitumque & manum hujus lateris infestabat. Vocabatur in usum mixtura supra laudata recreans, quæ, juncta repetitæ pilularum de Cynoglossa exhibitioni, insignem & hic effectum præstabant,

g) l. c. p. 200.

h) Nuovo Sistema dell' Origine o Principio della Podagra, e suo Rimedio. In Roma, 1734.

stabant, socia utriusque pharmaci virtute adjuto cordis & arteria-<sup>1743.</sup>  
rum vigore, refrænato fibrarum spasmo, invitato molliter ma-  
dore, partiumque benigno tumore, dolores sequentium quatuor  
dierum ambitu blanda quasi vi amoliente.

Aliquoties observaram, & hoc paroxysmo iterato experiebar,  
septentrionalem ventum provocasse morbum, perinde uti mollio-  
ris auræ afflatum, eundem mitigasse vidimus supra. Obtinuerat  
scilicet per quatuordecim dies Boreas, cœlo sereno & frigido.  
Huic in horto expositus Cardinalis, sine dubio laterali dolori an-  
sam dederat. In qua suspicione confirmabatur catarrho arthriti-  
dem excipiente; quanquam familiaris etiam sit podagricis fere  
omnibus quædam catarrhorum cum podagra vicissitudo.

Usūm terebinthinæ nostræ omittebamus durante accessione,  
uti olim lactis, revocantes eundem finitis doloribus.

Novembre sanguis e brachio missus, satis bonæ notæ erat; Novemb.  
indeque armistitium cum morbo obtinuit ad initium usque se-  
quentis anni.

Grave autem hoc nobis existebat. Mox enim prima ejus <sup>1744.</sup>  
die dolor Principem salutabat, cubito primum, mox pede dex- Janua-  
tro & præcipue genu affectis. Hoc prætumidum, durum, spas- rius I.  
mo tentatum, negotium nō nobis faciebat.

Fervoris sensus universalis poscebat aliquot noti pulveris an-  
tispasmodici exhibitiones, quibus alvus illico turbabatur, novo  
dolorum augmento ostavi diei noctem somno privante. Ferie-  
bat autem manum dextram impetus. Confestim interim rubor  
& tumor comparebant; morbum undecim diebus absolventes. Ca-  
tarrhus & hac vice post morbum, sedis quarta die innumera  
sternutatione dissipatus. Abhinc silentium turbarum per aliquot  
menses. Vena secta in pede Aprili mense, sub cujus finem primi  
calores vernales, repetente hiemali frigore represi, ansam reitera-  
tæ podagræ subministrabant. Catarrhus cum vocis rauicitate co-  
mes. Sputa mira quantitate affluat. <sup>Aprilis.</sup>

1744. Rubor erysipelaceus per faciem & nucham. Vespertini al-gores, pulsuumque durities & insueta celeritas. Rari quippe alias febriles motus universales. Fervor aliquis, cum igne lambente comparandus, per affectarum partium superficiem vagabatur. Septima dies, post noctem irrequietam, dolorum augmentum secum ferebat, manu sinistra plus quam arthritico rubore perfunsa & præturgida. Non secus ea livebat, quam si phlegmone in gangrænam prona detineretur, sicui maturæ non absimilis. Hunc fere excedentem maturitatis gradum consecuta, vesperi subsidebat. Alvus moleste hærens, enemate officii admonebatur. Recipiente se abhinc undecima die dolore, sudores, sputa larga & liberior alvus, vernalem hunc impetum feliciter terminabant.

**Julius.** Julio æstivalis aderat lateris primo sinistri dolor, sed hic proxime in femur descendens, mox in pedem. Blandus & superficialis turgor erat, ruborque lætus. Sexta die latus dextrum eosdem leves dolores experiebatur, mox in pedem & manum migrantibus.

Mirus manus dextræ turgor, nec minus sinistre intense rubentis. Alvus liberior; duodecima die accessionis finis.

**Augustus.** Vix mense elapso modestum hunc impetum excipiebat gravior. Bihorio a prandio subito aderat chiragræ dextræ perceptio. Protinus succedebat turgor cum rubore. Canina fames præ aliquot prægressis vicibus, hac ipsa magis invalescebat. Quinta die, altera à prandio hora, indigestæ carnis frustulum vomitu reddebat. Alvus naturalis. Nona die, remittere jam tum viso impetu, dolor latus sinistrum occupabat. Spasmus hinc extensus noctem diro cruciatu turbabat. Sciscitantes comperiebamur, diuturniore extra lectum mora, intense frigidum borealem afflatum liberius admissum irritasse latus. Interim decima die sudor largus, flatusque copiosi solvebant turbas, quas biduo post glacialis haustus refricabat.

Notandum sic, Serenissimum Principem, aquæ potui adsuetum, etiam in ipsa podagræ accessione, reficientem frigidæ hauſtum semper calidæ prætulisse. Erat enim a frequentibus illis infusi foliorum Theæ sorbitionibus, quæ adeo familiares nobis sunt, prorsus alienus. Nec diffiteri possum, solam aquam, justa frigidæ admixtione temperatam, sæpiissime nobis expellentis & reficientis pharmaci virtutes, præsentissimo effectu exhibuisse. Eminentissimus autem noster, nunquam non alia utebatur aqua, quam cum glaciali remixto quovis hauſtu. Unde evenit subinde, uti hac vice, ut paulo liberalior glacialis aquæ additio, committendi erroris occasio fieret. Adeoque latus jam dextrum, uti prius finistrum, dolorum cruciatu afficiebatur, malo non nisi decima quarta die, penitus conquiescente.

Medio Septembre, post nocturnum vomitum, pedis dolor <sup>Septem-</sup> novus aderat, simulque pulsus fortior, calor immodicus & rubor. <sup>ber.</sup> Tertia die benignus tumor cum madore. Quinta pulsus & calor proprius ad febrilem accedentes. Inde nox fervida, spasmus genu dextri immisit, faciei rubor, sputatio spumosa largior. Octava die dolor acerbus & spasmus genu sinistrum quoque occupant, ægreque obsecundant consuetis nostris pilulis de Cynoglossa. Decima die mador auctus cum levamine. Mox alvus lubrica, & per aliquot dein dies solito importunior, diacordium aliquoties eludens, tandem cedens ejusdem virtuti.

Sub Novembribus initium ex refrigerio catarrhus, e catarrho <sup>Novem-</sup> transitus in chiragram dextram. Dolor ferendus, tumor æquas & ber. cum madore. Pulsus quarta die violentior. Nox spastica, rapto in societatem dolorum genu. Alvus abhinc per plures dies lubrica, undecima autem & sequenti vomitus aliquot vitellinæ bilis, deinde status pacatus. Hoc mense sanguis e pede missus catarrhallem mucum sècum attulit.

1745. Anni 1745. ingressus immodica siti notabatur, maxime nocturna ea & febrilem colliquationem minitante. Ad hanc pernolestam & vix restinguendam sitim accedebat phænomenon notatu perquam dignum. Sputa scilicet, in nostro Principe semper, & tunc in primis affluentissima, tenacia prodibant, saporemque & odorem terebinthinæ tota referebant. Nunquam solemnis ille terebinthinæ effectus, violaceus nempe odor, se prodiderat in urinis. Nunc vero impetu irruere in salivalia organa cœperat, ibidemque exitum iterum moliri traditus massæ sanguineæ resinæ hujus adparatus. Hæc operosa muci terebinthinosi per salivales ductus excretio, per plures dies nos exagitabat. Quanquam enim statim a primo hujus phænomeni momento abstinerimus ab ulteriore terebinthinæ assumptione, fons tamen ejus videbatur inexhaustus, omnisque saliva nil nisi fœcundissima terebinthinæ progenies erat. Nec mirum! Adeo longo enim temporis tractu decantati hujus medicaminis frugem periclitati fueramus, ut tota humorum massa imbui ejus substantia commode potuerit. Nec improbabile est, inter causas excedentis sitis referri debere protractum hujus resinæ usum.

Jam quod ad hanc sitim attinet, huic quidem restinguendæ per quam favens erat spiritus nitri dulcis, ordinario aquæ potui jugiter admixtus. Eliminandæ autem terebinthinæ superfluæ non statim in promptu erat consilium. Tandem vero facilitando ejus a sanguine divortio, præ reliquis accommoda videbatur emulsio nostra oleosa, qua aliquot olei recentis amygdalarum dulcium unicæ, cum sufficienti facchari quantitate & vitello ovi recenti exactissime subactæ, admixta sensim justa aquæ quantitate, in emulsionem gratissimam abeunt. Hanc saponacea sua facultate idem præstituram corpori judicabam, quod vitellus vestimentis resina vel picea massa contaminatis. Felicissime illius ope hanc eluunt artifices.

Hocce consilium etiam ex voto successit, Serenissimo Prin*1745.*  
cipe paucorum dierum continuatione ab hoc incommodo peni-  
tus liberato. Felices illas interim, quibus per sex fere menses  
gavisi fueramus, inducias, pro fructu assumtæ constanter tere-  
binthinæ jure agnoscebamus. Sed minoris momenti erat ille fru-  
ctus, quam ut urgere ulteriorem terebinthinæ usum fas ducerem.  
Incesserat præterea etiam aliquis metus omnium animos, subju-  
gata, quacunque demum arte, podagra, alios, eosque pariter gra-  
ves morbos, facile oborituros.

Missus Februario sanguis floridus erat.

Febr.

Majo levis impetus manum primo, mox cubitum, exin ge-  
nu tentabat. Respiratio contentiosa erat. Sputa uberrima.  
Phlogoses universales, præcipue faciei, quam spongia humida  
indesinenter solabamur. Cetera nil contra moliebamur, motu  
omni ad peripheriam expeditissimo. Marcescente undecima die,  
sub remissioribus doloribus, partium turgore, alvus per aliquot  
dies fluxa erat, cum molesto sensu. Decima tertia autem die, hæ-  
morrhoides sine incommodo stillabant.

Junio simillima huic per omnia accessio blanda, decem die-  
Junius.  
rum ambitu circumscripta, observabatur, eaque alvi fluxu ter-  
minata, post noctem, ab assumtis pilulis de Cynoglossa voluptuo-  
sam, uti hanc ipsam salutabat Princeps, quem hac unica vice re-  
cordor hausisse, per paroxysmi totius decursum, tenui pulli juscum,  
appetente calidum potum ipso palato.

Julio gravior nobis incumbebat impetus, clamores eliciens,  
& quinque horarum spatio ad summum gradum evectus. Quo  
temporis momento & turgor aderat, & congruens rubor, & pi-  
lulis nostris feliciter promota maturitas, prodeunte madore be-  
nigno. Sexta interim die per nucham vagabatur superficialis &  
rubellus dolor, cito discussus. Tum demum alvi lævitas cruentia,  
& excessu peccans, & calori costæque dolori juncta. Pertinax,

1745. malum nec diascordio, nec absorbentibus pharmaci morem gerebat. Vinum calidum proderat, inde a die decima tertia ad septimam frequentius haustum. Vini istius, quod *Vin brûlé* vocamus, præparatio talis: Vini gallici, *Eremitage* disti, vasculum, tres circiter scutellas, theæ sorbitioni dicatas, capiens, bullire finentes, vinum saccharo & cinnamomo imprægnatum, inter bulliendum accensum deflagrare permittebamus. Qua arte & gulæ acceptum, & minus inflammans reddebat vinum, cuius haustum, elapo fere semper quatuor horarum spatio, sumsit æger noster cum euphoria.

Quamquam autem consistentior indies hac methodo alvus evadebat, nondum tamen naturalis ea, nec incruenta erat, virumque lapsus & appetitus prostratio ita invaluerant, ut attonitos nos redderet insolitus aliquis sensim obrepens corporis & animi marcor. Contristatum enim aliquando præter morem conspicabar Cardinalem nostrum, vultumque ejus mortifero vulnere affectorum vultui simillimum. Tali rerum statu geminata opera extricare nos e dubiis rebus conabamur, voti tandem compotes facti duplicata Diascordii dosi, victu lactis cum pane albo, & decocto radicis Tormentillæ cum corticibus aurantiorum parato, tricesimaque morbi die alvi fluxus cum chiragra brevis duratio-  
nis commutabatur. Hoc tempore Medicus quidam Venetus, sen-  
tentiam suam circa nostram medendi methodum rogatus, fre-  
quentiorem pilularum de Cynoglossa usum in suspicionem voca-  
bat, parumque aberat, quin diffidentiam pharmaco excitasset,  
minus considerate scriptis ad Serenissimum Principem his ver-  
bis: *Rimedio da Medici tutti di buon senno prescritto.* Præferebat  
enim ille Medicus pilulis nostris de Cynaglossa, massam pilularum  
de Styrace, accusans in prioribus cum cynoglossam, tum hyoscy-  
mi semen, quippe quod tremores musculorum & debilitates in-  
duceret, aliasque plures nocivas qualitates exereret. Cui quidem  
acriori

acriori judicio, & insonti pilularum de Cynoglossa massæ minus 1745. competenti, opponebam primo auctoritatem gravioris Medici Romani, *Properi MARTIANI*, fidelitate & candore cum HIPPOCRATE & SYDENHAMO merito comparandi, qui tutissimum hujus remedii usum diurniore experientia compertus, ubi de articulari morbo verba facit i), hæc eloquitur: *Ego autem theriaca utor ad scrupulum unum, cum granis septem pilularum de Cynoglossa, vel etiam theriaca ipsa, agri natura inspecta. Quorum medicamentorum caliditatem & siccitatem corrigo victus ratione iis contraria. Hisque omnibus absolvitur curatio hujus affectus adeo exacte, ut alia omnia remedia irrita habeam, quæ in aliud finem tendunt.* Ostendebam utramque pilularum massam eundem agnoscere auctorem ALEXANDRVM, ob magnum in praxi medica nomen *υοχην Medicum* dictum, atque adeo eadem antiquitatis prærogativa gaudere.

Incognitas porro mihi plane esse regerebam nocivas illas species, quæ massam pilularum de Cynoglossa ingrediuntur, qualitates. Neque id mea tantum, multiplici sane experientia, sed & judiciosissimorum Medicorum effato confirmabam. Quod enim ad Cynoglossam attinet, perplacent quæ de hac planta profitetur. FVLLERVIS k): *Populus*, inquit, *Medicorum uno ore vim soporiferam attribuit Cynoglosso. Ipse vero, licet millies in usum duxerim, nullam ejusmodi virtutem observare posui. Egregium pharmacum in defluxionibus calidis.* Et commemini assertum cujusdam Medici, in Ephemeridibus his Nat. Cur. pilulas de Cynoglossa in compescendis convulsionibus ipsi Opio præferentis, & tanquam excellentissimum antispasmodicum dilaudantis.

Ad Hyoscyamum vero quod spectat, non equidem ignoro sugillare hujus antiquissimi dolorum dormitoris virtutes haud pa-

i) *Commentario in Hippocratem*, p. 214.

k) *Pharmacopœia extemporanea*, p. 355.

1745. cos. Nec diffiteor, culpa non vacare liberaliorem seminis dosin. At vero quale damnum emergere possit ex minuta adeo ejus quantitate, non video. Unicum enim seminis granum duodecimi massæ inesse, norunt omnes. Neque huc trahendas esse arbitror tristes illas historias, quibus abunde devorati effectus venenosi memorantur. Cruda semina copiose ingerere alias certe sequelas excitabit, quam congruo tempore & loco judiciose in usum vocare accommodam circumstantiis quantitatem. Quodvis remedium facile excessu peccabit. Quidni potens adeo & generosum!

Nos vindicatæ hujus pilularum massæ usum, constanti aliquot annorum decursu ita comprobavimus in Eminentissimo Principe, ut nullum unquam in contrarium effectum fuerimus experti. Confestim altera vel tertia accessionis nocte quinque vel sex grana deglutiebat æger, rarissime eandem dosin intra unius diei spatium repetere coactus. Utplurimum prima pharmaci exhibitione signa promoti ad peripheriam impulsus aderant, mador nempe blandus, turgor æqualis, rubor latus, excedentisque doloris sensus moderamen. Tantum abest, ut cohibuerit unquam justum morbi articularis successum, ut potius commodam viam ad attingendam eo facilius metam præpararit, fibrarum resistentiam amo liendo, partiumque spasmo crispatarum nisum refrænando. Et sane hic verus anodynorum rite adhibitorum fructus est, a reliquis remediis, contra spasmos adhiberi solitis, vix exspectandus, hocque ratiocinio conquiescens Princeps, cum fiducia uti remedio non desit.

*Augustus.* Augusto sanguis tenax & pituitosus e pede missus.

*Sept. & October.* Septembre, iterumque Octobre lèves aliquot dierum accessiones aderant, faciem & aures scarlatino rubore perfundente superficiali phlogosi. Exin sacharo lactis usus fuit Cardinalis per Novemb. mensem. Sub finem autem Novembris, prima nive, vigentibus ubivis

ubivis catarrhis, Principem occupabat catarrhus. Nuchæ dolor 1745.  
comes mox & chiragra dextra, splendente & quatri duo maturo  
turgore. Privo quodam jure liberi cconsentur ab epidemicis mor-  
bis podagrī; nec quenquam recordor ex meis epidemica febre  
correptum, quamquam non pauci prostent, quibus acuta febris,  
uncta doloribus, auxerit periculum, & quos socia utriusque mor-  
bi violentia jugularit.

Catarrhorum interim epidemiæ podagrīcī minus parcunt,  
quin immo permulti ansa fiunt recrudescētis morbi. Quidam  
etiam per vices vel catarrho laborant, vel articulati morbo, non  
obscuro, ni fallor, indicio, acre illud, quod supra accusavimus,  
podagricorum sal in illis catarrhosæ pituitæ vaginis delitescere,  
atque in catarrhis unacum pituita eliminari e corpore; in rheu-  
mate vero & arthritide ossium membranas obsidere & rodere,  
omnesque illos, quos podagrīcī experiuntur, cruciatus excitare.

Sub anni 1746. initium importunus gulæ spasmus, degluti- 1746.  
tionem turbans, quarta die vomitum proritabat. Ossa lingualia Januarius.  
revera arthritide affecta loquebantur omnes circumstantiæ, præ-  
cipue autem gulam ea ipsa die liberans manus dolor. Dolor  
erat immitis, pilularum nostrarum usum poscens, quibus octava  
demum die æqua maturitas promovebatur. Nona mœror ali-  
quis & insueta morositas & extremorum pallidus algor, pulsū du-  
ro existente, gravem tempestatem portendere videbantur. Sed  
metu liberabamur proxime, genu dextrum feriente impetu, in-  
tra biduum iterum fatiscente.

Februario ambæ manus & lateris dextri costæ septem die Februar.  
rum decursu vellicabantur, madore affluo liberatae. Quale quid & Mart.  
Martio nobis obtingebat.

Medio Aprili nocturnæ cholerae ansam dabat repletio aliqua Aprilis.  
diurna. Pulsus operosus comes. Malum vino calido repressum,  
post magnam saburræ nondum bene subactæ exturbatam copiam.

1746. Eminentissimus Cardinalis, per omnem vitæ tractum ventriculi virtutem nunquam deficientem expertus, hac cholerae occasione tamen ventriculi aliquem languorem accusans, potum subito mutabat, & loco adsueti potus aquæ simplicis, hanc Aera Bur- ipsam cum vini Burgundici quarta parte remixtam inde ab hac gundica. die hauriebat. Lagenam integrum vini istius intra unius diei spatium ordinarie exsiccans, non sine blandiente quadam, eaque per totum corpus se diffundente sensus grati perceptione. Vena hoc mense in pede secta sanguinem exhibebat floridum.

Majus. Prima arthritidis salutatio, ex quo vinosa gavisi diæta fueramus, eveniebat Maji quarta die. Aëris vespertini in horto afflatus excitabat dolorem manus & costæ, mox & pedis. Pulsus vinosam diætam decens, alacrior solito & a febrili parum abludens. Promotus tali pulsu terminus maturitatis, septima die intra non adeo molestos cutis fervores absolutæ. Persttabat interim aliquis dolor ruborque, & tumor articulorum duriusculus, ad decimam quartam usque diem, madore non ut ante affluo, siccio-reque ambitus corporis calore.

Junius. Medio Junio ex asse similis huic chiragra & podagra decem dierum decursu commodissime superabatur. Alvis hac vice præter morem siccior, unica Magnesiæ drachma in ordinem redigebatur.

Julius & Augustus. Pari ratione Julio & iterum Augusto leviores chiragræ accessiones sine alvi lubricitate finiebantur.

Septemb. Sub finem Septembris Chiragra & Gonagra sinistra repebant. Hæc quidem cum spastmo circa genu vigente clamoso & perseverante etiam tum, cum tumor & rubor & mador succedent. Sputa tenacissima. Decima tertia morbi die cholera superveniens, & hæmorrhoidum fluxio artus liberabant. Decima quarta facies uredinibus perfusa, luculenter indicabat, qualis præcedente die internarum partium facies fuerat. Similes enim uredines

nes in primis viis choleram provocasse, nullus dubito. Rhabar- 1746.  
bari tosti drachma sumebatur cum effectu optato.

Octobre sanguis e pede missus partim pituitosus conspicieba- Octob-  
tur, partim floridus. Octiduo a vena secta elapsa, hæmorrhoi-  
dum fluxio repetebat sine incommodo.

Novembre manus sinistra denuo affligebatur. Catarrhus do Novemb.  
loris socius. Status per decem dies violentus. Maturitas tum  
demum exquisita. Tumor prægrandis. Sputa tenacissima gra-  
tissimo pharmaco saponaceo fluida & mobilia reddebat, succo  
scilicet pomorum Sinensium saccharato.

Communicaverat illo tempore cum Serenissimo Principe no-  
stro aliud quoddam remedii genus, debellandæ podagræ dicatum,  
Eminentissimus Cardinalis *de Rohan*, qui eadem, qua Cardinalis  
*de Sinzendorff*, dolorum fere menstruorum catena irretitus, re-  
medio illo per longum annorum tractum usus fuerat cum nota-  
bili fructu. Erat autem hoc sequens :

- R. Radic. Gentianæ
- Aristolochiæ
- Herb. Centaur. minor.
- major.
- Chamædryos
- Chamæpityos  $\text{aa} \frac{3}{j}$ .

Infund. in Spiritu Vini Rhenani libr. iii. digeratur per xv.  
dies furno bene calido, Colatura D.

Hujus guttae XL. vel L. sumantur mane & vesperi in infuso her-  
bæ aristolochiæ, & post coenam in vino. Singulis mensibus pur-  
gandum semel per annum.

Quodsi calefaciat nimium, sequentis ptisanæ haustus bini vel  
tres sumantur post prandium :

1746.

v. Radic. Graminis Miiß.

Fragariæ Mj.

Dactyolorum No. viij.

Radic. Glycyrhizæ ȝȝ.

Coquantur in aquæ fontanæ libr. IX. leni igne, ad casum tertiaræ partis. Purgans sit sal Anglicanum. Post tres menses gutræ semel de die, dein bis per septimanam sumantur per omnem vitam.

Sunt fere omnes Podagrīci isto anima, ut hac vel illa via restitui se in integrum posse sperent & metuant, dubioque consilio a cruciatuum repetitione liberari non minus ardenter desiderent, quam tremuli vereantur.

1747. Jam quamquam fragrantior paulo nobis videretur mixtura Januar. illa spirituosa, periculum tamen ejus faciebamus per unam vel alteram diem. Et cum prima hæc tentamina nimis ferirent linguam, eamque siccarent, præterea quoque spasmum costarum excitare viderentur, abstracta spiritus dimidia quantitate, mitorem eam & gustui magis gratam efficere curabamus. Vix autem per aliquot dies assumta erat mixtura hæc temperata, cum continuationem ejus interpellaret chiragra sinistra sub finem Januarii molesta. Fervor aliquis universalis huic junctus erat, dolorem cito transferens in manum dextram & genua. Alvus siccior enemate monenda erat officii. Octavo die pacata omnia.

Fervor ille, præ aliis vicibus notabilior hac accessione, suspectam nobis reddebat pharmaci spirituosi virtutem. Neque enim ferebat Eminentissimus Cardinalis ptisanam moderandis caloribus, ab usu hujus mixturæ exspectandis, destinatam. Obtinebat præterea adhuc aera Burgundica, usus scilicet vini Burgundici cum duabus vel tribus aquæ partibus remixti, justusque adeo suberat metus,flammam tandem concepturum sanguinem vino & spirituoso medicamine simul imprægnatum. Abstinuimus ergo penitus ab hujus continuazione.

Februario medio catarrhus cum tussi inani agitabat pectus. 1747.  
Violentia stimulantis tussis pilulis de Styrace perdomita. Februar.

Martio subitus & longe acutissimus dolor petebat pedem, Martius.  
eumque æque cito altera die iterum dimittebat, non sine metu  
interiora ferientis impetus. Tertia enim die enormis vomitus in-  
ter prandendum observabatur, quem quidem magnam etiam par-  
tem vino Burgundico copiosius hausto, lentibusque, quarum  
amantissimus erat Princeps, aceto vini humectis, avidius ingestis,  
tribuebamus. Turbae sponte conquievere.

Hoc mense sanguis præter morem tenax, luridus, teter,  
inflammationem spirans, e pede emissus, inquietos nos red-  
debat, variaque meditabamur, quæ objici glutinoso illi pingui  
cum fructu possent. At enim vero quis fructus expectandus erat  
a quacunque diæta, a quo cunque pharmaco, cum primum in pi-  
tuita dissolvenda remedium in potestate nostra non esset, labor  
scilicet & muscularis motus, absque cuius adminiculo irritum fu-  
turum quemvis conatum prævidebamus.

Erat enim per hos annos, quibus assistere Serenissimo Prin-  
cipi datum fuit, impossibilis omnis incessus, muscularisque mo-  
tus quivis, vel tantillum operosus. Manibus ipsis vix ciborum  
assumptioni, librorumque, quorum lectione nulla non die delecta-  
batur, evolutioni sufficientibus. Unum motus corporis genus  
nobis liberum erat: vel curru longius exspatiari, vel curriculo  
suo triumphali in horto aut conclavi vectari; motus intimæ hu-  
morum tenacium miscelæ juvandæ non adeo magnifice favens,  
optimus tamen, deficiente omni reliquo, si exceperis frictiones  
humidas in pediluvii & balneis, satis solenniter in usum voca-  
tis, adhiberi solitas.

Venerat inter alia in mentem nostro Eminentissimo, experiri  
in se ipso virtutes medicamentosas pretiosi illius *lapidis hystricis*,  
quem mille florenorum Hollandicorum sumtu sibi comparaverat.

1747. Notum est, medicamenta biliosa, & in his præcipue concretum hoc felleum, glutinoso pingui objici a magno seculi nostri Medico BOERHAAVIO, bilemque & lentam pituitam oppositam inter se habere in dolem, observante id illustri illius Commentatore *van SWIETEN*; minus ergo hæsitabam concedere hoc, si non adeo proficuum, innoxium tamen futurum tentamen.

Aprilis.

Infudimus lapidem istum per viginti minuta in aquæ Cardui benedicti unciis quinque vel sex, & hausimus jejuni. Affligebant illo tempore matutini quidam pituitæ vomitus Principem nostrum, qui & alias facili causa, maxime vero nunc abundante pituita, prioritabantur. Hi, repetito per aliquot dies haustu illo bilioso, conquiescebant. Observabamus autem sequentibus experientiis, aquam simplicem felicius & citius imbui specifico illo amarore, a quo virtus omnis medica lapidis pendet. Missa ergo Cardui benedicti aqua, benedictam fontanam præ hac pro menstruo pharmaci seligebamus. Effectus tandem, si, quod res est, fateamur, nec tantus erat, ut nos ultro alliceret, nec tam nullus, ut suscepisti nos pœniteret. Sub finem Aprilis afflatus Boreæ invitabat catarrhum, hic lateris dolorem, quem chiragra levabat, felici humorum ad extrema motu.

Hæc eadem chiragra sub Maji finem repetebat, sed violenter & triduo acutissima, repetitamque pilularum de Cynoglossa dosin poscens, antequam blandum illum, maturitatem & levamen adferentem, madorem impetraremus. Quarta die manum alteram feriebat impetus, septima die discussus, largumque hæmorrhoidum fluxum post se trahens. Inter solennes pilularum nostrarum effectus constanter observabatur alvi aliqua segnities. Hæc præsenti accessione paulo solito pertinacior, vinosaque diæta auctior, repetitis enematibus levanda veniebat. Rhabarbaro illa imprægnata votis satisfaciebant sine incommodo.

Junii octava die subita cholera media nocte magnam assum- 1747.  
torum faburram per superiora & inferiora exturbabat. Causam Junius.  
mali accusabamus fervente cœlo largiorem solito vini Burgundi-  
ci, cum aqua remixti, haustam quantitatem, sudantique corpori  
admissam noctu frigidiusculam auram. Irritos plura egerendi  
conatus, probe vacuatis spontaneo illo motu viis, reprimebat me-  
dicamentum absorbens & unica theriacæ dosis.

Julio levis dolorum podagricorum mussitatio, & octiduo ab Julius.  
hinc fluxus hæmorrhoidum parcus aderat, turbis exin pacatis ad  
primam Augusti, qua noctu pes, mane coxendix dolebant. Ru- Augustus.  
bellus illico pes. At vero superveniente gravissimo & non præ-  
viso animi motu, & dolor & rubor præpropere se recipiebant,  
visceribus e vestigio molestissimo sensu pressis. Hæc prima secu-  
turi propediem insuperabilis morbi origo.

Erat Eminentissimus Cardinalis, quod magno ei honori esse  
duco, summæ animi moderationis, contemnendisque adversitä-  
tibus adsuetus. Hac tamen vice parum aberat, quin momento  
iis succubuisse. Animum insolita quadam afflictione perculsum  
shedula ad me missa ipse profitebatur, viscera premi simul in-  
nuens. Scilicet ardentissimo Princeps flagrabat desiderio interes-  
se electioni Archiepiscopi Salisburiensis. Videbatur quippe EI  
blandiri aliqua spes successuræ ex voto electionis, si modo dare-  
tur eidem dirigendæ præsto esse. Quicquid ergo vel remorari  
Salisburiense iter, vel præscindere conceptam spem minabatur,  
infestum erat animo in istam gloriæ metam defixo. Levatis ob-  
staculis levatae præcordiorum molestiæ, iterque institutum die  
duodecima Augusti. Neminem latet, rebus Salisburii minus op-  
tabiliter cedentibus, Cardinalem longe gravissimis maceratum  
fuisse animi turbis. Factum inde, ut altera ab electione die, do-  
mum reversurus, iter iterum instrueret. In hoc Danubium navi-

1747. descendens somnoque indulgens, humido refrigerio admisso in alvi molestum fluxum incidebat.

Septem- Hunc alvi fluxum die duodecima Septembribus sequebantur  
ber 12. vomitus plane enormes. Exceptus ea die convivio splendidissi-  
mo fuerat ab Episcopo Olomucensi, ad quem diverterat, partim  
ferente id itineris ratione, partim & recreandi animi causa. Vo-  
mitus illi, de die in diem importuniores, repetitis theriacæ cœle-  
stis dosibus ad breve temporis momentum repressi, ultro semper  
urgebant. Princeps tandem, intimo ingravescenis mali sensu  
percussus, magnis itineribus Viatslaviam suam contendebat, die-  
que vicesima tertia quatuordecim milliaria absolvens, versus me-  
diam noctem domum redux salutabatur. Mihi quidem tunc ad-  
volanti immane quantum mutatus ab illo videbatur Eminentissi-  
mus noster. Obrepserat notabilis aliquis marcor, consuetum, &  
Principi plane peculiarem faciei splendorem oblitterans. Oculi  
profundi erant & nobis plane peregrini, nimium obtusa eorum  
acie. Ad hæc insolita vocis, acutæ alias, raucitas ustulatas levè  
inflammatione oris membranas subindicabat.

Ex hisce ergo junctim consideratis, cum tristiores nobis im-  
minere turbas præmetuerem, itineris comites, animum a metu  
liberaturi, suggerebant, omnia hæc operosi & pulverulentí iti-  
neris culpa evenire, concessa quiete facile iterum disparitura.  
Sumserat Cardinalis istius diei mane, ut compesceret vomitus,  
quatuor theriacæ cœlestis grana, & conquieverant turbæ ad no-  
Sept. 24. tem. Lectum ergo petebat absque repetitione pharmaci. No-  
XIII. Æ somno transacta, summo mane denuo aderat vomitus. Non  
obstante impetuosa hac ventriculi actione soporosum deprehende-  
bam Principem nostrum. Novus latentis periculi monitor mihi  
existebat ille sopor, præcipue cum statum sōnticum tacite decla-  
raret pulsus ea die subinde, magno meo dolore, intermittens;  
phænomenon, quod me, pulsuum rationes in Principe nostro

exactissime semper examinantem, protinus attonitum redde.<sup>1747.</sup>  
bat.

Hac tam implicata rerum facie minus tutam judicans soporiferam nimium theriacam cœlestem, mitius pharmacum eidem substituebam, unam scilicet diascordii Fracastorii drachmam. Hæc mane sumta ab ulteriore vomitu præservabat totam illam diem, quæ, animo ob redditum magis composito, sic satis per omnia tranquilla transigebatur; quin & ipsa nox præ priore ma-<sup>Sept. 25.</sup>gis adhuc pacata. Matutinus interim vomitionis repetentis im-  
petus longius a securitate nos abesse indicabat, quam opinare-  
mur. Et quanquam ea die levia se manifestarent arthritidis mol-  
limina, inflatis sinistri pedis venis, subrubella cute, dorsoque  
pedis indolente, eaque omnia constantem nobis podagræ acces-  
sionem & hoc ipso salutarem vomituum medelam, pollicerentur;  
mox tamen evanida erat illa spes, intra brevia temporis momen-  
ta cum ipso podagræ apparatu disfluens. Idem enim impetus,  
qui paulo ante extremum pedem petere visus fuerat, confessim  
inverso ordine ventriculum feriebat, noctemque, reiteratis post  
quævis assumta vomitibus, turbabat. Erat autem vomituum ra-  
tio talis: Singuli haustus commorabantur aliquamdiu in ventricu-  
lo, usque dum proxime in intestina transitum moliri viderentur.  
Tum vero jugi impetu rapidus assumtorum torrens, distento ore,  
liberalius effundebatur, manifesto indicio, denegatum assumto-  
rum transitum in intestina provocare ventriculi, diaphragmatis,  
omniumque thoracis & abdominis muscularum convulsionem, ve-  
ram vomituum verendorum causam! Et par erat, sive frigide,  
sive calide assumtorum fatum. Calidorum quidem summum ade-  
rat per plures dies fastidium. Aegrius ergo illa assumebat æger;  
assumebat tamen rogatus theam. Calida scilicet adstantibus ma-  
gis blandiebantur; sed eadem mora, eadem, qua ingurgitata  
erant, via, regurgitabant & illa. Quin & ipsa medicamina, vo-  
Sept. 26.  
XV.

1747. mitibus objecta, ne excepto quidem, felici alias in his reprimendis, laudano liquido *Sydenhamii*, aliquoties post vomituum violentiam exhibito.

Tum vero rebus aperte desperatis, periculoque pulsuum inconstantia confirmato, anxii confugiebamus ad lapidis hystricis infusum, ad mixturam nostram arthriticam, ad enemata varia, ad decoctum corticum aurantiorum cum tormentilla, iterumque ad theriacam illam, si Diis placet, cœlestem; successu nullibi votis nostris respondente, nisi quod sopor austus inducias quasdam proficias mentiretur. Sub vesperam tantillum vini generosissimi Tockaviensis, cum pane albo sumtum, compescere indomitos vomitus videbatur, Eminentissimusque, refectis tantillum viribus, per aliquot horas tranquillus blande madescebat, cumque paulo post aliquot theæ vascula hausta nauseam vomibundam revocarent, motus illos commorso citro feliciter reprimebat. Nox

- Sept. 27. præter expectationem profundiore somno tranquilla erat, nisi quod  
**XVI.** pavores, in somno a me observati, fulgures mihi viderentur, certo imminentem proxime annunciantes tempestatem gravorem. Quam inevitabilem, magno tamen conatu prævertere annitebamur, fotu, frictu, sinapismo, vesicantibus, motuum directionem ad extremas partes invitaturi, decollantemque spem resuscitabat nunc gratus sudor, nunc plenior & ordinatus pulsus. Comparebat præterea rubellus turgor, ambas manus occupans, faciemque simul perfundens. Soli pedes minus tumori se adaptabant, sicco calore rigentes. Matutinæ aliquot horæ statum adeo tranquillum adstantibus offerebant, ut singulorum animis spem inspirarent, res desperatas adhuc dum in integrum restitui posse. Coniunctos ideo cum sopore & nunquam non verendos pavores, molliter in ægri gratiam sentientes, interpretabamur oboriri a podagrico molimine; solam Podagram, debita loca attingentem,

solvendo morbo, alias insuperabili, parem pronunciantes. Quibus 1747.  
auditis attentissimus ad quævis Serenissimus Princeps: *Ergo vero,*  
*inquit, status noster simillimus est ei, quo occubuit CAROLVS VII.*  
*Imperator!* Congruum sane judicium & apposita comparatio!  
*nisi enim, tristis monebam, crisis nostra ad peripheriam cito ab-*  
*solvatur, aque cito actum de nobis est, ac de illo.* Cui acerbissimo  
effato proxime respondebat acerbior eventus.

Nam post meridiem subito remittebat salutaris ille visus & ad peripheriam tendens humorum motus. Turgori rubello succe-  
debat squalidus marcor. Invalescebat sopor, ita quidem, ut de  
potu aut alia quadam re admonitus Cardinalis, semper quasi ex alto  
somno excitatus cum terrore aperiret oculos, & quid rerum ades-  
set, sciscitaret, mox iterum clausis oculis. Ad pavores accedebant  
artuum tremores, reliquo corpore immota quadam situs ratione  
propius ad tetanum accedente. Tussim provocabat vel parcissima  
liquidorum deglutitio, quorum justam exhibitionem præpediebat  
maxillarum spasinus, os tenacius constringens. Oculi tunc vitrei  
& altius immersi. Urinæ suppressæ. Stertor sensim obrepens. Sin-  
gultus quoque & tandem fatiscentibus per noctem eunctis vitæ  
motibus, stertorosa mors, quæ consequebatur die Septembris vice-Sept. 28.  
fima octava, hora octava matutina, tabo cruento, consummatæ in-  
flammationis gangrænosæ teste, paulo post mortem per omnes po-  
ros magnos penetrante, corpore ad crepaturam inflato.

Tantum valuere cum itineris molestiæ, tum gravissimæ animi  
iterato vulnerati afflictiones, forte & vini Burgundici adulterati  
usus, & lubricæ in itinere, uti mussitant adstantes, diætæ ratio. Qui-  
bus junctis vigor cordis tandem infractus fatiscere cœpit. Immi-  
nente postmodum arthritide non amplius attingere potens remo-  
tiora a centro loca, & penetrare per vias vel spasmo strictas, vel  
tophis obstructas, vel coalitu deletas, detento adeo malorum fomi-  
te in ipsis visceribus, lethalique ibidem incendio producto. Nullus enim dubito, gangrænosum reperturos nos fuisse ventriculum,  
præcipue circa pylorum, si sectioni corporis Eminentissimi Cardi-  
nalisi locus fuisset. Notaram quippe inter repetitos vomitus, ma-  
nu aliquando leviter contreftans abdomen, locum aliquem du-  
riuscum in regione gastrica dextra, eumque renitentem & ad  
contadum confestim convulsione jactatum; tremulo subsultu ex-  
quisitissimum sensum prodente, focumque incendi manifeste indi-  
cante.

1747. cante. Quanquam de reliquo non aliena etiam a vero videatur suspicio, harentis simul in vesicula fellea calculi, sanitatis vitæque destructoris. Præterquam enim quod huic choleras & indomitos vomitus proritare solenne sit; hæreditaria quoque dispositio quædam favebat calculi generationi apud Cardinalem, utpote cuius illustrissimus Pater magnæ molis calculum in hepate exhibuerat; notumque insuper, similem vesiculæ felleæ calculum exhibuisse insuperabili cholera humanis rebus erectum Augustissimum olim Cæsarem CAROLVM sextum.

Quod autem attinet ad historiam mortis CAROLI *septimi* Imperatoris, ad quam provocabat moriturus Cardinalis, e re esse judico brevibus eandem hic commemorare, ob aliquam morbi interemtoris affinitatem.

I. Quinta Januarii die chiragra laborare cœperat Imperator.  
 VIII. Hanc octava inde die exceperat Podagra, mox & gonagra. Die decimo quarto morbi, superato jam viso accessu, madore humectus æger in conclave subgelidum se conferebat. Vix horæ quadrantem ibidem commoratus, lectum tremulus repetere coactus, convellitur. Per horæ dimidium vix respirans, dentibus stridens, secta in brachio vena tandem ad se rediens, pulmonalesque ardores accusans. Artus omnes inscii dolorum. Urinæ pareissimæ. Tussicula sicca. Alvi lubricitas ominosa. Respiratio turbatissima. Diserti lethalis nobilissimorum viscerum incendi testes. Nullum a repetita venæsectione auxilium, sed præceps, prævio linguae livore, mors, die morbi decima septima. Secundum corpus adstantium oculis offerebat pulmonum & ventriculi sphacelum, cordis polypum, calculum renum; uti hæc omnia in memoriis publicis (*Pommerische Nachrichten* 1745. im 21. Stück pag. 238.) recensuit Cæsareus Archiater Wolterus.



V I R O  
Illustri, Excellentissimo & Experientissimo  
D O M I N O  
**ANDREAE ELIAE  
BÜCHNERO,**

S. R. I. Nobili,

Consiliar. Archiatro & Comiti Palatino Cæsareo, Potentiss.  
Reg. Boruss. Consiliar. intimo, Medicinæ & Philosoph. na-  
tural. Prof. Publ. in Regia Fridericiana,

*Academiæ Imperialis Leopoldino-Carolinæ  
Natura Curiosorum*

Præfidi dignissimo,

Adscriptionem in illustrem hanc Societatem admittenti &  
Diplomate solenni obsignanti & confirmanti, in publicam  
gratiarum actionem

Meditationes suas

de

**NOXA TIMIDITATIS IN CVRA-  
TIONE HAEMOPTYSEOS**

loco pensi sui  
transmittit & consecrat

Salentinus Ernestus Eugenius  
Cohausen,

*Proto-Physicus Confluentinus,*

&

*Academiæ Nat. Curiosor.*

**CLEOMBROTVS II.**

**Ioannes FERNELIVS in Præfat. ad Lib. I.**  
*de Methodo medendi.*

**A**d Naturæ similitudinem effectum simulachrum quoddam est Medicina, quæ Naturæ legem semper intuens, in eamque defixa, ad ipsius imitationem studium & opus omne dirigit, ut homini firmam, minimeque morbis obnoxiam valetudinem conservet & tueatur, lapsam vero & affectam erigat & in integrum restituat, vitamque ipsam salvam & incolumem, quam potest fieri longissime, producat.

**Georg. Ern. STAHLIVS in Dissertat. de Venæ-  
sectionis patrocinio, Cap. II. p. 6.**

**V**enæsectione eandem cum Natura intentionem habet: Venæsec-  
tio vicarium officium subit, & omnibus his moliminibus  
aut periclitationibus tempestiva & expeditissima ventilatione ob-  
viam it, ne Natura prolixe ad operosos, imo sub impedimentis  
variis molestissimos motus confugere  
adigatur.

# Illustris & Excellentissime Domine, Fautor ac Patronē colendissime.

**T**ua eminens comitas & singularis facilitas, Vir Excellentissime, qua non modo litteras, omnesque earum cultores atque veros amatores interius admittis, sed absentes quoque & longius remotos, quasi alter Homericus Apollo, longe operosis honorificis admissionis titulis, & non fucatae amicitiae beneficis radiis perfundis, effecit ut TE scripto hoc adire & veluti in ipsum publicae humanitatis sacrarium irrumpere, hasque paginas illustri Tuο nomini inscribere & TEcum conferre, ac insimul quædam de noxa nimis timidæ Therapiæ morbi haud infrequentis d̄sserere audeam; prout nunc a viginti octo, & quod excurrit, annis in eo totus fui, ut circa morborum quorumvis curationem, tum continuis studiis & veris observationibus, tum diligentí observatorum collectione & combinatione id annotare & eruere adniterer, quo morborum Therapiæ tum felicius atque tutius, tum citius, & quidem solide, non palliative, succederent.

Hæc probe repetitis vicibus ruminans, vulgaremque praxin sedulo excutiens, dolenter s̄p̄ius vidi, quod in plurimis casibus temere, in multis nimis timide agatur; quantopere autem utrumque vitium in artis tam salutaris simulque imperiosæ exercitio nostrum sit, per se ita patet, ut fere nulla egeat dilucidatione; proh dolor! enim indies observare licet id, de quo modo anxie conquestus est Romanus sapiens, Epist. 4<sup>c</sup>. p. m. 226. *Vitia notis sub virtutum nomine obrepunt, temeritas sub titulo fortitudinis latet, moderatio vocatur ignavia, pro cauto NB. timidus accipitur, in his magnò periculo erratur, his certas notas imprime, &c.* Cruentis merito lacrymis deplorandum est, quanta & quam funesta

nesta quotidie mala in medicinam introducat temeritas ex Empirorum, Histrionum, Balneatorum, aliorumque idiotarum, illoitis manibus in artis tam periculosa exercitium, ob sordidi lucelli spem, irrepentium, & omnia indiscretim, sine fundamento & ratione, audacissime tentantium, præposterioris factis satis conspicua. Aureus hinc profecto (ut Illust. STAHLII verbis utar) est locus THVCYDIDIS, ubi de jactantia, audacia & temeritate dicit, quod imperitia matre prognascantur, aut ignorantia, indocta inficitia, audaciam proferat, pensitatio vero cunctationem; & profecto recte huic asserto suffragantur Latini, notissimo illo suo adagio: *Quo quis indoctior est, eo est impudentior.* Quum itaque temeritas ex tam propudiosa matre semper progeneretur, quid mirum, quod nihil, ex sententia CICERONIS Lib. I. de Natura Deor. temeritate turpius, nec quidquam tam indignum sapientis & Medici gravitate & constantia, quam aut falsum sentire, aut quod non satis exploratum, perceptum & cognitum sit, sine ulla dubitatione defendere; nihil porro a gravitate sapientis, (qualis omnis Medicus merito esse deberet, ob vere arduum & pericolosum officium, in quo non de sanguine brutorum, sed de corio humano agitur,) errore, levitate, temeritate, addo timiditate, disjunctius, ut proin summopere optandum foret, quo omnis actio, præcipue in Medico, vacaret temeritate, ignavia, timiditate & negligentia. Utrum autem a temeritate, an a timiditate manus & crebrius damnum exspectandum sit, fusius disceptare nolo; Emmanuel THESAVRVS in Philosoph. moral. Lib. IV. Cap. 6. pag. 121. ita inquit: *Temeritas & ignavia vicia extrema sunt potentia irascibilis; illa quatenus exquirit, ista quatenus fugit pericula, contra qua deberet insurgere; amba intelligentiam habent adeo corruptam ab habitu perverso, ut non considerent nec qualia pericula, nec quali de causa, nec quali modo una exquirat, altera fugiat. Non est animal homini similius simia, at nec deformius*

minus est: non est, quod fortitudini similius est temeritate, at quantum rationalis illa, hac bestialis est. Si itaque duo hæc via extrema sunt, quidni ab utroque extrema mala, tanquam fructus pedissequi & inevitabiles, expectanda veniunt, nisi fortassis quispiam arguere velit, quod peccata omissionis minora sint, quam commissionis; peccatum autem commissionis, secundum Theologos (vid. LAYMANNI *Theolog. moral. Lib. I. N. I. Tract. 3.*) nil aliud est, quam actus humanus malus; omissionis vero in eo consistit, quo homo, libertate præditus, *non operans est*, cum secundum legis præscriptum operari deberet, licet & id valdopere quoad Medicum controverti posset, dum vix differentiam deprehendo, num quis per incongrua & periculosa remedia temerarie trucidetur, vel si id, quod fieri oportuisset, timide negligatur, atque propter hanc omissionem timidam æger pereat, nisi forte in temeritatis, sive commissionis actu, major præsupponatur malitia, quæ operantis conscientiam vulneret & angat; sufficit, utrumque vitium matrem fecundam agnoscere ignorantiam & imperitiam, quæ secundum HIPPOCRATEM in Lege, *malus est thesaurus, maleque opes recondita, iis, qui eam tum opinione ipsa, tum revera possident, securitatis animi & latitiae expers, timiditatis & audacia nutrix; ac timiditas quidem impotentiam, audacia vero artis ignorantiam arguit, &c.* Verum his diutius immorari velle, tanto magis mihi supervacaneum ad scopum meum esse videtur, cum fusius & ad omnes speciales actus excurrere non sit animus, sed duntaxat in uno morboſo statu per ratiocinia & observatio-nes exponere intendam, quænam passim mala ex *Medici timidi-tate* in ægros Hæmoptysi laborantes redundant. Hæmoptysin autem non secundum litteram, quæ in genere omnem sanguinis expusionem, e. g. ex gingivis profluentis, vel ex infundibulo ad fauces depluentis, immo muco narium se associantis, denotat; sed eam sinceri, floridi & copiosi sanguinis ex pulmonibus erup-

tionem ac rejectionem mediante tussi, intelligo; malum equidem, respectu aliorum morborum & indefinitæ ægrotantium ac morientium hominum multitudinis, non adeo frequens, sed tanto magis soticum & terrificum. Quum enim omnis præternaturalis excretio semper mala sit, sic sanguinis pessima, unde etiam superne eum efferri, qualiscunque sit, malum pronunciat COVS, Sect. IV. Aphor. 25. quod & ipse magnus ceteroquin Naturæ directricis defensor, STAHLIVS, explicite agnoscit in *Theoria Medicæ Part. II. Sect. I. Artic. 2. p. m. 725.* sic scribens: *Unde quidem hoc maxime intuitu Hamoptysis, quatenus pectoralis eruptio sanguinea, vere seu morbida & erronea taxari meretur; licet in genere, quatenus evacuatio simplex, etiam non inconveniens sapenumero judicari possit.* Propter constitutionem enim pulmonum omnis obstitutionis impatientem, interim vesculari sua vacuitate recipiendarum, immo respirationis actu intimius atque penitus imprimendarum staleon quam maxime capacem; sanguis autem semel subsistentis certam atque presentaneam corruptionem & ab hoc etiam ipsius tenerima textura hujus partis colligationem, atque sociam corruptionem, periculose admodum consequentia existit. Hinc igitur tanto major cura & sollicitudo cum experientia & applicandorum dexteritate requiritur, ut omnino sum & periculolum subdolumque hoc malum, quod plerosque eorum, quos corripit, lenta tabe ad orcum dederit, tum præcaueatur, tum secundum genuina artis principia, & rationis veræ cum experientia junctæ formam, convenientemque salutarem methodum, curetur, tractetur, saneturque. Peccant autem in ejusdem Therapia non leviter, nec infreuenter, tum plebeii, tum nasutiores chirurgi & medicastri, tum ipsi quoque, vah probram! subinde Medici, quoniam cum tale malum est, quod omnibus statim terrorem incutere solet, tam ipsi nempe ægroti, quam adstantibus, ocyus idcirco expeditum promptumque remedium posculare,

stulare, vel ipsi etiam adhibere solent, quo vitalis humoris p. n. excretio citissime sistatur, utpote in quo animam hærere judicant, & idcirco statim metuant, ne anima ipsa cum flido sanguine ejiciatur; timidus ergo & anxius hinc æger, timidi circumstantes, unice a Medico efflagitant, immo reiteratis petitionibus eundem urgent, ut tam levius, quam præcipue impetuosis prorumpentem cohibeat & coërceat sanguinem, siue his annuentibus deprehendunt, factaque simultanea hæmorrhagiæ hujus suppressione voti sui compotes redduntur, lenta tabes, seu pulmonalis phthisis, ordinarie fere succedit, scenamque istam lethali tandem exitu claudit, prout hoc ex binis faltem hic subjungendis exemplis luculentius patebit.

Neogamus, temperamenti sanguinei, annorum aliquot supra viginti, cum nocturno tempore nimium incaluisset, seque dein post inopportunum Veneris exercitium ad quietem componere vellit, sicca corripitur tussicula, quam statim excipit exscreatio copiosæ materiæ subdulcis, quæ cum ipsi suspecta fieret, lumen adferri jubet, seque tunc purum & sincerum sanguinem rejicit, se non sine horrore conspicit, hinc ocyus Medicum accersiri jubet, cuius adventus, ob continuantem sanguinis etiam grumosi copiosam rejectionem, duplicatis nunciis urgetur. Advolat Medicus juvenis, nondum in praxeos, nec hujus etiam morbi exercitio debite versatus, ceteroquin vero satis doctus & scholarum proverbiis tumidus, conspiciensque tam copiosum sanguinem modo evacuatum, attonitus stupef, ac de eo unice sollicitus est, ut istud profluviū per valida adstringentia compescatur, hincque sine mora mixturam talem cum decocto travmatico præscribit, quibus avide, cum magna futuri boni effectus confidentia, haustris, brevi post ominosum illud ipsi visum sanguinis sputum miraculi instar sistitur, remanente tamen tussi sicca, quam parum curat, itemque respiratione difficiliore & anxia, ad quam tollendam

dam emollientia, relaxantia & expectorantia præscribit, quorum usum excipit tussis humorosa, cum rejectione copiosa sanguinis atri, congrumati, & materiæ pulposæ vere purulentæ, sub qua successive respiratio liberior redditur. Lætatur hinc æger, sibique de felici therapiæ successu applaudit Medicus, gratusque æger laborem aliquot aureis subridenti Practico compensat. Verum molesta ista tussis constans dein perseverat, diu noctuque fere indeſinenter affligens, ad quam cicurandam omnes pharmacopolii excutiuntur pyxides & loculi, sed frustraneo effectu & irrito conatu; æger enim indies magis magisque extenuabatur, substantia musculo-carnosa sensim evanescet, vires successive decrescebant, & tandem lenta mors catastrophes ludebat epilogum.

Plethoraicus triginta sex annorum, quolibet vespere cantharum vini rubri exhaustiens & nicotianæ simul fumum per fistulam fugens, conqueritur de molesta tussi cum raucedine juncta, tandemque non opinanti supervenit enormis hæmoptysis. Medicus vocatus obstupescit ad ingentem sanguinis per tussim continuam rejecti quantitatem, unde anxius & dubius quid primo agendum sit fere nesciebat; tandem ne malum augeatur, aut saltem diutius continuet, in adstringentibus quærerit refugium & auxilium: venæ sectionem enim propterea institueret nolebat, quoniam omnem fere e venis sanguinem exhaustum esse metuebat, unde suis innitens fidis remediis stypticis, cum adeo periculosa sibi visam hæmorrhagiam cessare cerneret, lætum canebat epinicum, ægerque se nunc prorsus salvum esse credebat. Verum grumi extravasati sanguinis intra vulneris confinia subsistebant, qui in corruptionem putredinosam abientes, sordidum in pulmonibus ulcus, per reiteratam molestam tussim mundandum & nunquam consolidandum, efficiebant, sensimque in pejus ruente malo, elapo dimidii anni spatio lugubre canebat epidemiū.

Binæ hæ morborum historiæ abunde confirmant practicum  
Illustr. HOFFMANNI monitum, *Medicin. ration. system. Tom. IV.  
Part. II. Sect. I. Cap. 2. p. 43. §. 7.* hisce verbis communicatum:  
*Sicuti remedia, qua validiori adstringendi facultate pollut, nun-  
quam ullo in morbo, ita nec in hemorrhagiis securam opem præ-  
stant: omnium vero minime in hæmoptysi, præsertim illa quasi cri-  
tica, nec non ab initio & in paroxysmo ex usu sunt.* Etenim licet  
fluxum ad tempus sistant, relinquunt tamen in pulmonalibus ve-  
sculis sanguinis grumulos, qui in corruptionem abeuntes, inflam-  
mationem, putredinem, phthisin & hecticam expedio & facilè  
modo inferre possunt, prout ea omnia in modo recensitis casibus  
illata fuisse constat. Sæpius idcirco miratus sum absurdissimam il-  
lam hæmorrhagias curandi methodum, cuius autor est HELVE-  
TIVS, dans le Recueil de diverses meslodes pour la guerison des  
maladies, p. 311. ubi alumen crudum in magnis hæmorrhagiis  
ad scrupulum dimidium quolibet bihorio porrigendum suadet,  
hanc simul superaddens cautelam: *Les malades, qui crachent ou  
qui vomissent le sang, doivent avoir leur chevet fort haut, afin  
de tenir leur poitrine dans une situation commode.* Exinde nam-  
que patet, quod & in ipsa Hæmoptysi vomituque cruento mag-  
num hoc stypticum præscribere audeat, sed quam felici cum suc-  
cessu exemplo quodam didici, cum junior quidam Medicus in  
hujus magni magistri verba jurans, illud in uteri hæmorrhagia  
reiteratis vicibus porrigeret, fatali cum subsequuto eventu. Pes-  
sime igitur in Hæmoptyseos & fere omnium hæmorrhagiarum  
curatione agit Medicus nimis timidus, si purpuream animam mox  
simul prodituram suspicatur, hincque eam adstringentibus incar-  
cerare, & stypticis ligare incautus ac inexpertus tentat; fallitur  
enim ipse, & adhuc magis fallit infelicem ægrum, qui, sublisente  
cruore, sibi ingens beneficium præstitum fuisse lætus autumat,  
neque permanens, imo aductum, aut potius inevitabile timet

periculum, dum nunc lenta tabe consumitur, qui alias debita cum prudentia tractatus, per plura adhuc lustra sanus conservari potuisset. Peccat porro timore suo nimio Medicus, quando ex copiosius rejecto sanguine vasa admodum depleta, & vires plane dejectas esse concludit, & idcirco nec derivatoriam, nec revulsoriam instituere audet V. Snam, qualis noxius timor fuit prioris Medici, qui neogamo hanc sanguinis interdixit ventilationem, quoniam per frequentes amoroſos concubitus vires jam tum nimis fractas & exhaustas, atque per impetuofam illam Hæmoptoen magis adhuc imminutas esse autumavit, non vero simul indicavit, quod quoad maximam partem ab orgasmo, in subjecto tali plethorico prius excitato, inducta fuerit Hæmoptysis, adeoque prudenti derivatoria V. Sna instituta, conjunctisque temperantibus remediis, longe ſecurius mitigari & cohiberi potuisset, quam ſolis validioribus exhibitis adstringentibus.

Quantopere porro prognosis fida certaque Medicum ornet, ejusque famam adaugeat, ac insimul firmissimum vere acquisitæ scientiæ & experientiæ testimonium præbeat, quotidiana abunde loquitur experientia, magnusque insuper testatur HIPPOCRATES, Pranot. Lib. I. §. 2. hisce verbis: *Opera pretium facturus Medicus videtur, si ad providentiam sibi comparandam omne studium adhibeat, cum namque præſenſerit & prædixerit apud agrotos tum præſentia, tum futura, queque agri omittunt exposuerit, res utique agrotantium magis agnoscere credetur, adeo ut majore cum fiducia ſe ſe homines Medico committere audeant. Cu- randi vero rationem optime molietur, si ex præſentibus affectionibus futura prænoverit, neque enim fieri potest, ut omnes agroti sanitatem affequantur.* Cum itaque omnium morborum sanatio implieat, pulcherrimum celeri debet, si Medicus quid futurum sit prædicere valeat. Ast quoties haec fallunt vaticinia inconsidere prolatæ, dum ii, qui morituri certo dicebantur, convales-

cunt,

cunt, alii vero, qui extra omne mortis periculum in salvo esse credebantur, non animadvertente Medico sæpius moriuntur. Errorem huncce satis notum in tractatione nostri morbi similiter haud infreque[n]ter producit timiditas.

Sic ante complures annos in praxeos meæ primordiis nocturno tempore celeri nuncio vocabar ad Studiosum, in nobilis cuiusdam ædibus decumbentem. Statim accurrens eum deprehendo enormi & continua tussi copiosissime sanguinem floridum & spumantem rejicere, quo aliquot jam matulas repleverat. Terrebar attonitus ad tantam rejecti crux copiam, ingentemque arteriæ majoris ramulum disruptum esse supponebam; cumque copiosior majorque quantitas esset, quam unquam rejectam videram, omnes venas quasi exhaustas credebam, hinc de venæ sectione instituenda ne quidem meditabar, ne ægro moriente, quem certo moritorum augurabar, in me culpa a circumstantibus rejiceretur. Quum vero æstum orgasticum in ægro deprehenderem, mixturam temperantem taltem pro solatio ultime præscr. bebam, & pro potu aquam frigidam concedebam, ægrumque extremis Ecclesiæ sacramentis muniendum, prognostico fatali relinquebam, nec altero die invisebam, nolebam enim confundi, visitaturus ægrotum, & deprehendens mortuum. Ast, elapsis aliquot diebus is, quem in sarcophago quiescere non dubitabam, mihi in platea obvius occurrebat, gratesque reponebat, quod salutari consilio ipsi adesse & prodesse voluerim. Ingenue fateor, me tunc, tacito rubore suffum, agnovisse, quod verillimum sit Nicolai TVLPII effatum, quod Observ. medic. Lib. III. Obs. 45. p. 262. continetur: *Nihil consilii medici (etiam prognosi) tam esse inimicum, quam celeritatem, addo & umiditatem.*

Dantur proinde nonnulli etiam satis celebres Practici, qui, observato gravi vel extraordinario quodam symptomate, statim

de convalescentia ægroti desperant, conditoque ferali prognostico discedunt; dantur item, qui nullum periculum agnoscunt, omnesque ægros suos speciosorum verborum lenocinio, magnisque promissionibus securos semper reddunt; dantur denique empirici deceptores, qui omnis morbi, etiam levissimi, statum periculosum esse audacter fingunt, ut convalesceente ægro vel majus fostrum extorquere, vel non sanato illo, se id jam tum prædixisse, inepte fabulare queant. Peccatur sane utrimque, partim do-  
jo, quod pessimum, partim crassa ignorantia, quod absurdissimum. Apage ergo temeritatem a Medicina! apage timiditatem! apage negligentiam in primis supinam, in arte vitæ humanæ salutarem curam promittente! apage crassam ignorantiam! apage dolum omnem! apage injustam habendi & acquirendi cupidinem! apage omnia deceptionis peccaminosæ probrosa molimina, viro probo, conscientioso & omni vero Medico indecentia! Quam falso autem populi ludibrio se exponat Medicus, quibusque subinde excipiatur sannis, si nimis præcipitanter falsam prognosin pronunciet, eamque tanquam certam venditet, mille confirmari posset curiosis, & ex parte ridiculis historiis, sed modo exposita mihi sufficit, quæ me multo cautiorem, cordatiorem & cunctabundum reddidit: observavi enim non raro, ingens & valde impetuosum sanguinis profluvium, cum lipothymiis frequentibus coniunctum, salutariter processisse, modo ad eam cautelam probe attendatur, quam præ aliis commendat & maxime notabilibus exemplis confirmat hodiernus sacræ Cæsareæ & Regiæ Majestatis dignissimus Archiater, *Gerhardus van SWIETEN*, *Commentar.* in *Aphor.* BOERHAAVII Tom. I. p. 220. §. 152. & p. 235. §. 161. ubi gravissima magnarum arteriarum vulnera post enormissimam hæmorrhagiam curata narrat, modo vulnerati (idem de internis hæmorrhagiis esto judicium) non reficiantur vino, vel stimulantibus cardiacis debilitis vita adaugeatur, sed tales fere mortui re-

linquantur; tum enim spes aliqua supereft, manente tali vita, sed debilissima, arteriam discissam vel ruptam posse contrahi & cōsolidari cum alias, aucto sanguinis motu, adaugeatur hæmorrhagia, ex qua æger tandem perire debet. Errant igitur non pa-rum timidiores Practici, qui, anxia sollicitudine commoti debiliorem, pallentem, frigentem, & quasi exanimem ægrum, ob copiosius profusum sanguinem, remedii spirituosis refocillare, ex-citare, & his fugientem quasi animam retinere adnituntur, cum potius solidarum partium elaterem stimulent, orgasticam humo-rum commotionem excitent, atque ad graviores & incompesci-biles hæmorrhagias ansam præbeant certissimam, ut sub usū pre-tiosi cordialis forte mori cogatur, qui sibi aut relictus, aut frigi-dis tractatus, salvari certo potuisset.

Aliquot mensibus post supra enarratam historiam anheloso cursore vocabar ad Religiosum virum juvenem, plethoricum, sub summe indiscreti Prioris disciplina militantem. Hic forte ob er-rorem contra severiores regulas monasticas putatitie commis-sum, acriter a Superiori suo exceptus, in vehementiorem iram proripiebatur ita, ut post tuſſiculam siccum copiosissimum san-guinem floridum spumantem adhuc furens, seseque hinc inde vo-lutans, rejiceret, meque accurrente jam jam quasdam matulas re-pleverat, quam copiosam rejectionem, per totum cubiculum dispersam, non sine horrore metuque præsentis periculi attoniti obstupecebant adstantes, & ipse ego (cum majorem imo simi-lem nunquam vidissem,) mirabar. Interdicebam itaque omni po-tui vinoso, aquam potius fontanam ad restinguendam sitim par-vis haustibus bibere jubebam, mixturam nitroso - temperantem præscribebam, ut exorbitanti iræ frenum injiceretur, ac ocyus in pede venam incidendam esse monebam; verum torvis oculis me intuentes circumstantes confratres, clamabant, omnem san-guinem modo rejectum, nullumque fere in corpore amplius

superesse, & idcirco, remotis omnibus medicamentis, de extre-  
ma tantum Sacramentorum administratione, & ad mortem im-  
minentem præparatione cogitandum esse urgebant, quibus au-  
tem reponebam, nondum animo despondendum, sed potius au-  
xilium adhuc adsistente divina gratia, in V. Sæc. obtinendum es-  
se. Juveni ergo adhuc practico fidem dubiam habentes, a Chi-  
rurgo petebant, quid de eo judicaret? hic vero timidior, sine  
hæsitatione, conclamatum jam esse, & venæsectionem inutilem,  
imo periculosam fere, pronunciabat. Ast his iterum alia valida  
opponebam argumenta, donec tandem Medici consilio præ aliis  
obtemperandum esse theologice decidebant, unde his ad amus-  
sim factis, sensim imminuebatur impetuosa sanguinis rejectio, æ-  
gerque, uteunque summe debilis & rubra facie in summe palli-  
dam conversa, intra paucos dies, præter omnium spem, conva-  
luit, & post plura lustra adhucdum sanus vivit. Ejusdem cœ-  
nobii concivis, plethoricus, qui ex suggestu magno clamore, tu-  
multuosisque gestibus concionem dicere solebat, ex improviso  
ingentem patiebatur per pulmones hæmorrhagiam, quam accer-  
sus nasutior & Scientiæ magis expers, quam capax, balneator  
multis remediis, iisque stypticis, coercere frustraneo ausu adni-  
sus fuerat; quo enim fortiora & copiosiora adstringentia exhibe-  
bat, eo majori impetu ad pulmones congestus sanguis tanta in  
copia projiciebatur, ut ipse de reliquo satis carnosus, torosus &  
robustus vir in lipothymiam incideret, qua durante sanguinis  
profluvium cessabat; ipse vero balneator nil negligere volens,  
tum spirituosis externis, tum internis sic dictis cardiacis &  
analepticis, adstantes autem vino generosiore ipsum exani-  
nimem fere ægrotum animabant, qui resuscitatus, cum impetu  
denique sanguinem tussiendo rejicere pergebat. Tandem in me  
recidebat confidentia, rogabarque ut ad ægrum, in statu tali con-  
clamato constitutum, accederem; conscientiæ enim suæ satis se-

con-

consultuisse putant, si ad agonizantem ægrum ultimo Medicum accersiri jubeant, ut ille vel vulneratam causam restituat, vel mortis sit testis, & anteactorum culpam in se recipiat. Adveniens oxyus, statim sciscitor, num administrata sit venæsection? reponebatur, hanc considerato esse omissam, quia ingens rejecta sanguinis quantitas ipsam haud admittere videretur. Verum, excusso hocce timore, utcunque serius, revulsionis gratia phlebotomiam in pede institui jubeo, omniaque adstringentia, analeptica, cordalia, excitantia, removeo. Anxius interim & trepidus æger, adstantesque perterriti, non nisi feralem exitum prædicentes, nil magis, nil ardentius expetiebant, quam ut specifcum aliquod stypticum, sanguinis fluxum sistens, præscriberem, quale etiam me præscripturum pollicebar, sed consistebat illud in mixtura resolvente, orgasticam sanguinis commotionem temperante, & nimiam partium solidarum strictroram relaxante, quibus sensim impetuosa sanguinis exscreatio moderabatur, ægerque, admodum licet debilis, cum valetudine in gratiam redibat. Ast, restauratis paulatim viribus, iterumque repletis cruento venis, post aliquot menses elapsos, prægresso quodam excessu in potu vinofo, & forte etiam animi vehementiore commotione, prius malum, sed minore vehementia, revertebatur. In consilium hinc iterato-vocatus, priori methodo insitibam, ac ad minimum per annum ter in pede venæsectionem reiterandam, multis adductus rationibus, suadebam; brevi autem post casu in alterius cuiusdam Medici consortium incidens æger, ipsi morbi sui historiam exponit, sibiique a suo ordinario Medico injunctum esse narrat, ut ad minimum ter per annum venæsectionem in pede institueret, ad quæ novus hic Machaon, ex scholis adhuc calens, multaque theorema-ta, sed exigua experientiam spirans, contrariis innixus principiis, sanguinem potius infundendum, quam detrahendum esse, multis verborum ambagibus regerebat, atque prius vires vitales refar-

resarcendas, quam per ulteriore humoris utilissimi evacuacionem artificiale debilitandas imminuendasque esse adstruebat, & idcirco potius diætam maxime nutrientem, deperditumque sanguinem regenerantem necessariam esse sophisticis argumentis probabat. Disertus hicce discursus timido ægro admodum placebat, qui aliunde jam ad factas evacuationes exhorruerat, verebaturque cum hocce Medico, ne inde nimium debilitaretur, in quo etiam magis confirmari sibi videbatur, cum post lautiorem diætam indies magis carnosus fortiorque evaderet ac repleretur; ast transitorium saltem hoc erat gaudium, siquidem circa æquinoctium vernale, cum nil mali metuens æger prorsus securus esset, irritantem quendam in pectore levem motum ex improviso persentit, hinc tussit, rejicitque sanguinem floridum tam copiosum; ut compesci non posset; hinc ad priora mea consilia fit recursus, advocatur Chirurgus, ac larga instituitur venæsectio, iterumque prior repetitur methodus, quam accuratius observans, multis dein annis a sanguinis sputo liber permansit.

Sane si post hæmoptysin, a quacunque fere causa ortam, pessima phthisis præcaveri debet & potest, ceteris paribus nullo aptiore remedio id impetratur, quam prudente, ea tamen non timide administrata frequente phlebotomia, quia in hac sola quærenda mihi videtur prophylaxis eorum, qui jure quodam hæreditario a nativitate ad phthysin dispositi sunt, quod pulchre monet celeberr. BOERHAAVIVS in *Prax. med. Part. V.* pag. 146. §. 1194. si hominem, inquiens, ex phthisica familia natum, curare velis, tum summa ope est admittendum, ne hæmoptysen accipiat; si hoc efficies, tum curabis, aliter non. Hinc circa decimum septimum annum Venæsectio bis terve instituenda, simulque vectio-nes adhibenda sunt, & in hac curatione usque ad vigesimum quintum annum pergendum. Nota mihi fuit familia, ubi pater materque, omnesque proles phthysi sunt mortui, uno filio supersti-te.

te, quem hac ratione curavi, & jam plus quam quinquaginta annos natus vivit, ergo jam tempus phthiseos supervixit secundum HIPPOCRATEM, nullaque mala signa habet. Pulcherrima sane observatio, quæ mihi sæpius ex prospero usu fuit. In hoc autem BOERHAAVII consilio errorem typographicum, vel dictantis lapsus linguae (opuscula enim ista inscio & invito Auctore edita, atque ex ore explicantis celeri calamo a quodam ejus discipulo furtive in chartam conjecta, & sic prelo tradita sunt, hincque tot vitiis scatent,) intervenisse auguror, dum curatione commendata usque ad annum vigesimum quintum duntaxat pergendum monet, ego vero, ductum HIPPOCRATIS secuturus, (nam tabes iis maxime atatibus fit, quæ a decimo octavo anno sunt ad tricesimum quintum, vid. Sect. V. Aphor. 9.) potius ultra illum terminum pergerem, quum nunquam artificialis sanguinis evacuatio, cum moderata corporis agitatione, tuto negligitur, donec ipsum illud, de quo sermo est, phthiseos periculum, superato tricesimo quinto anno, præterlapsum est, quin, pro ratione subjecti & temperamenti, longius sæpe procedendum & sine hæsitatione continuandum esse felix usus docuit; multum enim abest, ut adsensum mereatur commentum *Ægidii DAELMANNI*, in Prefat. Prax. med. ubi ex suo præsupposito eruere intendit, quod, quo sæpius homo ex incisa vena sanguinem mittit, eo citius abeat ad plures, ob nimis acceleratam primigenii sanguinis inopiam. Vid. *Joan. Henrici COHAVSEN curios. Decas de vita prolonganda, Tentam. 9. p. 156.* Contrarium enim hujus imaginarii systematis, tum temporis novitatem quandam sapientis, evincit vel sola sanguinaria Gallorum praxis, quanquam prioris adhuc vestigia premat *Carolus MVSITANVS, Trutin. med. Lib. 2. Cap. 6. p. 182.* dum circa hæmoptyseos curationem se tanquam manifestum hæmophobum sequentibus prodit: *Pilebotomia præsumum omnino in hoc morbo execramur, non enim sanguis quantitate peccat,*

quod si quandoque vigeat, qua nunquam observata fuit, nisi quid pro quo ex sanguinis rejectione, & exactissima diata primis diebus, antequam ad phlebotomiam deventum sit a vulgaribus, jam absunta est, si quantitate peccat, sanguinis qualitas, non ipse sanguis, internis alleganda est, si suppressimenses, hemorrhoides, vel hemorrhagia subducendi sunt; nam non sanguinem in quantitate constituant, sed in pauca qualitate, & hoc tollenda est a sanguine, ut naturalis ac dabitus cursus concilietur; non enim phlebotomia peccatum tollit in qualitate, sed in quantitate. Hoc maledictum itaque prasidum a maledictis Galenistis prescribatur, non vero a nobis, qui admodum scrupulosi sumus, & nostras manus a sanguine humano hucusque immaculatas custodivimus. Hemoptiorum sanguis sit super Galenistas & Galenistarum filios, eorumque heredes & successores, & contra hos vindictam clamitet ante thronum Dei. Vindica Domine sanguinem nostrum, qui effusus est! Heu prodigiosum & portentosum magni Practici effatum! quod si Guido PATINVS legisset, num quid exclamasset: Non omnes stulti moriotrophiis inclusi sunt; & procul dubio potiore jure, quam Rosinus LENTILIVS, in *Fatromnemata. Part. II.* Cap. 33. p. 518. hunc false exceperisset: severorem enim ferulam juste meretur, quoniam heterodoxum hoc dogmatum vitae humanæ tum praxeos felicitati ingens damnum infert. Sed nunc iterum e diverticulo in viam!

Insignis Collegiatæ Ecclesiæ Canonicus, triginta & quinque annorum, inopinato enormi corripitur haemoptysi, ad quam coercendam ocyus advocatur Medicus, qui statum tanto periculosiorum judicat, quod æger debilioris esset constitutionis, facie pallida, totus macilentus & apparenter exsuccus; hinc nil tentandum censet, vixque præter diætética ullum prescribens remedium, ægrum prognostico fatali relinquens discedit. Hisce igitur dictis plenam fidem adhibentes agnati, de salvando beneficio, quod

*Prabendam* vulgo vocant, solliciti, imminens & inevitabile a Medico prædictum mortis instantis periculum longo verborum syrmatæ caute exponunt, rogantque, præviis multis testificationibus, ut beneficium illud in nepotem transferat; verum æger, probe noscens durum & irrevocabile verbum esse: *refigno*, ad preces has injustas aures obturat, observandoque accuratissimam diætam, non sine rubore & confusione Medici convalescit, quo facto quæstio tamen huic movebatur, quid demum in posterum, tam curatorie, quam prophylætice, sit tentandum? Timidior Medicus omni phlebotomiæ futuris temporibus interdicebat, quoniam pallidior ægri facies, gracilis corporis constitutio, viriumque ingens defectus eandem dissuadere ipsi videbantur; huic ergo consilio confidens & in eo prorsus acquiescens æger, vix elapsso dimidio anno in priorem iterum incidit hæmoptysin, ad quam tollendam aliis cujusdam Medici vires & consilia experiri secum constituit. Hic audacior, aut potius circumspectior, vel magis expertus, neglectis illis putatitiis contraindicantibus, subtractiōnem sanguinis in pede, & quidem largam, imperat, eamque circa æquinoctia ad minimum bis per annum rēpetendam nervose injungit. Morem in principio gerit æger, & qui ab omnibus pro derelicto, aut saltem in phthisin certissime transituro, etiam ab ipso Medico, habebatur, tandem convalescet, remanente duntaxat quadam tussi mucosa, citra tamen magnum incommodum, scilicet a relictâ quadam glandularum pulmonalium atonia. Interim in mentem ipsi redeunt prioris Medici consilia & valde probabilia visa argumenta, indeque denuo metuere incipit, ne per frequentiores sanguinis artificiales imminutiones nimium debilitetur, & idcirco saltem semel venæsectionem secure omitti posse concludit; ast peccati omissionis poena a tergo statim sequitur, scilicet prior eaque vehemens & larga hæmoptysis, ad quam tol-

Iendam meum implorabatur consilium & auxilium. Ingenuë fa-  
 teor, me dubium anxiumque hæfisse, quid faciendum sit, dum  
 magna jam tum rejecta erat crux copia, faciesque contracta  
 & quasi Hippocratica adparebat; cum autem arteriam tange-  
 rem, pulsusque deprehenderem satis fortem, ac insimul san-  
 guinis impetum congestorum & excretorum ad pectus con-  
 stanter adhuc vigore animadverterem, nec solum pallorem fa-  
 ciebat aut partium externarum sanguinis inopiam sufficienter pro-  
 bare cognoscerem, sed potius testari, quod is, partibus externis  
 constrictis, ad internas impetuosis propellatur, ideo venæsecchio-  
 nem sine mora institui jubeo, mixturamque resolventem, ad mo-  
 dum Sylvianæ, exhibeo, quam communicat *Illustr. HOFFMAN-*  
*NVS Med. ration. Systemat. Tom. IV. Part. II. Sect. I. Cap. 2. §.*  
*s. p. 40.* Egregia sane non minus, quam vera sunt, quæ de  
 hujus & simili mixturarum viribus jam olim *SYLVIVS Prax.*  
*med. Lib. I. Cap. 23. p. 219. §. 37.* monuit: *Sanguis in asperam*  
*arteriam pulmonum undecunque delatus, ne ibidem coaguletur*  
*binc & corrumpatur, mox convenientibus medicamentis servan-*  
*dus solutus, vel iterum solvendus excernendusque, in quem fi-*  
*nem multis aliis præferendi sunt, una cum antimonio diaphore-*  
*tico, cancerorum diæti oculi, paucō aceto stillatitio ex parte sal-*  
*tem soluti & gratis additis assumpti, post quam omnem hic ab-*  
*solvunt paginam.* Exempli loco sit formula sequens cochleatim  
 usurpanda: Rec. Aqu. hyssopi, fœnicul. æt. unc. j. Aqu. vitæ  
 Matthiol. drachm. ij. aceti stillatitii unc. dimid. ocul. cancer.  
 drachm. dimid. antimon. diaphoret. scrup. j. syr. capill. Vener.  
 unc. j. M. D. ad Vitr. Similem quoque, sed bolaribus & opia-  
 tis repletam, hincque ineptiorem commendat *Helfr. JÜNGKEN*  
 in *Prax. med. p. 492.* Ceterum memoratam SYLVII mixturam  
 laude debita defraudare nolo, verum aquas istas elæophoras non

probo, quoniam tum nimium irritant, tum orgasticas commotiones adaugent; sèpius enim fœniculi atque hyssopi aquam adeo fragrantem & saturatam gustavi, ut fauces quasi adusserit, & multis collutionibus saporem acriorem, linguæ papillis faucibusque moleste impressum, difficulter abstergere potuerim, quod in hæmoptoe, ob continuam ad tussiendum irritationem, minime convenit; aquæ itaque paregoricæ & antispasmodicæ temperatores præ aliis convenire videntur, nisi forte in aliquibus casibus eum in finem addantur, ut simul per lenem irritationem subsistentis sanguinis extravasati grumi, alioquin facile in putrilaginem abeuntes, facilius eliminentur; citra vero hanc circumstantiam palma omnino debetur mixturæ Hoffmannianæ, cui sèpius, ad infringendum orgasmum pauxillum nitri admiscere soleo, si que insuper lene paregoricum vel opiatum temperatum, ad moderandum impetum & irritationis sensum blandet tollendum, addatur, omne punctum prorsus tollitur, & miracula quasi præstata fuisse recordor. De reliquo, ut eo revertar, unde digressus fueram, supra adducto ægrotto serio injungebam, ne ex intempestiva forsitan timiditate venæctionem necessariam consueto tempore negligeret, qua etiam tantum effecit, ut per plures annos a terrifico sanguinis sputo liber manserit, & si non tanquam athleta, sanus tamen vitam protrahat, sucque fungatur officio.

Infelicius erat fatum, quod hujus viri germana soror persistens fuit. Hæc enim in impetuosa uteri hæmorrhagiam incidens, Practicum quandam advocari jubet, qui ingentem sanguinis profusionem attonitus videns, anxie sollicitus erat de injicienda huic p. n. fluxui remora, hinc fortissima styptica, cum opiatis maritata largissimis, (sèpius enim in sex unciali mixtura continebantur tres Tincturæ anodynæ drachmæ, cum Theria-

cæ cœlest. & Laudani opati ana drachma dimidia) præscribēbat . ad quorum sumptionem sistebatur uteri hæmorrhagia , quam vero excipiebat molesta tussis , ac ingens hæmoptysis , ob sanguinem ab utero ad pulmones impetuosius translatum. Ad hujus itaque medicationem idem accersitus Podalirius , haud cunctanter priora in auxilium vocat adstringentia , eaque fortissima , cum narcoticis nupta , quæ quoque ad votum hanc omnino sanguinis exscretionem fistunt ; ast remanet suspicioſa anhelatio , tussis diu noctuque affligens , cum rejectione materiæ copiosissimæ purulentæ , contabescientia totius corporis , & immedicabili febre hectica , quibus molestiis finem imponebat malorum omnium clausula , mors luſtuosissima.

Adductas ergo has veras , sed simul funestas morborum histories abunde evincere opinor , quam damnosum quamve periculosum sit , si Medicus timidus , vel medicaster inexpertus ejusmodi morbum curandum suscipiat ; talis enim nimia sua timiditate apparenter caute & recte procedendo cum neglecta venæſectione , per opiate & adstringentia validiorem sanguinis fluxum remoratur & fistit , quam imaginarie quidem egregiam ipsique ignorantis ægrotō semper gratam , re ipsa vero summe noxiā methodum lenta postmodum certissime tabes , vires sensim depascens , & tandem mors ipsa , excipere solet. Adstringentia enim quælibet in nulla unquam , multo minus in pulmonum hæmorrhagia , necessaria & utilia esse deprehenduntur ; inde etiam perquam frequenter contingit , ut hæmoptyici , similibus remediis tractati , in hecticam incident , ex viscerum ab dominis conſtrictione & obſtructione ortam , ita cum aliis & mecum observante celeberr. STAHLIO in *Casual. minor. Cas. XII. p. 95.* Stulte igitur & inconsiderate , contra sanæ rationis regu-

regulas & experientiam ipsam procedit, qui, sanguinis proflu-  
vium sistere volens, ipsamque venæsectionem necessariam  
reformidans, styptica adhibet: per hæc enim incarceratedus  
sanguis in corruptionem abit, simulque ipsam substantiam  
pulmonum inficit & corruptit, unde ulcus sordidum, & ex eo  
tandem inevitabilis mors; qualis effectus quoque a potentiori-  
bus opiatibus, magnis vel sæpius repetitis dosibus oblatis, jure  
metuendus erit, quæ tamen moderate & suspensa manu data,  
tantum abest ut noceant, ut potius necessaria prorsus ac utilia  
sint, egregie hoc notante & dilucidante prælaudato BOERHAA-  
VIO, *Prax. med. Part. II. p. 376.* dum in sequentibus verbis  
ad suam provocat experientiam: *Dixi antea, adhiberi debere*  
*opiata ad tussim sedandam, & certe sine horum agenti vi nun-*  
*quam aggredi debet hic morbus. Nervi enim in pulmonis mem-*  
*brana sunt irritabilissimi, & cum vas hic sit ruptum, perpetua*  
*fit titillatio, inde tussis & inde nova dilatatio, & forte dis-*  
*ruptio. Ergo opiatata tanta debent copia dari, ut impediatur*  
*inanis tussis; quo vero minori NB. copia hoc effici potest, eo me-*  
*lius. Nollem enim auctor suasorque esse, ut temerarii magnis*  
*dosibus ea adhiberent; propter hanc enim vim paregorico se-*  
*dativam procul dubio tanta elogia tribuuntur in praxi famoso il-*  
*li pulveri, quem tantopere commendat HEVRNIVS in Com-*  
*ment. in Aphorism. Hippocr. Lib. V. Aph. 50. cuius tamen usum,*  
*neglectis cautelis, non semper tutum fuisse experientia docuit.*

Alius porro non minus sonitus, ægroque summe noxius  
acinemendabilis effectus, ex neglecta, ob intempestivam timi-  
ditatem, venæsectione certo exspectandus in graviori hujus  
morbi incremento consistit. Quemadmodum enim repentina  
talis hæmorrhagiæ per adstringentia suppressio pessima post se  
trahit conjectaria, notantibus hoc inter alios præcipue Nentero

Fundament. theoret. praet. Tom. II. Tab. X. p. 29. & Lud. SEP-TALIO, animadvers. & caut. med. lib. VI. §. 162. scilicet varias motus vitalis turbationes, asthmata sicca, spasmodica, tusses vacuas, stases pleuriticas, peripneumonicas, & frequentissime, immo fere semper, immedicabiles phthises & tabem; ita neglecta phlebotomia non modo morbum graviorem ac percalosiorem, sed saepissime fere immedicablem reddit, dum magno impetu ad vasa pulmonalia congestus & accumulatus sanguis nimium ea distendit & dilacerat, unde majus oboritur vulnus, quod dein tum ob continuam, sub actu respirationis, pulmonum dilatationem & contractionem seu collapsum, tum quoque ob parenchymatis hujus vesiculosam substantiam, facile in ulcus, nulla arte consolidandum, transit. Constat enim docet observatio, quod juvenes sanguinei & robusti post perpeccam haemoptysin facilius & frequentius in phthisin incident, citiusque moriantur, quam debiles, ac segnioris & laxioris temperamenti, quod cum stupore plerumque miratur vulgus, causam veram ignorans, & hinc communiter culpam in Medicum conjiciens, si carnosus plethoricus & simul juvenis intra breve tempus ex morbo tali pereat, qui certe diutius vitam protrahisset, si debilior languidiorque sanguinis & reliquorum humorum fuisset motus. Prudens igitur & vere practicum est consilium, quod magnus quondam Batavorum Aesculapius, Herm. BOER-HAAVE, Lib. cit. p. 375. impertit, jubens nimirum, ut instituatur venælectio singulis quatuordecim diebus, (siquidem magnum malum magnum etiam requirit remedium,) eaque non admundum parca, quo impetus & copia sanguinis imminuat, & ita quies pulmonibus utcunque concilietur, siquidem depletis vasis, & remisso ac imminuto eorum elatere, nec non tranquillo & placido reddito humorum motu, tutius & facilius, si quæ speranda

da est, succedit curatio & præservatio, prout hoc ex sequente, coronidis loco adhuc subjiciendo, clarus adparebit casu.

Egregius quidam pictor, post plures excessus, in potu, equitatione ac buccinarum violenta inflatione commissos, incidit in enormem hæmoptoēn, quæ quidem brevi post iterum compescitur, ast, observato licet exactissimo vitæ regimine, aliquoties annuatim revertebatur, cessante vero demum illâ, molesta perseverabat tussis, cum rejectione multarum, uti quidem credebat, ex debiliore digestione relictarum impuritatum viscidarum, sed veram materiam purulentam constituentium. Cum ergo aliquando ex accidenti artificiosas hujus viri picturas lustrarem, narrabat is mihi triste suum fatum, statumque adhuc valeudinarium fusius exponebat, ac ut salutari consilio ipsi adestem, anxie flagitabat, subjungens simul, Medicum suum timere ne in cachexiam aut hydropem incideret, hincque absolute prohibuisse venæsectionem. Examinatis vero omnibus & excusso per rationes timore, ut venæsectionem circa æquinoctia ad minimum bis in anno instituat serio hortor, & pro interno usu unice marrubium album cum aqua fervida infundendum & cum melle edulcorandum, commendando, quibus monitis accurate auscultans tantum effecit, ut deinceps nunquam amplius insultum aliquem hæmoptycum expertus fuerit, & qui omnibus videbatur ad mortem properare, per plures annos, valetudinarius licet ac debilis, supervixerit. Concludere itaque licet, quod nulla hujus mali tutior sit curatio & præservatio, quam per intrepide & simul prudenter institutam venæsectionem, quod & ipsi antiquiores Medici, ut TRALLIANVS, GALENVS, *Corn.* CELSVS, *Lib. IV. Cap. 4.* p. 204. FORESTVS *Observat. medic. Lib. XVI. Obs. 15.* p. 23. aliique fusius docuerunt; itemque quod Medicus, si in tali affectu timidus fuerit, fere semper, & quidem tum-

mopere, vix corrigibili errore, noceat, si scilicet occurrente  
enormiore hæmoptysi, statim animo desponeat ac terreatur, ul-  
terioremque excretionem prohibere intendens, ad adstringentia  
& infida opata confugiat, quæ ordinarie gravius damnum, quam  
ipsa hæmoptylis, inferre solent, atroque idcirco semper  
merito notanda sunt carbone.



# D. PHILIPPI ADOLPHI BOEHMERI

Medicinæ & Anatomiae in Regia Fridericiana Profess. Publ.  
Ordinar. & Academ. Nat. Curiosor.

HEROPHILI II.

Observatio rarior

de

SARCOMATE VTERI

notabilis molis,

subjuncta simul Disquisitione

qua

Præstantia forcipis Chamberlaynianæ

in paragomphosi capitis fœtus in partu  
confirmatur,

& quid de recentissimis

Levreti ferramentis

atque

Forcipe Bingiana

fentiendum sit indicatur.

## §. I.

**Q**uum celeberrimus saluberrimæ Facultatis Medicæ in florētissima Academia Parisiensi D.D. Joannes Jacobus BRVHIER, datis nuper ad me litteris humanitatis & eruditionis plenis, exoptasset, ut, quas hactenus de diversis forcipum speciebus partim collegerim observationes, partim ipsem cum Chamberlayniana tentaverim experimenta, secum communicarem, quo una cum binis Compendio *Manninghamiano* adnexis disquisitionibus DEVENTERO a se rursus edendo augendoque addi possent: desiderio ipsius ut satisfacerem & pietatis & humanitatis officium jussit.

## §. II.

Pertinet omnino ad artis incrementum, Virum doctissimum, & de re medica bene meritum, ex artis obstetricariæ, quæ medicinæ manusque indiget subsidio, Scriptoribus autorem sibi elegisse ducem, DEVENTERVM inquam, qui dum vixit, par plurimis, omnibus autem superior fuit, cujusque aurei libri a) me-  
mo-

- a) Acceptum omnibus fuisse, variæ ipsius translationes testantur, primum enim 1721. protulit lingua vernacula, cui successive novæ accesserunt editiones, paullo post latina versione, sub titulo: *Operationes chirurgica novum lumen exhibentes obstetricantibus*. Edit. altera, Lugd. Batav. 1725. & 1733. edita, & in duas divisa partes, priori auctior, correctior atque emendatior est. Versio Anglicana, quam R. Sambers inscripsit: *The Art of Midwifery* improvd. Lond. 1728. nec non Germanica, quæ eodem anno Jenæ edita fuit: *Nexus Hebammen- Licht*, prioribus inferiores sunt. His denrum accessit Gallica, variis observationibus & illustrationibus adornata, autore Jacobo Joanne Brubier d' Ablincourt, Med. Facult. Paris. Doctore, sub titulo: *Observations importantes sur le manuel des accouchemens*, Paris. MDCCXXXIX.

moriā a plurimis gentibus celebratam, nulla hactenus delevit  
oblivio.

## §. III.

Occasione hac operæ pretium esse duxi, circa *paragomphos in capitis fætus* in partu, singularem quandam observationem prioribus adnotationibus addendi b), fastaque postea epicrisi, recentissimas quasdam forcipes, a Viris in arte obstetricia præclaris inventas, ad examen, tanquam ad Lydium lapideum, revo- candi, quo appareat, an jure perfectiores dici, ideoque ratione usus hactenus usitatis Gallicis Anglicisque præferri mereantur.

## Relatio historica.

Uxor saponarii, annorum XXXVI. felix mater quatuor filiorum, temperamenti sanguineo-melancholici, in quarto puerperio, anno MDCCXXXII. incipientem in dextro latere, & per intervalla redeuntem fixum dolorem, cum successivo abdominis augmento, pondereque raro, molesto & gravativo, sentiebat, posteaquam imperita obstetrix violentam placentæ, præternaturaliter ipsius utero adhærentis, extractionem frustatim peragere conaretur. Fluxus lochialis ex parte suppressus, nullisque, acedente febre lochiali, qua per aliquot septimanas laboravit, abstergentibus uterinis legitime promotus fuit. Factum inde, ut aliquot, post ablactationis negotium, artis, propter mensium obstruktionem, neglectas artificiales, impeditasque naturales exeretiones, spasmis inferiorum partium, quæ malum hystericum comitabantur, agitata, humoribusque ad caput translatis, & in adnata utriusque oculi stagnantibus, ophthalmia vera excitata fuerit, quæ, ob-

h 3

negle-

b) Conf. Disquis. alt. de usu & præstantia forcipis Anglicana &c. p. 165-168.  
§. XXVI.

neglectam curationem, ansam præbuit suffusioni mitiori & immaturæ, vitio nempe, quo pupillæ, amissæ naturali transparente colore, cinereum contrahere, & ex parte visum impedire videbantur. Accessit ad me, meum sibi expetiens auxilium; quod cum ipsi denegare non potui, initio quidem difficultatem curationis prædicti, præsidia tamen artis, quæ adhuc super essent, indicavi. Itaque repetitis aliquoties largis in pede venæ sectionibus, interpositis laxantibus mercurialibus, adhibitisque remediis resolventibus, diluentibus, temperantibus, nec non instituta periodica curatione, singulis scilicet mensibus, decrescente luna, per sex dies usum abstergentium uterinorum continuando, externe autem oculis impositis collyriis, discutientibusque speciebus, effeci, ut fluxus menstruus rediret, & discussa oculorum inflammatione, incipiens catarracta sensim sensimque imminueretur, remanente tantum aliqua visus imbecillitate. Sterilis ad tempus cum antea fuerit hysterica, pristinâ tamen restitutâ sanitate, anno MDCCXXXVI, rursus concepit, inscia se gravidam esse, cum primo obstrunctiones mensium inter-anomalias referret, quibus antea per aliquot annos laboraverat, deinde etiam præternaturalis nimis propendens abdominis expansio sensationem motus fœtus in utero quodammodo suppresseret. Quoniam vero ultimo gestationis tempora lactis serum, in mammis turgidis secretum, excernebatur, & abdomen durum ac versus umbilicum acuminatum magis magisque expandebatur, tam ex his, quam ipsius officii uteri mutatione, & colli uteri globosa figura, statum graviditatis, ipsi indicavi, præservativas venæ sectiones commendavi, necessariasque regulas diæteticas præscripsi. Appropinquabat anno MDCCXXXVII. die festo resurrectionis Christi partus tempus, quo, prægresso unico saltē nisu dolorifico, ruptura membranarum, cum copioso liquoris amnii effluxu, contingebat. Obstetrix, cuius auxilium statim requirebatur, facta exploratio-

ne caput fœtus intra ossa pubis jam illapsum sentiens , partum mox subsequutum promisit. Sed permanxit caput fœtus hocce in positu ultra diem noctemve , nullis amplius ad exclusionem fœtus succendentibus conatibus. Quare ob irrita tam naturæ , quam artis tentamina , meum efflagitavit auxilium misera parturiens. Ex relatione autem adstantium ipsiusque capitinis situ statim metuebam paragomphosin capitinis fœtus : interea paullulum adcuratus in figuram abdominalem situmque capitinis fœtus inquirens , illud ex parte oblique dextrorum parietali ossi aperturæ pelvis incuneatum inhærere observavi. Abdomen erat expansum nimis , antrorum tamen dextrorumque elevatum , ob concurrentem herniam ventralem propendulum , & ita quidem propendulum , ut umbilicus parturientis hujus dextram attingeret patellam , partesque genitales externæ tumefactæ retrorsum ducerentur. Diformis hæc abdominis figura primo intuitu dubium rei promisit eventum , in primis cum præter dictam paragomphosin capitinis fœtus , cuius mortem ex præcedente frigoris horripilationisque sensatione , defectu motus in utero , aliisque huc spectantibus signis dijudicare nobis licuit , parturiens subita virium prostratione . præcordiorum anxietate , oris siccitate , pulsu celeri & debili , corriperetur. Tentavi quidem motus uteri abjectos revocare clvsteribus stimulantibus , repetitoque usu genuinarum pilularum STAHLLI , nec non analepticis tam pharmaceuticis , quam diæticis , qualia sunt juscula nutrientia , potiones citratae cum generoso vino remixtae , interpositis pulveribus specificis pellen-tibus , ex hepatis anguillæ & borracis Venetæ integro scrupulo , cum vehiculo aquæ cinnamomi , justo ordine legitimeque propinatis ; sed nec justo auctior universalis , nec particularis uteri motus , quod mirandum , ab iisdem excitabatur. Sub intervallo irritæ curationis cum expectatione , tam ex ipsius parturientis , quam adstantium , ore intellexi , eam per quinque annos , antequam

quam se curæ meæ submisisset, successivum incrementum, & maxime in hypogastrica dextra regione *corpus ponderosum*, *juxta corporis inflexionem mobile*, percepisse, quod malo adscriperat hysterico, indeque coactam fuisse, tempore præsertim graviditatis, propendulum inæqualem ventrem fascia suspensum tenere, renitendo ponderi, quod ad centrum terræ tendens, ipsum corpus antrorsum trahere, sicque incessum illius situmque erectum maxime impedire videbatur. Itaque his probe perpensis, caussam hujus excedentis expansionis occultam in utero adhuc latitare, suspicari, insimulque mirari mihi licuit fœminæ hujus conditionem, quæ, excepto unico motu, quo, ruptis membranis, fœtus caput subito intra pelvis aperturam oblique propulsum fuit, nullum amplius ad exclusionem nisum, nullusque cruciatus sensit, haud ignara, tam ex legibus divinitus constitutis, quam antecedentibus partibus, acerbæ fœminarum omnium primæ sententiæ: *Multiplicabo dolores partus tui, in dolore partes infantes.* Itaque frustra adhibitis remediis; frustraque tentatis encheirisibus manualibus omnibus, quibus caput fœtus, immobile intra ossa hærens, e loco movere conabar, absque ulteriori mora, ob increcentem virium prostrationem, incipientemque pulsus intermissionem, præsidium omne in *ferramentis* collocavi, atque *forceps*, Disquisit. altera delineata, compressionem & extractionem capitis suscepi. Elegi igitur ejusmodi commodum situm, qualem citata Disquisitione §. XXIII. descripsi, & in præsentia experientissimorum quorundam Doctorum, applicatis rite binis fenestratis forcipis lamellis, præter adstantium spem & opinionem caput compressum repetitis vacillantibusque tractibus eduxi, sepositoque postea instrumento, utriusque manus circa collum fœtus inflexis digitis, scapulas cum humeris ab obstaculo liberavi, subsequente sponte reliqua fœtus parte, qui magnitudine excedebat, cujusque abdomen turgidum, & hinc

hinc inde viridescens, cum incipiente cuticulae separatione, caput vero compressione forcipis oblongum factum, conspiciebantur. Præternaturalis, quæ post artificialem extractionem remanebat, abdominis expansio, ejusque nodosa durities, vel alium adhuc in utero fœtum, vel corpus quoddam molare subesse, indicabat. Itaque tam ob eruendum ignotum hoc mysterium, quam ob mollitiem ex utero propendentis funis, dextram statim in uterum immisi, qua circa limbum orificii uterini dextrorum corpus quoddam carnosum, tactui resistens, figuræ ad instar uteri gravi di quinque mensium, superiori latissima parte fundum uteri attingens, acuminata vero, (quam collum dicere posses) ex ipsa uteri substantia enatum & a productione membranæ, quæ interiorem uteri superficiem investit, undiquaque tectum, detexi. Ex crescentiam hanc magnitudine excedentem cum absque incompescibili haemorrhagia nec excindi, nec ligaturam ibidem applicari posse, ex ipsius natura situque probe cognoverim, intactam reliqui, illamque adstantibus Clariss. Viris, in arte peritis, digitis examinandum concessi, qui utique impossibilitatem instituendæ operationis, nisi fatalis funestæque, confirmabant. Præterea anterius præternaturaliter adhaerentem placentam decorticatione separavi, separatamque una cum residua sanguinis coagulati massa extraxi, sub quo labore totius uteri relaxationem observavi; puerpera autem eo maxime in loco, cui sarcoma uteri pondere suo incumbebat, de insigni dolore conquesta est. Peractis omnibus, tranquillitatem mentis, situmque corporis quietum commendavi, & latiori fascia abdomen leniter comprimere jussi. Sed symptomata ante suscep tam operationem jam præsentia, & totum concomitantia puerperium, fatalem reddebant prognosin. Loco fluxus enim lochialis serum sanguinolentum, putridum, foetidumque effluxit. Febris inflammatoria tam ex antecedenti, quam præsenti statu, scilicet suppresso lo-

chiali legitimo fluxu, pulsu duro celerique, hinc inde intermit-  
tente, oris siccitate, linguæ ariditate, præcordiorum anxietate,  
abdominis expansione, urinæ retentione, tussicula sicca, puerperæ  
abdomen dolorifice concretione, cognoscetatur, pustulæque al-  
bicantes miliæ, quarto die erumpentes, morbi malignitatem  
confirmabant. Factum quidem, ut adhibitis uterinis balsamicis,  
potionibusque interpositis antifebrilibus, ex aquis analepticis &  
diapnoicis, cum matre perlarum, nitro depurato, lapidibus can-  
cerorum acido citri saturatis, antimonio diaphoretico, succino  
albo præparato, & cinnabari antimonii, nec non syrapi acet-  
ositatis citri sufficiente quantitate, bene intermixtis, atque præ-  
scripto decocto temperatissimo, cornu cervi citrato cum radice  
polypodii, febri putredinique incipienti resisteretur, & tam his,  
quam tenuissimorum juscotorum usu vires naturæ excitari, atque  
uterinæ excretiones majori quantitate, meliorique qualitate ex-  
cerni viderentur: sed superveniens diarrhœa fœtida, vires pe-  
nitus exauriens, non malignarum macularum solum plenam  
eruptionem impedivit, verum alternatim lochia excipiens, nullis  
corrigi poterat remediis, quamvis externa linteamina sicca tepi-  
de abdомini superimposita internaque remedia, nimirum cry-  
stallus montana, corallia, cornu cervi sine igne præparatum, ni-  
trum purificatum, antimonium diaphoreticum, cascarilla, extra-  
ctumque ipsius aquosum, nec non usus pilularum STAHLII, de-  
coctum eichorei cum rasura cornu cervi, oryzæ, avenaceum, &  
reliqua, quæ præstantissima alias tutissimaque esse solent, hoc in  
casu adhibita fuerint: incremente potius morbo acuto, ob macu-  
larum malignarum retrocessionem, quæ, accidente diarrhœa, ar-  
te nulla ad peripheriam deferri, ibidemque ad justam vividam-  
que efflorescentiam perduci poterant, sequebantur versus diem  
nonum deliria, motusque convulsivi, quibus ipso nono, utpote  
tyranno die, vitæ finis puerperæ imponebatur. Instituto post

mor-

mortem specialiori scrutinio, uterus nimis adhuc extensus, hinc inde nigricans foetensque, & in loco, cui sarcoma incumbebat, inflammatus ac gangrenosus visus fuit. Sarcoma erat caro compacta, figuræ supra descriptæ, octo circiter librarum ponderis civilis, dextrorsum prope uteri ostium ex ejus substantia enatum, successive evolutum, firmaque membrana, uteri membranæ continua, tectum. Substantia ipsius erat fibroso-vasculosa, relictis hinc inde intersticiis, sanguine coagulato plenis, vasisque diversæ capacitatis arterioso-venosis, ex ipso utero in dictum sarcoma progradientibus, liberum sanguinis in- & refluxum conces- sit, ut adeo non mirum, qui factum fuerit, ut in tantam successive increverit molem, nullaque arte, salva matris vita, ab utero separari potuerit.

## Epicrisis.

### §. IV.

Varia notabilia hoc in casu perpendenda occurrunt, tam quæ ad laborem operosum, quam genesin sarcomatis uterini, & subse- quentem lethalem eventum spectant. Patet autem ex quarto, quod anno MDCCXXXII. iniit, puerperio, ob neglectam uteri abstersionem mensiumque anomalias, malum hystericum incuna- bula traxisse, cum juxta WEDELII sententiam c), uterus cen- trum quasi morborum constituat, ex quo omnes lineæ ductæ il- luc rursus e toto corpore confluant.

### §. V.

Ex eodem fonte ob spasticam inferiorum partium stricturam, sanguinisque superiora versus congestionem, incidit in ophtal-

e) Exercit. medic, philosoph, Cent. I. Obs. I. Exerc. VIII.

miam veram d), quæ, ex neglecta curatione, in *cataracta speciem* transit, difficillime rarissimeque internis cedentem remediis, sed salutis præsidium a manu atque ferramentis potius expectantem. Interea inter initia, teste CELSO e), *suffusio* (quam *Graci* ὀνίχουσι nominant) nonnunquam etiam certis observationibus discutitur. *Quodsi inveteraverit, manu curandum est.* Quam vero imminuta plethora, massaque humorum correcta, cauſſæ, sanguinis congestiones promoventes, humores oculorum turbantes, obscurantes, visusque potentiam impedientes, non vaga, sed periodica sex mensium curatione sublatæ fuerint, atque sub convenienti remediorum usu menstruus redierit fluxus, uxor non tantum a primo morbo, dirisque mali hysteriei spasmis, sed insimul etiam ab oculorum ipsis superveniente symptomatice & secundario, liberata fuit, pristinaque sic restituta sanitate, in secundo dein matrimonio, in quo per quinque annos tanquam sterilis hysterica antea vixit, denuo concepit.

### §. VI.

Tria sunt foeminae a natura necessario imposita, concipere, gestare, & parere. *Conceptus facilis, gestatio operosa, partus dolorum, & periculosa sapius alea plenus.* Quam facile autem foecundæ sanæque concipiendi dispositione gaudeant, tam difficili hystericae, quæ non nisi menstruo fluxu regulariter riteque succedente proliferæ sunt: *jussis enim temporibus menstruantes bona ples-*

- 
- d) *Suffusio oculi potentiae, ut cum CELSO loquar, qua cernit se opponens, a variis cauſſis oritur, speciatim, consentiente Illustri HEISTERO, Inst. Chirurg. Part. II. Sect. II. Cap. LV. §. VIII. p. 59%, a defluxionibus capitis & oculorum, inprimis quando gravis vel sponte sua, vel ab externa quadam vi suborta inflammatio oculum infestavit.*
- e) *de re medica Lib. VI. Cap. VI. §. 35.*

plerumque sanitate fruuntur, & fœminæ juniores raro ante concipiunt, quam menstrua ius contigerint, puerpera raro, nisi post menstruorum redditum, iterum concipiunt f). Præprimis vero intuitu sequioris sexus ad conceptum justa uteri requiritur temperies, ne præhumidus; nec nimis siccus sit; nam teste HIPPOCRATE g), quæ frigidos ac densos uteros habent, non concipiunt: extinguitur enim ipsis genitura. Et quæ siccis & adurentes: alimenti enim inopia semen corrumpitur. Quæ vero ex utrisque temperamentum habent moderatum, he ipsæ proliferæ sunt; quo etiam respicit MANNINGHAM aphorismus h): *Mulieres, quibus uterus male temperatus est, calidior, aridior, frigidior, humidiorive justo, plerumque steriles sunt.* Fit autem temperies, ut inserviat conceptioni, in statu sanitatis ipsa ætate, in morbo vero, correcto uteri vitio. In priori statu nascitur concipiendi aptitudo, quando corpus incrementi sui terminum fere attigit, supponitque regularem fluxum menstruum, quo ager naturæ tam ad concipiendum, quam alendum perficiendumque fœtum, præparatur (per princip. physiolog.): posterioris vero præmissa completa morbi historia evidens nobis ante oculos ponit exemplum fœminæ, quæ ad tempus, nimirum quinquennium, ob officium uteri male præstitum i), sterilis hysterica facta, apertis tandem viis uterinis, præsente licet successiveque incremente uteri farcimata, rursus concepit, illudque absque fœtus nutritionis & perfectionis impedimento, quamvis sub variis molestiis, in utero ad tempus usque determinatum gestavit.

## §. VII.

*Patet inde, gestationem maxime operosam fuisse. Hæc enim soleat*

i 3

folet

f) MANNINGHAM in Compend. artis obstetricariæ, pag. 49.

g) Sect. V. Aphorism. 62.

h) Lib. cit. pag. 51.

i) MANNINGHAM l. c. pag. 71.

solet vel ex morbis generalibus specialibusque provenire, vel eandem gibbosæ, incurvatae, asthmaticæ, vel ejusmodi gravidæ experiuntur, in quibus, ob præternaturalem placentæ adhæsionem, situmque uteri & fœtus obliquum, nec non molas, excedentiaque sarcomata, una cum fœtu utero inclusa, hæc ipsa pars inæqualiter nimiumque expanditur. Sed missis his liceat in præsenti, occasione descripti sarcomatis, differentias quasdam molarum præmittere. Differunt *sarcomata a molis* proprie sic dictis, utpote quæ ovula significant præternaturaliter mutata uteroque excreta, & vel *in veras*, vel *nothas* dividi solent. *Vera* cum molarum definitione conveniunt, & vel *prægnantes*, vel *non prægnantes* sunt. *Prægnantes* sine coitu prægresso involvunt contradictionem, & primis ut plurimum mensibus expelluntur, abortumque ovuli imprægnati indicant, ab interrupta nutritione, fœtu mortuo, diversimode mutantum; aliquando etiam, pro circumstantiarum ratione, ultra graviditatis terminum in utero retenentur. *Non prægnantes* significant ejectiones ovulorum subventaneorum in virginibus nubilibus viduisque, ex quoconque fatuo Veneris stimulo ex ovario in uterum delapsorum, ibidemque varie auctorum k). Ad *spurias* sive *nothas*, genus definitionis non habentes, referimus portiones placentæ ex pristino partu relictas, sive pseudo-molas l), massam cruxis coagulati, quandoque molam mentientem m), uteri sar-

- 
- k) Sexus sequior eadem tentigine in somniis adficitur, quam per vigiliis, suaque, ut in legitima Venere, per ovaria emittit ovula, quemadmodum pluribus constat observationibus, quas ex GRAAFIO, VALISNERIO, KERKRINGIO, MAVRICEAV, DIEMERBROECKIO, BRENDELIO, aliisque collegit Illustris HALLERVS, in adnot. ad BOERHAAVII Prælect. acad. Tom. V. Part. II,
- l) RVYSCHIUS Observat. anatom. chirurgic. XXVIII.
- m) Idem, Observ, XXIX - XXXIII.

sarcomata n), carnosas uteri polypos o), cysticosque tumores, vel in utero, vel vagina genitos.

## §. VIII.

Quodsi in specie in præsens monstrorum *sarcoma*, ejusque originem inquiramus, jure illud ad *molam notham* referimus (§. VII.); perspectu autem facile est, accidisse hoc malum puerperæ Ann. MDCCXLII. ex vulneratione quadam a violenta portionum placentæ extractione tunc utero inducta, eodemque ex loco, succi nutricii luxuriantis adfluxu, successive luxuriantem fungosam carnem (qualis in vulneris fundo sub specie tumida molis sæpiissime exsurgit) excrevisse, ab uteri compressione & expansione subsecuta & soliditatem & figuram nactam. Quum enim eo in loco, cui placenta adhæsit, & in quo maximam imperita obstertrix digitorum unguibus p) longis, acuminatis, nec obtusis, propeque levigatis, sub separatione exercuit vim, puerpera insignem statim post extractionem senserit dolorem, febrisque uterina semi-inflammatoria illico accesserit, postea autem per aliquot annos, tanquam valetudinaria sterilisque ad tempus hysterica, successivam abdominis turgescientiam observaverit, fixo semper permanente dolore, &, quod præcipuum est, ex indicata dolorifica uteri parte magnum istud sarcoma enatum, partu ultimo deterratum, imo, subsequuta morte, examinatum fuerit; concursus cer-

n) Idem Thes. anat. III. n. VII. CONNOR. Diss. med. phys. de humani uteri farcomate.

o) cit. RVYSCHIVS, Obs. VI.

p) BEVENTERVS l. c. p. 65. summopere cavendum inquit, ne digitorum ungues sint prælongi, angulosi, acuti vel inaequales, sed laves potius & breviores, ne ulla, quæ permeant, aut attingunt, partes ledant: quod factu scilicet est, ita maxime, qua meatum non satis cognitum, nec manus habent exercitatas.

certissimorum horum signorum & facti veritatem & originem  
sarcomatis satis superque testantur,

## §. IX.

Ab hoc majora quotidie incrementa capiente pondere, accedente nova imprægnatione, ob nimiam peritonæi musculorumque abdominalium extensionem, facta fuit eorundem insignis relaxatio, æquilibriumque uteri demissi, quem ventrosa mulier, abdomine dextrorum antrorumque propendente, tamdia gestavit, penitus sublatum, hinc caput fœtus aut ad vertebrae incurvas, aut os sacrum impingens, necessario oblique intra ossa debuit propelli q). Quamvis vero ejusmodi capitis situs obstetrici, reliquisque adstantibus mulierculis naturalis visus fuerit, tantum tamen absuit, ut intuitu canalis uteri vaginæque dixerim caput fœtus bene versum, ut potius oblique positum & incunatum quasi, atque inde extimescendum difficillimum omnibus prædixerim partum,

## §. X.

Prævidi quoque præternaturalem placentæ extra sphæram activitatis uteri positæ adhæsionem, fundamentis maxime nixus, principiis mechanicis superstructis r). Eventus enim docuit, ob secundinas, in uteri anteriore parte sitas, factum fuisse, ut capite unico dolore oblique intra ossa propulso, funis, anteriori quidem parte aliquoties circa collum fœtus circumvolvatus, posteriori autem in angustiori loco compressus, subitam fœtui excitaverit mortem. Repetendæ hac occasione a celeberr. LEVRETO s) propositas

q) Conf. DEVENTERVS, l.c Cap. XXXVI. pag. 201.

r) Conf. Disquisit. I. de situ uteri gravidi, &c.

s) *Libro, cui titulus; Observations sur le causses & les accidentes de plusieurs accouchemens laborieux*, Paris, MDCCXXXVII, pag. 118.

sitæ rationes, quibus mecum situm uteri graviði, fœtusque a sede placentæ in utero recte deduxit; sic enim apposite scripsit: *Lorsque le placenta est situé pres de l'orifice, la matrice se dilate plus de côté opposé, que de celui là, ce qui oblige l'Enfant à se placer obliquement à la rectitude du corps de la mère.* 2.) Le côté où est attaché le Placenta, s'étant moins dilaté, il est moins suscep-  
tible de contraction, ce qui fait, que la matrice ne se contracte pas uniformément, mais obliquement, suivant la figure contre nature, qu'elle a acquise, ce qui determine la tête de l'Enfant, à sortir obliquement, lorsque c'est cette partie, qui se présente la première. 3.) Lorsque la tête est sortie en partie, elle va poser contre la tuberosité de l'Ischion, qui se trouve dans sa direction; alors les douleurs deviennent entrecoupées, & le travail languit, parce que la tête de l'Enfant se trouve soutenue sur cette partie, qui ne permet pas une plus grande descente.

## §. XI.

Undenam vero defectus dolorum, ad fœtus secundinarum-  
que exclusionem alias necessariorum? & quid consilii in ancipi-  
tio hoc & periculo statu? Constat enim inter omnes, in naturali  
partu, nixus ad lumbos, qui ad inguina femoraque determinan-  
tur, nasci, & molimina alternis uteri contractionibus remissioni-  
busque per intervalla redire, eaque successive augeri, quo magis  
fœtus ipse ad exitum tendit, uterumque sub progressu ad constri-  
ctionem impellit. In præsenti vero casu unico motu uteri aper-  
tura t) facta, fœtusque caput intra ossa propulsum, sed non ex-

t) Mutatio orificii uteri successive fit, & melius est, si sensim sensimque contingat. Brevius planiusque ultimo prægnationis tempore esse so-  
let, consentientibus MAVRICEO, DEVENTERO, aliisque:  
pressione tamen fœtus, in fine mensis octavi nonique initio, hiatum  
uteri

pulsum fuit. Ipsa capitis ossibus infixi obliquitas exitum foetus impedivit, & nimia uteri, diversis corporibus repleti, distensio constrictione, qua impetus in foetum exercetur, prohibuit. Quid mirum itaque, si naturæ vis insufficiens, manuum auxilia irrita fuerint, optimaque alias remedia roborantia & specifica uterina vim nullam exercere potuerint.

## §. XII.

*Pariendi difficultatem comparem quidem omnibus, disparem in sanguinis, leviorē his, illis graviorem, extremam nonnullis, quibusdam ineluctabilem, imo nec sola manu, nec ullo unquam medicamine superandam, postremaque hanc parturienti fœtuique infensam, modo utriusque, alteri subinde magis, minus alteri exitialem, recte inter alios innuit Guilielmus RVILLAN u). Fæcia dictorum ad præsentem casum adplicatione, impossibilitatem naturaliter pariendi partusque difficultatem, fœtui & parturienti exitialem, animadverti, omneque, quod in difficillimo hoc negotio ferendum erat, salutis præsidium a ferramentis petii. Elegit autem mihi ex illis forcipem hactenus usitatam, qua optimo cum*

fuc-

uteri in transversa diametro in iis maxime auctum reperi, quæ uterum demissum gestarunt, ut facilissime inde absque partus incitamento per membranas relaxatas situm fœtus in utero explorare potuerim. Recte itaque MANNINGHAM p.m. 14. docuit: apertōnem oris uteri mulieris (quod naturaliter ad partum usque clausum esse, doloribusque aperiri solet) non semper parturientis esse signum certum, quum nonnunquam adeo patetatum in quibusdam inveniatur, ut digitum inferri finat mensim ante partum. Ratio autem diversæ hujus mutationis in ostii majore minoreve relaxatione pondereque premente quærenda.

u) Dissertat. quam sub Præsidio celeb. WINSLOI Ann. 1744. Parisiis habuit, in qua quæstionem medico-chirurgicam proposuit: *An ad servandam præfatu matrem obstetricium hamatile minus acceps & aquæ insens, quam ad servandum cum matre fœtum scitio Gasparas?*

successu saepius in praxi mea usus sum, ejusdemque fenestratis lamellis, in quantum necesse fuit, compressi caput volumine excedens, compressumque eduxi tam felici eventu, ut & adstantes instrumenti praestantiam mirarentur, parturiensque fateretur, se sub labore hoc nullam percepisse ingratam sensationem, quam operoso illo, quo antea, me absente variis corporis motibus, ineptisque manuum contrectationibus ab imperita obstetricie x) fatigata fuit.

## §. XIII.

Residuorum quoque corporum, in quantum fieri licuit, rationem habui. Placentam rite separatam, una cum residuis sanguinis grumis, extraxi, in votis tantum habens, ut juxta præclarum DEVENTERI monitum, *uterus circa manum claudi, omniaque egeri potuissent, quacunque aliena adhuc & residua fuerint, quo*

k 2

pur-

- x) Misera est plurimis in Germania locis mulierum conditio, quod ob ignorantiam obstetricum, multorumque Medicorum, qui easdem in re anatomica arteque obstetricaria solide instruere deberent, nec non ob pertinaciam obstetricum, qua Medicorum consilia & auxilia respuunt, multi foetus in ipso partu pereant, mulieresque vel impune occiduntur vel in talem conjiciantur deplorandum statum corporis, ut plures nostris in terris videoas, quæ uteri prolapsu, vaginæ relaxatione, vesicæ urinariæ perinæque rupturis, aliisque infelicibus puererii morbis laborant. Itaque Gallorum maxime Anglorumque non satis dilaudanda est industria, qua summo cum studio artis incrementa promovere, ac nascentibus & parturientibus manuali ope succurrere didicerint; felicesque inde prædicandæ gentes, quibus artem ad majorem perfectiōnis gradum producendi Regia concessa fuerunt privilegia. De his tam MANNINGHAM præfamen, nostraque ipsius Compendio præmissa præfatio, legantur, insimulque CHAPMANI verba Lib. supra citat. p. X. conferantur: *England and France haue produced many great and famous men, vvhō haue made the improvement of thē science, the principal Busines of their Lives,*

*purgatus sine impedimento constringi queat.* Sarcoma autem, altius in utero radices jam agens, cuiusque colli perimetrum, teste inspectione, ad decem accedebat pollices, vi ipsius substantiae cum utero intime communicantis, intuituque loci adfecti, nec non ipsius subjecti, viribus destituti, incipiente uteri febre inflammatoria, arte nulla ab utero, salva matre, separari potuit. Uterus igitur, ob molestum illud corpus, instar madidi lintei mille plies circa manum concidens inæqualiter se se constrictum, & sanguis in minimis subsistens vasis, ibidemque in corruptionem transiens, reliquam humorum massam in similem qualitatem abripuit, & nullis medicamentis, putredini, uterique inflammationi resistenteribus, temperantibus, abstergentibusque corrigi potuit, sed lethalis, qua ante operationem jam corripiebatur, febris uteri inflammatoria puerperam, lati puerperii lecti loco, luctuoso sepulchro immisit.

#### §. XIV.

Inclaruit igitur excellentia *forcipis Anglica* in hac paragomphosi capitis. Quamvis vero de securitate adlicationis mecum non dubitaverint, qui, seposita omni præconceppta opinione, eadem in praxi rite uti sciunt; fuere tamen præclari viri, qui novis additionibus correctionibusque instrumentum perfectius se redidisse sibi persuaserunt. Eminet ex illis dexterimus Chirurgus Parisiensis *Levretus*, qui non supra solum citatum libellum y) eruditus

y) Divisit illum in tres partes: *Prima* ostendit modum caput a trunco abruptum & in uteri cavo relictum educendi. *Altera* rationes exposuit, cur subversione & extractione fœtus per pedes caput intra ossa pelvis nonnunquam defineatur, & quo modo ipsius instrumento ab hisdem liberari commodeque prehendi possit. *Tertia* deum de paragomphos capitis fœtus in partu egit. In hisce casibus usum instrumenti artificiosiss.

eruditè conscripsit, verum novam quoque forcipis speciem aeri incisam ipsi addidit, quo ex illius compositionis ratione prærogativas eo melius ostendere potuerit. Miror inventum AVTORIS, quod satis ingeniosum est: constat enim manubrio, tribusque paullo tenuioribus ex chalybe confectis optimeque lævigatis sibi invicem superimpositis cruribus, altera parte circa clavum, quo inter se adunantur, ita mobilibus, ut lateralia a se invicem diducta, manente uno fixo atque immobili, caput fetus firmiter prehendere possint: optarem tantum ut forcipes ceteras Gallicas correctas, Anglicasque virtute superaret. Alia quoque forcipis delineatione, parum a *Chamberlainiana*, nisi commodis plus minus incommodis, recedente, chartæ spatium replevit, cuius basis & fundamentum ipsa est *Forceps Gallica* a celeberr. GREGORIO jam dudum correcta z).

## §. XV.

Videamus iam prærogativas instrumenti *Levretiani* aa), examinando prius vitiosas, quas Gallicis Anglicisque forcipibus adscripsit, conditiones, quamvis ad magnum perfectionis gradum pervenisse ipsem fateatur. Inter incommoda autem,

k 3

instru-

ciosissimi, omnibus quidem enchiribus manualibus hactenus usitatum forcipum speciebus, præferendum duxit, sed, quod rarissimum, unicam tantum cum ista peractam operationem recensuit, reliquas forsitan mente retinens; interea nonnullas adhuc e MAVRICEO collegit observationes, MOTTIVMque, prioris Commentatorem, censuræ subjecit.

z) vid. Disquis. alt. §. XX. p. 157. &amp; 158.

aa) Laudibus nimis effere illud videtur Lib. cit. pag. 98. La ch se est si possible, que tous ceux, qui ont été non instrument, en sont unanimement convenus: aucune Forceps ne peut faire antant.

instrumentis Anglicis metuenda, refert bb) : difficultiam esse ipsorum certis in casibus ad applicationem, brachiorum in primis decussatim sibi invicem superimponendorum, & ope clavi sive repaguli firmandorum, unionem; deinde ab iisdem quoque saepe accidere perinæi rupturas. Sed ut ex fabricæ ratione, usu que Chamberlayniane, respondeam, concedo, ad applicationem ejus lamellarum, earundemque unionem, intuitu capitis voluminis, ipsius situs, pelvisque figuræ plus minus difficultem esse, sed quæ eadem rite uti didicit perita manus, facili negotio difficultates hinc inde enatas absque ulla violentia, tam utero, quam foetui inferenda, superabit. Illud tantum moneo, quod sedulo inculcat ipse LEVRETUS cc), pericolosam esse forcipum ad applicationem, nisi caput adeo profunde in pelvem descendere cœperit, ut ostium uteri quasi evanescens unicum cum vagina canalem hiatus.

bb) Simplici quadam mechanismo, fig. 14. & 15. forcipem Anglicam perfectiorem reddidisse putat; sed per se clarissimum est, additamenta correctionesque Autoris nil conferre posse ad statum perfectionis, quum ipsem multa tam in sua correcta, quæ lubens ipsi concedam, quam indirecte in reliquis tam Gallorum, quam Anglorum forcipibus quidem desideraverit, nondum vero demonstraverit. Inter alia enim sequentia p. 95. legimus: *Cet instrument est actuellement en apparence au dernier degré de perfection, ou il peut parvenir, sans avoir encore celle, qu'on lui souhaiteroit; car les Pratitiens les plus versés dans son usage conviennent, qu'il est 1) fort difficile de l'introduire dans certaines cas; 2) que l'on a souvent beaucoup de peine à le croisir, & 3) ensin qu'il contribue au déchirement de la fourchette, la correction, que l'y ai faite par le moyen de l'axe ambulante, a rendu la difficulté de croisir les branches de cet Instrument moins grande.*

cc) Lib. cit. p. 101. not. a. Il y a ici une remarque très importante à faire lors qu'on veut se servir du Forceps; il faut absolument, que l'orifice propre de la matrice soit totalement effacé, c'est à dire, que le vagin & ce viscere ne fassent plus qu'une seule & même cavité par une espèce de continuité non interrompue, parceque sans cela on seroit en danger de saisir l'orifice de la matrice entre la tête de l'Enfant & l'Instrument, ce qui seroit extrêmement facheux.

tumque constitutat. Duplici enim ex ratione suadendum est; primo respectu præcavendæ lœsionis, quæ facillime alias orificio uterino inferri posset; secundo vero intuitu ipsius instrumenti, cuius laminæ **equidem** volumen capitis, altius adhuc suspensi, **intantum**, sed non in totum amplecti, adeoque nec æqualiter illud comprimere, ne dicam extrahere valent. His quoque ducti rationibus recedimus a mente clariss. JANCKII, qui dd) quam primum aquæ effusæ sint, foetusque caput non transire cognoscitur, statim ad ferramenta confugit. Præter dubiam enim hoc in casu forcipis (qualemcumque etiam sibi vindicet correctionem) applicationem, notandum, aliquando vel enchirisisbus manualibus, vel unica lamella ee), vel laqueo simplici capiti superinjecto, vel foetu in pedes converso, situm capitis mutari, viuumque inde extrahi posse foetum; hinc naturæ vi aliquid temporis concedendum, cum correcto ceteroquin capitis sita, in iis præsertim, quæ aliquoties jam pepererunt, curatio sæpius cum expectatione plus valeat, quam præmatura instrumentorum ad applicatio. Ne igitur abusus forcipum rectum illarum tollat usum, justo tempore, ubi scilicet caput intravit ossa, nec exire cognoscitur, quam citissime fieri poslit, cum laudato Viro easdem de meliori commendamus.

### §. XVI.

Nec minorem quoque, parem saltem, imo difficiliorem non-nunquam partus laborem, forceps reddit *Levretiana*. Etenim ex modo compositionis artificialis ipsius instrumenti, & combinatio-

ne

dd) *Commentar. de forcipe & forifice, ferramentis a BINGIO, Chirurgo Haffnieno, inveniis, eorumque usu in partu difficulti, Lipsia MDCCCL, p. 21.*

ee) Clariss. JANCKIVS Comment. cit. p. XXVI. inquit: *Us vero integræ forcipis in capite incuneato certissimus usus est, sic unica quoque lamina licet interdum cum frustis usi, si caput oblique positum, vel fronte, vel temporibus, vel occipite ossibus præcipue pubis appressum est.*

ne lamellarum tenuium, ope axis mobilis, caput quidem rite prehensum firmius teneri posse affirmamus, interim, antequam protot diversis capitibus situationibus, pelvisque configurationibus parti cuidam solidiori resistenti, quales sunt mentum, nucha, &c. juxta præscriptas regulas ff) opponatur, operosus immo irritus saepissime labor fit, quemadmodum ipsem ex observationibus didicit. Quid mirum itaque, si Chamberlainiana aliquando ex loco, cui appressa fuit, effugere debuit. Nisi enim sub extractione capitibus mobilitas aliqualis observetur, illico abstinentum ab illa rursusque caput forcipe rite includendum, atque facta sufficienti compressione ab obstaculo liberandum, imo circumspecte educendum est.

### §. XVII.

Circa alterum, quod Clariss. Vir adusat, incommode, difficilem nimirum lamellarum, quæ caput prehendunt, sibi invicem super-

ff) 1. cit. p. 156, 157. Dans ces deux derniers cas, on l'Enfant à la menton également appuyé sur la poitrine, il est bon d'observer, que quoique l'Enfant se trouve dans l'un le ventre en dessus, & dans l'autre en dessous, il sera également difficile de porter l'axe de l'instrument sous le menton, puis qu'il est fortement appuyé sur la poitrine ; mais que ce, qui ne se fait pas en une fois, peut se faire en plusieurs autres. On peut donc porter l'axe sur le milieu de la face de l'Enfant, & cela sans aucune danger, embrasser la tête dans son petit diamètre, & dans cette situation la redresser en partie, ensuite fermer l'Instrument, comme il a déjà été dit plusieurs fois, porter l'axe sur le menton, pour achever l'opération. Mais il ne faut pas oublier, que dans le deuxième cas, on est obligé de baisser suffisamment les mains dans l'introduction de l'instrument, il faut les relever un peu pour développer les branches, & enfin les relever beaucoup plus dans l'extraction : au contraire dans le troisième cas, il faudra avoir les mains hautes, dans l'intromission horizontale dans le développement des branches, & basses dans l'extraction : sans quoi au lieu d'avoir un prise ou point d'appui solide, on glisseroit dans ces deux cas par dessus le visage de l'Enfant.

superimponendarum, & motu repaguli reciproco firmandarum unionem, notandum judico, difficiliorem nonnunquam esse lateralium *Levretiane* forcipis lamellarum (quamvis tenuium) ope clavi cochleati instituendam diductionem, quam firmandam brachiorum *Chamberlayniana* conjunctionem, utpote quæ non absolute necessaria est. Nisi enim eadem absque ulla vi sua sponte se se invicem excipient, combinatio artificialis omittenda, & loco illius sola manuali binarum lamellarum compressione capitis rite inclusi extractio suscipienda. Pertinet hæc cautela practica ad circumspectam extractionem, quam antecedenti paragrapho commendavimus, commendatamque apud CHAPMANVM gg) variis ex rationibus legimus, quas inter refert, primo sub artificiali binarum partium unione extrema earum sibi invicem nonnunquam haud e diametro respondere, sed, ob mutatam directionem, conceptu facile esse, qui fiat, ut vel unica, vel binæ lamellæ sub attractione sponte secedant; secundo facilius esse in non adunatis cruribus forsitan effugientem laminam in pristinum reponere locum, quam, extracta tota forcipe, denuo ipsius suscipere adplicationem. Ipsa quoque experientiâ, optima rerum omnium ma-

*App. Act. Med. Ph. Vol. IX.*

I

gistra,

gg) l. c. p. 19. It is much better as I have just observed, that, the two Parts of the Forceps should not be joined or fixed by a Screw, the Hand being sufficient, and that for these Reasons. First, because when they are screw'd together tho' they should not happen to be exactly opposite to each other, yet they will turn so as to take fast Hold of the Infant's Head, and readily extract it. Secondly, In case one of the Parts should slip, it is then easily returned to its proper Post, without being taken wholly away: Whereas when they are screw'd together, and then slip off on one side (which I have often experienced, in spite of the greatest Care I could use) the Instrument is to be repassed, and screw'd as at first. They have oftentimes slipped, and when I expected the Head of the Child, I have been deceived, and found the Handle Part come close, the Instrument only in my Hands and the Work all to do over again.

gistra, convictus docuit, descripta manuali lamellarum compressione, absque artificiali unione, extractionem semper ex voto succedere hh): hinc sequentem Disquisitione altera ii) præscripsimus regulam: *Quodsi partes, sicuti aliquoties observavimus, artificiali huic unioni resistant, laminis cruciatim tantum sibi impositis caput successive comprimatur, compressumque educatur.*

### §. XVIII.

Tertium demum argumentum, quo Clariss. LÉVRETVS infirmitatem, gradumque imperfectionis Chamberlayniana forcipis confirmare annititur, majoris forsan esset momenti, si vitiosa qualitas, qua rupturam perinæi hoc instrumento excitari *Ipsius* visum fuit, ex recto illius usu demonstrari posset. Non enim nego, optimis ceteroquin instrumentis damnum inferri posse; quem vero imperita saepius manus iisdem producit effectum periculosum, non in instrumenti, sed in dirigentis medentisque culpam cadit. Nisi enim cautelæ omnes, quas citata antea paragrapho præscripsimus, ipseque Clariss. hic Vir aliquoties repetiit, probe observentur, pluri na adhuc mala & irreparabilia damna, rupturæ scilicet colli velicæ, perinæi, &c. metuenda sunt. En ipsius Autoris verba, dum de adlicatione ingeniosi sui instrumenti in specialissimo quodam casu, præmissa historica relatione, egit, kk): *Alors je quittai ma situation horizontale, je levai peu à peu & toujours en tirant le man-*

hh) Idem ibid. p. 20. *I have always found the Instrument far less apt to slip since I omitted fastening the Parts together; and with more Ease to the Patient as well as myself and in much less Time than before, have found the Head of the Child fairly fixt in the Instrument; that is, between the two Parts or Bowes; so that in a few seconds of a Minute, I have had the Childs Head with the Instrument, after which little or no difficulty remains.*

ii) §. XXIV. pag. 163.

kk) Lib. cit. not. a p. 107.

manche de l'instrument (pour menager la fourchette, comme l'on doit toujours faire en pareil cas, n'importe avec quel instrument l'on opere) jusqu'au point de le rendre perpendiculaire. Speciatim quoque ad partium, quibus caput innititur, resistentiam attendendum esse, ne nimis deorsum tendente vi perinæo læsio, vel in totum, vel ex parte inducatur, sequentibus probavit II): Le moyen le plus sur, d'éviter le déchirement de la fourchette, lorsqu'on a introduit le Forceps dans la matrice, & que les branches sont croisées & fixées, c'est de tire en relevant les mains à mesure, que la tête sortira; si l'on ne fait attention à cette remarque, on déchirera immédiatement la fourchette, soit, qu'on tire en bas, soit même, qu'on tire en devant l'instrument dans une situation horizontale; les raisons en sont décrites ci devant pag. 43. première Partie.

## §. XIX.

Itaque solutis hisce, quæ infirmo nituntur fundamento, ab Auctore adductis argumentis, nunc ex ipso compositionis modo instrumenti Levretiani demonstrandum erit, quam facile & vesicæ, & perinæo, læsio ab illo inferri possit. Patet enim ex §. XVI. Illum sub inventione novissimi extractoris ad commodam firmamque inclusionem tantum respexit, haud habito respectu ad immisionem capitis voluminis, quod præcipuum artis medentiumque debet esse fundamentum, & extractionem præcedere. Hanc compressionem ipsa natura suscepit ad caput recte positum per ossa pubis promovendum; sed labor hic in primiparis maxime operosus, & nonnunquam matri foetiique noxius est, cum plures videas infantes natos, quorum capita oblonga & acuminata, in superiori parte contusa atque sugillata sunt, puererasque, quas vel febris statim post partum corripit uteri inflammatoria, a variis

II) Lib. cit. p. 96.

utero infictis contusionibus humorumque inferiora versus conge-  
stione & stagnatione inducta, vel quæ, ob neglectam curam, nec  
impeditam deorsum aut sursum versus pressionem, soluta per-  
næum, læsamque gerunt vesicam urinariam. Præstat igitur, ur-  
gente necessitatis vi, naturæ imbecillitati succurrere, eo maxime  
auxilio, de quo constat, matrem foetumque servari posse. In ca-  
pitis igitur paragomphosi, & ubi causa illius in excedente volu-  
mine mm), vel obliqua ipsius positione, vel figura pelvis, quam  
**DEVENTERVS compressam** dixit, latet, artificiali compressione  
prius caput figuræ pelvis assimulandum est, quo eo facilius, sine  
violenta orificii uterini vaginæque dilatatione educi possit. Absque  
læsione vero nobilissimarum in basi cranii contentarum partium  
fieri posse compressionem capitis, vel ipsi cum *Chamberlayniana*  
& correctis Gallicis forcipibus educti vivi foetus testantur, vel ex  
ossum cuim dura matre leviter cohærentium structura atque de-  
fectu suturarum in infantibus insimul cognoscitur, quam sapien-  
ter omnipotens DEVS, simplici hoc mechanismo conservationi  
& incolumenti prospexerit. Quomodo itaque in hoc aliisque si-  
milibus casibus, ubi transversim caput ossibus inhæret, *Levretia-*  
*na* forceps sufficienter caput comprimere valet. Quæ enim vi  
elasticitatis & resistentiæ nn) instrumenti possibilis est compres-  
sio,

mm) Vid. J. C. AVLBER Differt. de prægrandi foetus capite, patum  
retardante & impediante, Gieslæ MDCCXXXV.

nn) Vid. Lib. cit. Part. II, pag. 68. Hanc vi elasticitatis contingentem  
compressionem, sub extractione capitum in utero mobilis, sufficere qui-  
dem majoremque exercere vim arbitror, ac fasciæ *van HORNII*  
*WALDGRAVII*que sed maxima vis tunc pendet a sola extractione,  
caputque sub progreſſu per ossa manualibus etiam encheirisibus ita com-  
primi solet, et medulla per foramen magnum effluat. *Insignis* igitur  
est differentia inter applicationem instrumenti in paragomphosi capitii foetus,  
Sub caput abruptum in utero ab uno loco ad alteram moveri potest.

sio, imminuendo capitis volumini excedenti insufficiens est. Et enim talis tantum, quæ sub actione capitis & reactione laminarum tenuium, renitente pelvi, fieri potest, vel ad illam sub fortiori attractione, & violenta partium extensione, redigi debet, ab *Ipsa* tribuitur, neque denegatur; sed cum prior species parum mutet naturalem capitis figuram, posterior autem violenta noceat, talis in paragomphosi capitis requiritur, qualem, teste experientia, manualis lamellarum compressio pro rei necessitate efficit, efficereque debet. Itaque ex fundamentis, quibus usum extractoris MAVRICEI plane rejici, ultimum arripio idemque de *Levretiana* forcipe sentio, capite scilicet ante eductionem haud sufficienter compresso, neque volumine ejus prius immunito, tam uterum ladi, quam rupturam perinæ & vesica urinaria induci, variasque inflammations & contusiones in internis & externis accidere posse genitalibus. Quamvis enim omnes ab AVTORE adductæ probe observentur cautelæ, opus tamen, nisi ante extractionem capite fœtus rite compresso, perfecte absolve-re nequeunt.

### §. XX.

Interea non negamus, caput eodem inclusum firmius teneri posse (§. XVI); sed quam dubia atque periculoſa sit sola extractio capitis magnitudine excedentis & in angustias compulsi, absque remotione impedimentorum, tam ex præmissis patet, quam, missa omni præconcepta opinione, illi optime dijudicabunt, qui in similibus casibus diversas forcipes in usum vocarunt. Nonne igitur ab instrumento *Levrettano* eadem evenire possunt mala, quæ male adscripsit Anglicis Gallicisque correctis forcipibus? nonne facta correctio ipsius, satis ingeniosa, in iisdem præcavendis insufficiens est? Quomodo igitur instrumentum LEVRETTI reliquis perfectius imo perfectissimum dici poterit? Pace clariss. Viri brevibus dicam, quod res est: *Instrumentum LEVRETTI in-*

*geniosum, intuitu artificii & mechanismi, Anglicis Gallicisque hactenus inventis nec non ad earum modum confectis forcipibus palam præripit & perfectius est; ipso ratione usu (quod præcipuum) imperfectius, nec omnibus numeris absolutum.*

### §. XXI.

Quid vero dicam de *Levretiana* methodo, fœtum ad caput usque natum, inque capite pubis ossibus quasi suspensum educendi? Solet hæc fœtui fatalis exclusio ut plurimum a neglecta ipsius versione in abdomen rectilinea, vel distorsione capitum, provenire. Si fœtus igitur facie sursum spectet, mentoque ossibus pubis allidat, atque in pelvi detineatur, capitum situs immutandus, facies digitis lateraliter dirigenda, sive caput methodo, quam Petrus STVARTVS distincte descripsit oo), statim educendum insuperque separatio trunci ab illo præcavenda. Fateor me hactenus in variis ejusmodi casibus, solis manualibus encheirisibus, ex voto sapissime ejusmodi operationem peregrisse, nullamque video rationem sufficientem, anticipitem forcipe tentandi operationem, atque instrumentis illico puerperæ, jam aliunde satis adflictæ, incutere velle horrorem, ubi iisdem opus non est. Cavendum itaque, ne tempus perdatur, nec parturientes in gravius conjiciantur vitæ periculum. Si adsit hydrocephalus pp), qui mortuis ut plurimum nascitur, valet apertura ossium crani & evacuatio seri, quo facto ossa concidunt caputque sponte sequitur extractionem. Eadem methodus tentanda, ubi caput fœtus mortui turgidum magnitudine excedit; omissa illa difficiili, & prop-

oo) in *Dissert. de secundinis nocivis æque ac salutiferis,*

pp) Unius in praxi mea memini vivi hydrocephali, post primum nativitatis annum inferioribus partibus plane extenuati & atrophica consumtione mortui.

*propter violentam partium distensionem periculosa instrumenti Levretiani applicatione, quam §. XX. not. a. Fusius descripsit.*

## §. XXII.

Quæritur jam, quid instrumentum LEVRETI eo in casu valeat, quo caput abruptum in utero remansit? Referendæ huc cautelæ, quas parte I. not. z. adduxit. In rarissimo hoc, & ut plurimum ab imperita manu proveniente malo, caput abruptum, quantum satis, comprimentum, & in linea recta, facie vel os sacrum, vel latera respiciente, circumspete educendum est. Aliquid quidem negotii facilis labor, utero præsertim constricto, quum caput sibi relictum sui juris sit, & levissimi sub agitationibus loci mutationem subeat: interea forcipe hoc in casu comoda maxime uterque finis obtineri potest, primo cum latera facilius in loco libero, quam compresso, possint diduciri; secundo ipsa quoque resistentia ossium pubis & instrumenti sub extractione aliquid conferat ad compressionem (§. XIX.), cuius vi, ob medullæ liberum effluxum, ossa facilius cedunt; tertio demum caput rite prehendi, prehensum firmari, firmatumque extrahi possit.

## §. XXIII.

Ex diversis specialissimo hocce in casu ab Autoribus laudatis methodis, illa maxime mihi arridet, qua vel facie versus os sacrum directa, indiceque atque digito medio in os ad fauces usque immissis, reliquis vero ad latera, in primis condylos maxillæ inferioris (ne subluxeretur) politis, atque pollice nuchaæ applicato, vel capite etiam ita lateraliter ante os uterum locato, ut aures os sacrum & pubis respiciant, extractionem moliri solemus. Eandem quoque anno MDCCXLV. tentavi in rustica fœmina, quæ, destituta

destituta plane omni auxilio, fœtum ad caput usque natum, & quasi intra pedes suspensum per viginti horas gestavit, donec obstetrix rustica imperita, adstantesque manibus laqueisque pedibus injectis, tanta vi fœtum educere conarentur, ut attrahentes reclinato situ in terram caderent, & obstetrix, ob nimiam collationem, fœtum manibus exceptum, sed capite detrunatum, teneret, remanente una cum secundinis in uteri cavo fœtus capite. Ad auxilium ferendum accessitus, caput absque instrumentis, sola manuali compressione, modo supra laudato, valido & vacillante deorsum vergente tractu, felici, ut ajunt, sub sidere eduxi, insuperque sub extractione parturientem, ut totius sui corporis nixu activam se præberet, sedulo adhortatus sum.

### §. XXIV.

Ne vero diffusus sim in exponendis diversis operationum modis qq), hac tantum occasione methodi in simili casu cum forcipe Anglicana secure commodeque succurrendi mentionem faciam. Si nimirum ob excedens capititis abrupti volumen sub extractione manuali voti sui non compos fiat obstetricans, vertice capititis sinistra ante ostium uteri detento, dextra vpe instrumenti rr) vel fons pulsatilis aperiendus, cerebrum evacuandum, latera comprimenda, sicque capititis compressi extractio tentanda est, vel forceps lamellatim applicanda, caput cum illa comprehendum & vacillante motu educendum. Ante forcipis applicatio-

qq) *De capite infantis abrupto, variisque illud ex utero extrahendi modis fun-  
ctis egit J. C. VOIGT Dissert. Giessa habita MDCCXLIII.*

rr) Huic scopo inservit cultellus mucrone trigono acuto in vagina orichaeca mobilis (vid. Disquisit. nostra altera §. XVII. pag. 155. & VOIGTII Dissert. fig. 19.) vel loco illius substitui potest terebra occulta, quam descriptit OVLD in Libro, cui titulus: *A Treatise of Mid-  
wifery* pag. 107, vel idem praefat forfex Bingiana.

tionem sinistra caput, facie deorsum spectante, firmiter tenendum, per integumenta capitis abrupti longius crassiusque filum cerasum, curvæ acui transmissum, ducendum. Fila propendentia, pro impedienda mutatione capitis locali, cuidam ad latus adstanti, manibus leniter deorsum & æqualiter attrahenda, traduntur, forcipis autem lamellæ parietibus capitis apponuntur, iisdemque prehensum tanta comprimitur vi, ut tam per naturale foramen magnum, quam factitium (si fontanellæ apertura opus fuerit) cerebrum medullaque oblongata exprimatur, siveque in minus redactum volumen facilius per pelvis angustiam, absque metuenda partium laxatione, ducatur.

## §. XXV.

Eodem in casu laudes promeritas Instrumento *Levretiano* jure tribuendas duco, in quo etiam clariss. JANCKIVS ss) utilissimum esse judicavit, insimulque inventoris ingenium laudavit, atque forcipem pro curioso & artificiosissimo, neutiquam vero, ob dissensum variorum, pro perfectissimo haberi sequentibus probavit: „Primum enim, ait, quod LEVRETI forceps habere videtur incommodum, hoc est, quod arcus illi tres, quorum alter superimponi potest, ut unicum tantum repræsentent, simul sumti majus efficere videntur volumen, quam ut comode inter vaginam & caput fœtus demitti queant, et si singuli satis tenues atque flexiles sint. Deinde si etiam sine periculo immitti possent, & alicui capitis parti quasi infigi, non parum metuo, ut quantum necesse est, a se invicem diduci, & quasi explicari queant. Ut enim vim taceam, quæ adhibenda fuerit, siquidem vel extra uterum difficillime diducuntur, non possunt alter a dextro, alter vero a sinistro latere vel sursum vel deorsum moveri, quin margines horum arcuum latera vaginae

„ graviter contundant, aut plane vulnerent, quia tenuissimus at-  
 „ que fere acutus laminarum margo est. Præterea cum horum  
 „ arcuum extrema in uno puncto concurrant & fixa sint, non pos-  
 „ sunt quoque nisi unico in loco, in capite infantis infigi, id quod  
 „ eam non perfectiore, verum potius adeo imperfectam reddit,  
 „ ut vehementer dubitem, an possit ejus in capitis incuneati ca-  
 „ su vere aliquis usus esse. Quamvis enim concederem unicum  
 „ locum ad eam figendam sufficere, is certe tamen talis esse de-  
 „ bet, ut caput inde recta adduci possit, neque forceps inter at-  
 „ trahendum ex eo loco effugere, quod utrumque in LEVRETI  
 „ forcipe desidero. Caput enim totum prehendere non potest,  
 „ sed dimidiā modo ejus partem, fierique proinde non potest,  
 „ quin si v.g. arcus sub mento infantis applicitur, & tota facies  
 „ forcipe prehensa fuerit, caputque adeo recta adducatur, occi-  
 „ put antrorsum cedat, ac frons proinde ossibus pubis adprima-  
 „ tur. Hæc ergo de capite incuneato pensitanti nil nisi inven-  
 „ toris ingenium laudari deberi, ac forceps pro ferramento ar-  
 „ tificiosissimo haberi videtur, quod, si caput abruptum in utero  
 „ remanserit, optimum sine dubio atque utilissimum sit.

## §. XXVI.

Supereft, ut e reliquis forcipum speciebus tt) illam paucis  
 adhuc attingam, quam nuper correxit BINGVS, dexterimus  
 Chirurgus Haffniensis, quaque distincte descripsit, figuramque  
 aeris

tt) Possem hoc quoque referre diversas, quas MENARDVS descripsit  
 atque delineavit L'IS; le Guide des accouchemens, pref. pag. XI<sup>III</sup>. seq. sed  
 contentus cum clavis LEVRETI judicio, quod de his tulit, Part. II.  
 p. 70. Iubens acquiesco. Agitur enim in praesenti de instrumentis pra-  
 magna in foro artis obstetricariæ utilitatis quibusque proinde illa ha-  
 tenus de nascientiora incipiata agitata questio inanis plane redditur.

aeri incidentam curavit clariss. Vir J. J. JANCKIVS. Ex ipsa vero tamen compositionis uu), quam ad applicationis ratione cognoscitur, ob arcuata ipsius cochlearia, quæ in medio epitonio firmata & decussatim posita concurrunt, (exceptis tantum cruribus rotundis tenuioribus, uncum in semicirculum flexum utrinque desribentibus & in progressu ad extrema sensim sensimque a se invicem divergentibus, quibus annulus quidam longior superinductus est), maxima ex parte convenire cum illa, quam b. Parens celeberr. GREGORII, ad formam Palfyniani extractoris primum invenit: interea correctione sua nonnulla addidit, quæ ad faciliorem & compendiosiorem adapplicationem pertinere commoda ipsi visa sunt.

### §. XXVII.

Ratione utilitatis in universum præstare dicitur, quod de Chamberlayniana & Gregoriana, aliisque ejusmodi forcipibus expectari solet, ubi scilicet caput incarceratedum est, matrem infanteum servari posse, indeque sub adapplicatione horum instrumentorum non absolute necesse esse, ut inquiratur prius, vivusne adhuc an mortuus jam sit fœtus, cum plurimis constet exemplis, vi-  
vos iisdem extractos fuisse yy). Varia quoque commoda Bingiana forcipi cum Gallicis Anglicisque communia esse non negat zz): intuitu tamen proprietatum quorundam omnibus hactenus inventis Bingianam præfert, ac inter illa primo refert: lamina-  
rum extrema rotunda, non lata & angulosa esse, ac propterea con-  
tutius solum faciliusque in vaginam immittenda, verum et-

m 2

iam

uu) Tradidit totius forcipis descriptionem omnibus suis partibus satis perspectam Comment. p. XVI. seq.

yy) Vid. Disquisit. nostra altera §. XXVI. Observ. I. pag. 165. 166. & not. ccc.

zz) cit. Comment. p. XXII.

iam capiti infantis firmius, praterquam quod premendo laddatur, applicanda. Sed quamvis latiores angulis acutis gaudentes laminæ merito rejiciendæ sint, nec vanus timor sit, ab ijsdem lacerationes capititis fœtus, orificii uteri vaginæque canalis læsiones accidere posse: sciendum tamen Chamberlynianam & correctas Gallorum forcipes ex parte quidem ex latioribus compositas esse lamellis, sed marginibus insimul obtusis valde probeque lavigatis, nee angulosis gaudere, quibus nullo modo, nisi imperita illas dirigat manus, damnum inferri potest.

### §. XXVIII.

Ad alterum commodum pertinere putat ipsam laminarum incurvationem, qua quidem majore, quam in Anglicis, id effici arbitratur, ut caput infantis non extremis tantum laminis, sed tota fere earum longitudine, adeoque longe firmius, comprehendatur, cum reliqua ex loco, cui adfixa vel adpressa fuerunt, facile effugere possint partumque laderet. Respexit jam eo industria Gallorum, cum P. GREGORIVS novam forcipem excogitaret; sed difficultas, quæ sub applicatione observabatur, incitavit filium celebrem Chirurgum, artisque obstetricariæ Magistrum, D. GREGORIUM, ejusque sectatores, ut ductu Anglorum capacitem & diametrum imminuerent aaa); interim tamen tunc temporis jam, pro diversis rerum circumstantiis, diversis forcipum laminis, plus minus incurvatis, in praxi usi sunt, quibus ex vota etiam res succedit. Hinc porro recte clariss JANCKIVS, fortassis, inquit, propriè capitum varietates praestaret, diversa curvatae cochlearia, vel laminas forcipis habere. Quo breviores autem arcus, laminæque cochleariae nimis incurvatæ, eo difficilior & periculosior, teste CHAPMANO bbb), carundem applicatio-

Nolo

aaa) conf. Disquis. alt. §. XX. p. 158.

bbb) Pref. p. XX, XXI. To which may be added, that the Forceps gives me a much

Nolo autem fustus hic ea repetere, quæ contra Levretianam objectionem §. XVII. adduxi, illud saltem moneo, LEVRETO forsan sub correctione ccc) Chamberlayniana forcipis id curæ cordique fuisse, ut tentaret absque lamellarum majore incurvatione caput rite prehendere.

## §. XXIX.

Tertio Anglicis æque ac Gallicis Bingianam hoc præstare sibi persuadet, quod breviores laminas habet, quod non parum ad firmius prehendendum cautiusque educendum infantis caput valere ipsi videtur. Interea consensu plurimorum Practicorum constat, breviores lamellas caput minoris voluminis quideam amplecti, neutiquam vero extrema majoris attingere, sed iisdem tantum medium capitum compressione justo longioris fact,

m 3

Sæpius-

much stronger hold of the Child, and enables me to draw it with more Ease and security. But here I must observe, that as there are several different Sorts of Forceps, so they are far from being all equally proper; and great Regard is to be had to their Form, I once saw a Pair at a noted Instrument Maker's which I thought very faulty; and was shewyn a Pair by an other Practitioner in the Country, which could not be used with either success or advantage; the Diameter of the Curve being too large, and its Boves too short.

ccc) Hanc descripsit Lib. cit. p. 92. 93. ubi inquit: Je crois faire plaisir aux personnes de l'art de leur donner la Figure de cet Instrument, avec les corrections, que j'y ai faites. Ces corrections consistent premièrement en ce, que les extrémités supérieures ont intérieurement une espèce de canthare bordée d'une petite levre, située au bord interne le plus éloigné du vtiude des branches, & celle à dessin que ces parties de l'Instrument s'appliquent plus intimement sur les latérales de la tête de l'Enfant, à fin que la prise soit plus solide, que dans celles dont on se servira ordinairement, lequel est dans le lieu; que nous avons désiné, pre que dimirond sur sa largeur, & que par cette raison il fasse plus aisement. Il est bon de remarquer, que cette correction ne peut porter aucun préjudice à la Mère, ni à l'Enfant, & que l'instrument n'en sera pas moins facile à introduire dans les parties, puisque cela ne change rien à sa courbure, & n'y ajoute aucune asperité,

Sæpiusque anterius tumore sanguinolento, (qui nonnunquam caput molle mæntitur) austi, excipi posse, quo ipso vero, ob impeditam totalem capitis compressionem, dubia & periculosa redditur extractio. Hinc ratio distantiae extremitatum a puncto, circa quod moventur, in nostra delineatione ddd) distincte expressæ.

### §. XXX.

Quarto haud omittendum esse judicavit, *Bingiane* forcipis cochlearia minus, quam reliquarum, crassa esse, quod praterquam quod levius ferramentum faciendo ad commodiorem ejus usum plurimum conferre, precipueque, ubi pudenda partes intumuerunt, facile, & sine magno dolore in vaginam dimitti posse arbitratur. Sed, ut pace doctissimi Viri respondeam, forceps a nobis delineata nisi minore, eadem tamen crassitie justaque gaudet elasticitate, neque adeo ponderosa est, quum totius instrumenti pondus vix accedat ad libram pond. civil. Ex iisdem etiam rationibus facile absque doloribus, ubi genitalia turgida angustius quo-

ddd) conf. Disquisit. nost. alt. Tab. II. fig. A. Ad compressionem autem sufficientem, debitamque capitis extractionem, nec justo majora, nec justo minora sufficiunt brachia, sed proportionata debet esse eorum extermorum distantia a punto fixo. Tab. II. nostra igitur sicut forcipem ex duobus æqualibus brachiis, ad lineam rectam extensis decussatimque positis, compositam, tanquam vètem heterodromum, in quo potentia & onus secundum contrarias directiones moventur, quique propter æqualem punctorum, quibus onus pondusque adPLICANTUR, distantiam, vim oneri ferendo exerit æqualem. Contrarium vero observatur in illis, quoram brachiorum distantia, & onoris potentia que inæqualis distributio, accidente vi comprimente, insufficientem sæpius producit activitatem. Vid. CHAPMANNI forcipem l. c. pag. 29. figuræque ipsius Tab. I. & II. expressas, ubi punctum mobile extra centrum gravitatis positum animadvertes.

quodammodo spatiū reddunt, adplicari potest, testantibus id in præsenti, aliisque in Disquisitione altera adductis observationibus. Refero autem ad justam ipsius elasticitatem, ut forceps leniter compressa statim in pristinum statum resiliat, nec sub pressione resistentis cuiusdam corporis diffingatur. Debita autem crassities nimiam excludit tenacitatem arcuum, utpote quæ flexibilitatem & mollitatem instrumenti augens, efficit, ut insufficienter comprimat, figuraque instrumenti in incurvis partibus alteretur atque mutetur <sup>eee).</sup>

### §. XXXI.

Sed missis his levioribus, majoris momenti argumenta examinanda restant. Adcusat clariss. JANCKIVS laminas forcipum Anglicanarum fenestratas, integras vero ob securiorem usum probat, sequentes subjungendo rationes: Quodsi, inquit, ut aliquando sit, pariens vagina aliquo prolapsu, aut etiam tumore laboret, ubi aliquis Anglicanam forcipem adhibuerit, quid aliud efficiet, quam ut vagina lateribus, ut decet, ductis, tumorem illum laminarum fenestrarum prehendat, eumque spongia in modum majorem factum simul cum capite infantis adducendo vel laceret, vel ta saltē vexet, ut eo certius inflammetur, atque gangrena pereat. In hoc adserito & sequentibus doctissimus Vir tam ad specialissimum morbum externum, vaginæ scilicet relaxationem, quam labiorum tumorem, sub paragomphio capitis foetus respexit. Quidam primum sufficientibus rationibus novum demonstratum dedit, ab applicatione Anglicanae forcipis hoc in easu necessario sequi debere inflammations, lacerationes, partium

<sup>eee)</sup> vid. CHAPMANVS Lib. cit. pag XXI quem locum jam citavimus sub explicatione Tabulae nostræ II. p. 175.

tiumque gangrænam. Quis quæso cum capite tumorem prehendet, nisi partium omni cognitione anatomica destitutus, rudiisque in arte? & cui non perspectum satis est, in concursu relaxationis vaginali cum paragomphosi capitis foetus, duo esse attendenda, scilicet ut sub *adoptione* & extractione, partibus externis sufficienter *diductis*, *renitendo* major relaxatio præcaveatur fff). Ad renisum vero legitime exercendum requiruntur adstantis cujusdam manus, quæ, dum peritus in arte prehensum caput forcipe caute attrahere nititur, duorum vel trium digitorum extremis a parte vel inferiore, vel superiore, ubi necessitas postulat, labia dilatata, renitendo insimul & præcavendo, ne laminæ, quamvis omnibus in punctis obtusæ sint, allidant, sed ferramentum tantum internam digitorum, in semicirculum flexorum, attingat superficiem. Si a violenta manus ggg) in uterum immissione variæ rupturæ, genitaliumque lacerationes accidere solent, quidni a ferramentis & ipsa quoque forcipe *Bingiana*, nisi dicta ab opem ferentibus obseruetur cautela, a *Bingiana* inquam, utpote quæ plus incurvatis integrisque lamellis majus sub *adoptione* & extractione requirit spatium, adeoque sub partium externalium, uterique orificii extensione majori, majorem quoque in angustiis exercere debet vim, ipsa forcipe Anglicana, quam cœbriori usu satis probatam testantur CHAPMANI, GIFFARDI, nostræ aliorumque observationes hhh).

## §. XXXII.

fff) Simili fere modo in naturali partu, cum prolapsu uteri vaginaliæ relaxatione juncto, digitis resistimus, præcavendo, ne pressione deorsum versus sub exclusione foetus directa, uterus cum vagina extrorsum magis prematur, sed ut os uteri suo sustineatur loco. Vid. MANNINGHAM Lib. cit. p. 29.

ggg) CHAPMANNVS Lib. cit. Cas. XXX. p. 125.

hhh) Harum plurimæ leguntur Disquisit. alt. not. eee. p. 169.

## §. XXXII.

Aliud quoque adducit cum partu s̄epissime junctum vitium, *turgida* scilicet, & *instar spongiae inflata genitalia*, in quibus *fenestratarum forcipum usum* prohibet. Incommoda autem hæc externa, ut plurimum paragomphos in capitis fœtus comitantia, frequentius, teste clariss. Viro apud nos, quam apud Gallos aut Anglos, contingunt, quia non nisi aliquot diebus elapsis, s̄epissimeque refere conclamata, peritorum curæ submittuntur parturientes. Testor in fidem veritatis, me omnibus in difficillimis casibus, in quibus fenestratis forcipis lamellis opus fuit, vel in uno, vel utroque genitalium latere, & *inflammationem*, & *inflationem* observasse, nunquam vero iisdem lacerasse genitalia. Provoco insimul ad testimonia peritissimorum supra laudatorum Virorum, qui frequentius *forcipibus usi*, non obstantibus externis symptomatis tumoribus, salva vita parturientium, vivos mortuosque eduxerunt fœtus. Interea non nego, uti in prolapsu uteri, ita quoque in externis spongiosis immo sanguineis etiam labiorum tumoribus, circumspecte fieri debere & integrarum & fenestratarum laminarum adapplicationem, lentoque gradu iisdem peragendam extractionem. Quamvis autem non in magistro semper sit, ut superveniens ab inflammatoria febre, in diversis partium speciebus, præcaveatur inflammatio, quæ externas insimul partes in consensum trahens in gangrenosam & sphacelosam corruptionem s̄epissime abit; propterea tamen eadem ob concursum variarum caussarum neutquam instrumento tribuenda, si quidem strenue affirmare audeo, *lesionem qualemcumque a forci-  
pe Anglicana genitalibus inductam*, solum in medentis, non vero instrumenti culpam redundare.

## §. XXXIII.

Maximum demum *Bingiana* forcipis commodum, quod non ad essentiam rei, sed accidentalia tantum pertinet, a lamellarum in duas partes divisione provenire, eademque præcaveri. *Idem* iii) contendit, ne compositum terribile alias instrumentum parturienti adstantibusque terrorem timoremque incutiat. Etiam si vero lamellæ in Gallicis Anglicisque rursus dividi nequeant, a se invicem tamen separatae ita abscondi possunt, ut resupina mulier transverso lecto collocata, ferramenta nulla oculis videre possit. Si vel uno IIII crure mobile caput reddas, & adjuvante manu altera illud educas, vel utroque istud extrahas, parum incommodi nullumque sæpius dolorem sentiet parturiens (teste observatione præmissa). Nullam igitur video rationem sufficientem, cur intuitu hujus artificii *Bingiana* pluribus in casibus adhiberi posset, in quibus reliquarum usus frustra tentatus ab *Ipsò* quidem affirmatur, sed non demonstratur, cum omnibus ipsis in casibus, ubi vel desumpta unica mmm) ex *Bingiana* forcipe lamella partus impedimentum tolli, vel binis caput educi debet, longo jam tempore ante forcipem, mutatione quadam a BINGIO adornatam, Gallicæ Anglicæque inclaruit præstantia, ususque observationibus quam plurimis confirmatus fuit. Dum vero longitudines ceterarum rejicit, ipsemet longitudinem compositæ *Bingiana* silentio præterire videtur. In tantum autem requirunt Gallicæ Anglicæque forcipes sub applicatione crurum dilatationem, in quantum tam in obesis, quam macilentis subjectis ipsius rei necessitas exigit.

iii) *Comment.* p. XXIV.

III) Vid. CHAPMANVS Lib. cit. Cap. XXX. p. 125. & *Disquis. nofr.*  
alt. §. XXXVII. p. 168.

mmm) Conf. JANCKIVS *Comment.* cit. p. XXI.

exigit. Itaque non satis perspicio, quo modo pudor parientis lædi, animusque illius commoveri possit, quæ Magistri curæ se se submittens, anxie ipsius auxilium quærerit. Num ergo haud de-nudatis partibus, nec diductis satis cruribus, *Bingiana* solum ad-plicari potest? Nonne in omni partu præternaturali commodus, quem descripsimus nnn) fœtum in pedes convertendi, vel in-strumentis educendi, parturientis situs eligendus? Quodsi ob pu-doris læsionem operam Magistri recusat parturiens, illam ab ob-stetricie solum debet exspectare, eujus auxilium sæpius parum so-latii, ut plurimum vero tristem rerum eventum promittit ooo). Neque pudor a verecundis eorum oculis lædi potest, qui, juxta LVIÆ exemplum, nudos homines pro statuis haberi, re ipsa probarunt. Si ob læsionem pudoris, certa artis præsidia rejicienda sint, quomodo in vesicæ urinariae læsionibus, vaginæ ul-ceratione & relaxatione, uteri inversione & prolapsu, aliisque his in partibus obvenientibus excrescentiis, absque oculari in-spectione auxilium ferri posset? Sed satis de his. Sufficiat ostен-disse, argumenta Autoris in contrarium adducta, quamvis ma-

n 2

joris

nnn) Vid. Disquisit. nostr. alt. §. XXIII. p. 161.

ooo) Ante oculos mihi adhuc versatur exemplum fœminæ Ianionis, quæ Ann. MDCCXLVII. partu difficile ex prolapsu fœtus brachio labo-rans, nullo modo nec Venerandi Domini Confessionarii, nec meis adhortationibus persuaderi poterat, ut se artis peritorum manibus sub-mitteret; donec post longam moram, morti proxima, præsente jam uteri inflammatione, incipientibus ructibus singultuosis, motibusque convulsivis, meum efflagitare cœpisset auxilium. Putridum quidem eduxi fœtum, sed ob interiorem uteri & præsentem jam ante opera-tionem partium externalum inflammationem, in sphacelum abeu-tem, factum fuit, ut altero die, motibus agitata convulsivis, diem obiret supremum.

joris habeantur momenti, minoris tamen illis videri, qui *fenestratis Forcipum lamellis* rite uti didicerunt. Interea LEVRETI, JANCKII que conatus omnino laudari merentur, quod in incremento artis promovendo, artificioseque mutandis optumis forcipibus, hactenus sudaverint. Id tantum monendum restat, celeberrimos hos viros neutiquam illum, quem sibi proposuerunt, attigisse perfectionis instrumentorum gradum, indeque optandum, ut eorum mutationes forcipes reddidissent perfectissimas.



# D. CHRISTIANI ANDREAE COTHENII

Potentiss. Regi Boruss. a Consil. aul. & t. t. Sere-  
niss. Duci Viduæ Ducique Filio Megapolitano a tutela cor-  
poris, Physici Provincial. Prignicent. Consulis Civitat. Havel-  
bergens. & Academ. Imperial. Nat.  
Curiosor.

CALLIMACHI II.

Triga Observationum

de

# LVE BOVINA

in circulo Prignicensi An. MDCCXLVI. notata,  
addito simul,

Judicio & Consilio  
œconomico,

*præservationem æque ac curationem hujus  
morbi concernente;*



Illustri atque Excellentissimo  
Imperialis Academiæ Naturæ Curiosorum  
PRAESIDI,  
DOMINO  
D. ANDREAE ELIAE  
BÜCHNERO  
S. P. D.

Christianus Andreas Cothenius.



Benevolentiae Tuæ, Vir Illustris, spontaneo plane  
motu in me collocatæ, quo cultus genere con-  
digne obviam ire debeam diu meditatus sum. E-  
quidem probe cognovi, Tibi si quis gratum fa-  
cere in animum duxerit, nullò negotio id magis effecturum,  
nisi magnifico exemplo Tuo excitatus ad promovendum  
publicum bonum manus sedulas obferat. Fuit mihi pro-  
fecto eadem semper sententia, idemque in votis, & in id  
majori studio incubui, ut non amplius laterent labores mei  
practici, sed potius lucem aliquando adspicerent, publico-  
ve prodeissent observationes, quas summa diligentia colle-  
gi ex praxi satis ampla, cum scilicet ratio muneris & hono-  
ris a Te, Illustris Domine Præses, in me ex singulari favore  
& fiducia collati, postquam Societati Perillustri Naturæ Cu-  
rio-

riosorum me adscripsisti, nomineque honorifico simul condecorasti, id officii genus a me efflagitaret. At vero concatenati labores tantum non semper me impediverunt, quominus propositum exsequi, atque ut animus erat, singularem tractationem de *Lue bovina*, proxime elapso anno in hoc Circulo notata, dignam quæ exhiberetur tanto Viro, conscribere potuerim. Ne tamen plane fileam, atque ingrati & beneficio collato disparis animi suspicionem in me moveam, ea, quæ circa hunc morbum observavi, cum jussu Regio in ejus originem & genium inquirere, caussas eruere ac remedia tam curatoria, quam prophylactica, opponere debuerim, Tecum, Vir Illustris, communicare ad minimum volui.

Sunt equidem ea rudi penicillo, & ob nimiam temporis angustiam non satis eleganter adumbrata, dum primam suam, in qua exhibita fuerunt, formam retinent; interim tamen majori fide & circumspectione conscripta & ab illustrissimo Regio superiori Regimine, quantum cognovi, approbata comparent. Accipe ergo hæc, qualiacunque fuerint, Vir Illustris & Excellentissime, serena fronte, atque simul sponsionem meam, me omne studium in id collocaturum esse, quo dignum aliquando Per illustris Cæsareæ Societatis membrum evadam. De reliquo vale quam optime ac diutissime, Tuoque favore & amore me complecti nunquam define. Dabam Havelbergæ, die V. Sept. MDCCXLVII.

## Observatio I.

**Q**uum rumor spargeretur, civitatem nostram Havelbergensem lue illa boum & vaccarum longe lateque grassante, tristissimamque cladem inferente, etiam esse infectam, demandatae mihi provinciae rationem habiturus, ipse me in campum morticinorum contuli, ibique tres vaccas in praesentia mea aperire jussi, in quibus haec notatu digna occurrebant. Prima septem annorum erat, jamque per quinque menses foetum gesserat. Haec per octo tantum dies male se habuerat, ita quidem, ut laei defecerit, ac tandem anxie se se gesserit; quadantenus adhuc erat carnosa, pinguedine hinc inde in conspectum prodeunte. In partibus externis nihil notatu dignum occurrebat; cum vero pectus aperiretur, lobus pulmonum dexter magnitudinem naturalem consuetam ultra dimidium superare deprehendebatur; tota ejusdem substantia suppurata, pureque viscido, oleoso, ex albo flavescente, repleta conspiciebatur, exterius vero rubicundum colorem monstrabat. In arteria aspera mucus flavescens subsistebat. Cor sanguine nigro turgebat. Praeter haec nihil, quod statum præternaturale arguere potuisset, interne oculis se sistebat. Ventriculi tantum non omnes feno viridi impleti adhuc erant. Hepar quodammodo durum erat, vesicula vero fellæ magnitudinis erat insolitæ ejusque parietibus particulæ quædam pingues flavescentes firmiter adhærebant. In cerebro tandem dissecto nihil notatu dignum aut præternaturale adparebat.

Altera vacca, quinque licet tantum annorum, per aliquot tamen circiter menses morbo afflita fuerat, nihilque quam contabescentia, tussis cum anhelitu, adpetitusque interdum deficiens, in ea observatum fuit; admodum vero gracilis & tabe consumta, neque minus omni pinguedine & adipre destituta deprehendens.

hendebatur. In thoracis cavitate magna erat quantitas aquæ, quatuor ad minimum mensuras implens. Pulmonum lobus sinister pleuræ, imo costis ipsis firmiter adnatus, flaccidus apparebat, ac interne materia purulenta flavescente atque substantia quadam lapidea ex albo grysea turgebat. Cor quoque erat flaccidum. Organæ concoctioni inservientia magna pabuli quantitate, & quidem maxime sceno recenti viridescente referta, ultraque modum distenta adparebant. Partes reliquæ, præter flacciditatem, & quod hepar variis in locis aliquo modo durum esset, nihil peculiare monstrabant.

Tertia vaccarum per viginti circiter dies male se habuerat, alimenta tamē exhibita non penitus recusaverat, & tantum tussi & anhelatione afflcta fuit. Cavitatem thoracis, pariter, uti in secunda vacca, multa aqua replebat, dexterque pulmonum lobus eodem modo costis firmissime adhærescens, flaccidus & abscessibus obsessus deprehendebatur, sicuti etiam intuitu reliquarum circumstantiarum hoc cadaver cum antecedente conveniebat.

De reliquo ex carnificis relatione certior redditus sum, quod omnes, quotquot demortuæ & dissectæ fuerunt vaccæ, quarumque numerus in tribus novissime præterlapsis mensibus ad XXX. usque adsurrexisse dicitur, pectus aqua repletum, pulmones exulceratos & pleuræ adnatos, nec minus etiam interdum hepar durum & cum peritonæo concretum, pluribusque in circumferentia abscessibus contaminatum monstraverint.

Possessores autem pecorum lue tali sublatorum, referunt, quod ea tam in pratis, quam etiam in stabulis alimenta avide sati devoraverint. Adfirmant quoque, quod nihil extraordinarii, præter tussim, anhelationem & contabescentiam, in iis observaverint, lac etiam non simul & semel, sed successive defecerit, itemque, quod quedam istarum vaccarum per duas, quatuor, imo octo septimanas male se habuerint. De aliis referunt, quod primis

quatuor diebus decumbere noluerint, tandem vero, & quidem semper in unicum latus, se se projecerint, quodque tussis in primis sub unctione invaluerit, & ex naribus sanguis, unacum materia purulenta, prodierit, atque haec symptomata tandem elapsis aliquot diebus, accedente prius sanguinis circa anum stagnatione, mors ipsa exceperit.

Ex hisce igitur circumstantiis concludere licet, morbum hunc neutquam ad illorum pertinere censem, qui non solum cominus, sed etiam eminus, dum effluvia ægrotantium pecorum cum vestibus transferuntur, sanum pecus inficiunt, sed potius *phthisis pulmonalem* ex febre catarrhalis, a caussa universalis scilicet tempestatis mutatione, exortam, siveque epidemicam, esse nominandam.

Originem hujus morbi veram quod attinet, sequentes circumstantias, ut probe perpendamus, necesse erit. Pecora fortassis in vere præterlapso nimis præmature intra pascua fuerunt abacta, ubi tamen ob ingentem eorum numerum, qui hic loci ultra novies centum increverat, pastus non sufficiebat, unde factum esse videtur, ut unacum gramine recenti admodumque exiguo, quod ideo ad radices fere pecora demordere solent, multum admodum ab inundatione Albis relictæ terræ limosæ, qua gramen obiectum fuit, simul devoraverint. Observatum enim est in nostris regionibus, quod limus, quem Albis relinquere solet, dum hyberno & vernali tempore prata inundat, agros quidem impinguet, sed simul quoque gramen, nisi a pluvia illud abluitur, priusquam pecora pratis committuntur, insalubre semper reddat. Tales vero tam utiles & necessariæ pluviae hoc in anno plane emanserunt, vel potius pecora, cum ob Albis inundationem, exeunte Majo secunda vice contingentem, ex locis inferioribus ad superiora coërcerentur, ibique fame quam maxime premerentur, ante talis pluviae accessum in prata, terra limosa adhuc obiecta, iterum fuerunt abacta.

Quam-

Quamvis autem hæc adducta causa omnino talem effectum, qualis in demortuis nostræ regionis pecoribus se se exseruit, producere & excitare valeat; neutiquam tamen adduci possum, ut credam, unicam illam esse & solam. Terra enim arenosa majorem copiam materiae lapidosæ in hepate, pulmonibus & aliis partibus glandulosis gignere solet. Proinde quoque constat, singulari illa virtute gaudere gramen, recens, ut ejusmodi terram limoso-arenosam & concrementa quasi tophacea dissolvat, atque per alia loca excretoria, nempe vias urinarias & intestina, se- & excretionem ejusdem promoveat, quemadmodum etiam experientia docet, quod sæpiissime tempore hyberno in hepate boum concrementa lapidea inveniantur, quæ tamen tempore vernali a gramine viridi rursus dissolvuntur & annihilantur. Accedit porro, quod effectus noxius paullo citius, nempe in subsequentे Junio, certe se se exseruisset, quodque tandem similia phænomena in aliis quoque regionibus, quas Albis non attingit, observata fuerint. Tantum tamen abest, ut hancce circumstantiam, quoad terram limosam, ex nexu caussarum relegemus, ut potius ad istam reliquaque res, singularem influxum in vitam, sanitatem & morbos hominum æque ac brutorum exserentes, respiciamus.

Potissimum vero *tempestas* attentionem meretur nostram: Dum enim recordamur, quod tempestas mense Majo calida, cum frequentiore tonitru & fulgure, extiterit, sicque ad finem usque Junii continuaverit, hoc ipso vero tempore, inque toto Julio, frigus cum calore singulari plane modo alternaverit, & quod dies servidos iterum frigi noctesque pariter algidæ exceperint, nec non quod in mense Augusto tempestatis constitutio horridula, humida & frigida fuerit: facile concludere possumus, talem illius conditionem in pecoribus, utpote diu noctuque injuriis aëris liberoris hic locorum expositis, nec sub fruticibus & arboribus quidquam levaminis invenientibus, magnam vim exseruisse. Aër

enim frigidus & humidus humores inspissat, elaterem fibrarum motricium debilitat, cutis vero poros obstruit, sive transpirationem insensibilem pariter quoque in pecoribus imminuit; hinc humores non solum majori in copia versus interiora retroaguntur, sed etiam ultra modum accumulantur, simulque illud, quod mixtioni sanguinis plane est adversum, quodque alias excerni debet, nempe viscidum & acre, retinetur, unde fit, ut humores partim ob abundantiam suam & visciditatem ad circulationem liberiorem inepti evadant, partim ob acrimoniam conjunctam partes solidas arrodant & continuo ad contractionem stimulent. Quia etiam porro, præ omnibus reliquis partibus, nares, fauces & pulmones injuriis externi aëris maxime sunt expositæ, ideo mirum haud est, si sanguis spissior, pituitosus, particulisque acroribus inquinatus, potissimum partium harum modo allegatarum fibras & membranas, ab aëre humido jamjam relaxatas, ultra modum extendat, versus ductus excretorios, sive glandulas membranarum, quæ istas partes investiunt, congeratur, orificia ad contractionem irritet, sibique ipsi exitum præcludat. Sic autem in tunica pituitaria inflammatio sanguineo-ferosa inducitur, & quia aër externus frigidus ejusdem discussionem impedit, tandem stases, suppurationes & scirrhi in tunica modo dicta, & in ipsa pulmonum substantia, exoriuntur.

Cum itaque sanguis ob modo dicta obstacula per venas pulmonales tanta celeritate revehi nequeat, quanta per arterias advehitur, necesse est, ut ab arteriis prodeuntia vasa lymphatica ultra modum infarciantur atque in extremitatibus suis distendantur & aperiantur, vel disrumpantur, sive nunc manifesto patet, unde tanta aquæ quantitas in pectore provenerit. Confirmat enim huncce a tempestate inductum effectum ipsa quoque experientia ab hominibus desumpta, siquidem præter hancce æstatem ego nullam plane novi, sub qua homines adeo numerosis & frequentibus

bus coryzæ & rheumatismorum incommodis, alias tamen hoc anni tempore sponte ordinarie cessantibus, adflicti fuerunt. Quod vero non in omnibus & singulis pecoribus talis aëris adversi effectus, quem fortassis perseuerunt, sese exeruerit, id dubio procul vigori motuum naturæ intrinseco & recenti bono pabulo erit adseribendum, quippe quibus stases in quibusdam iterum discussæ & ablatae fuerunt; in illis autem, quibus hoc non contigit, natura succumbere morbiæ vehementiæ cedere fuit coacta.

Remotionem hujus mali in pecoribus adhuc viventibus quod attinet, illa in iis, quorum pulmones jam abscessibus & scirrhis sunt obsessi, vel etiam ubi pectoris hydrops majori in gradu jam præsto est, vel hepatis scirrhi & exulcerationes adsunt, id quod ex respiratione diffici & anhelitu continuo patefecit, irrita plane esse videtur; interea tamen remediis purgantibus & resolventibus erit tentanda, e.g. Rec. Resinæ Jalappæ drachmam unam, spiritus frumenti cochlearia quatuor, solve & adde mellis cochlearia duo. Mista pecori mane, jejuno adhuc stomacho, exhibeantur, porrigendo dein aquam calidam, cui aliquot farinæ manipuli immixti sunt, superpotandam: hocque remedium elapso quinque vel sex dierum spatio repeti poterit. Deinde quoque quarta pars mensuræ mane & vesperi de decocto sequentium specierum, superingerendo aquam calidam cum furfuribus & farina mixtam, exhiberi poterit: Rec. Radicis angelicæ uncias duas, taraxaci unciam unam semis, herbæ marrubii albi manip. IV. tussilaginis, florum bellidis, centaurii minoris ana manip. ij. Concisa coquantur per horæ spatium cum cerevisiæ mensuris duabus in vase clauso; collaturæ adde mellis Prussici, vel alijs depurati, libræ quadrantem.

*Præservationis cauſa*, & ubi nondum plenaria suppuratio adest, vena in cervice secabitur, istoque die, quo id factum, ac duobus sequentibus diebus, vitrum mediocre, octavam mensuræ circiter partem capiens, sequenti potionē, probe antea agitata,

repletum, mane & vesperi adhibebitur: Rec. Aceti cerevisiae acris mensuram unam, aceti vini acris mensuram dimidiam, lapidum cancerorum praeparator. unciam unam cum dimidia, nitri depurati unciam dimidiam, mellis Prussici uncias tres. M. Porro vesperi vel etiam mane pulveris sequentis cochlear unum porrigitur: Rec. Radicis enulæ, levistici, angelicæ, pimpinelæ albæ ana unciam unam, Herb. marrub. albi, tussilaginis ana manip. IV. cardui benedicti, salviæ, centaurii minoris, florum bellidis ana manipulum unum, seminis fœnugræci uncias duas, fœniculi, nitri depurati ana unciam unam, sulphuris caballini unciam dimidiam. Concisa contusa M. F. Pulvis.

Si signa quædam scirrhæ & exulcerationis pulmonum sese forte exsererent, tunc pulvis hic semper vesperi, & mixtura superius descripta matutinis horis adhiberi poterunt. Neque incongruum erit purgationem pecoris cum radicis Jalappæ drachmis duabus, in cerevisia calida, cum pauculo butyri insulsi permixta adhibitis, instituere, pabulumque comminutum aquæ fluvali calidæ immittere & cum ea commiscere. Quamvis etiam hicce morbus, uti superius jam indicatum est, in se & sua natura non sit contagiosus, nonnulli tamen veterum æque ac recentiorum celeberrimorum Practicorum observarunt, quod phthisis pulmonalis in hominibus occurrentis morbis malignis sit adnumeranda, quodque ista, licet non in distantia quadam vim contagiosam exserat, tamen iis, qui nimis arctum cum ægroto haberunt commercium, & effluvia ejus calida immediate in se receperunt, fuerit communicata. Hinc igitur, cum etiam noster morbus, uti superius demonstratum fuit, vere epidemicus sit, a tempestate variabili & frigida potissimum inductus; porro quoque omnes morbi catarrhales a sero acri abundante proveniant, hique morbi serosi longe facilius, quam mere sanguinei, contagium excitare valeant: illi certe, meo quidem judicio, prudentissime

sime agerent, qui pecora ægrotantia confestim a sanis separando, majori cum cura & diligentia iisdem prospicerent. Nemo vero ratione sana præditus hæc inique interpretabitur, & veram adesse pecudum luem contagiosam, quana nosmet ipsi adseverassemus, ex iis concludet: ea enim est natura & indoles contagii, ut pecori sano statim communicetur, & ab ipso aëre externo, in quo brutum ægrotum degit, nec minus quoque ab aliis, circa idem illud versantibus, recipi, & in diffita loca propagari queat, sicque non solum cominus, sed etiam eminus noxam adferat. Hæcce vero nos neutquam heic loci observavimus, nec talia signa, quæ alias in vera pecorum contagiosa lue adesse solent, vide licet pustulæ, maculæ nigricantes, internarum partium sphacelus, &c. sub inspectione demortuorum pecorum oculis nostris obvernerunt.

## Observatio II.

Rescripto Directorii provincialis incliti satisfacturus, ad villam Dammerensem me contuli, & ante omnia, ut morbum, qui jam per aliquod tempus pecora infestavit, nuncque iterum se se manifestare cœpit, debite explorarem, deque indole ejusdem, an veræ luis contagiosæ nomen mereatur, sententiam meam enunciare possem, circumstantias morbi in hoc ipso loco probe in dagavi, sequentemque historiam ejus collegi.

Vacca prima d. 9. Febr. 1746. morbo correpta, pabulum ab horruit, anhelavit & ægre spiritum duxit, tandem septima hebdomate, postquam duobus antea diebus abortivum excluserat vitulum, dimittendo excrementa, periit. Hoc ipso mense quartuor adhuc interierunt; mense Martio viginti quatuor; mense Aprili duodecim, & tandem mense Mayo saltem octo. Sub harum demortuorum pecorum numero duas erant buculeæ & qua tuor

tuor anniculi juvenci. Singula fere eorum per dies octo, quatuordecim, imo tres ferme septimanas morbo decubuerunt; fuerunt tamen sex, quae Februario & Martio mense per quatuor tantum vel sex dies post morbi invasionem vixerunt. Omnes vaccae pabulum fastidiverunt, &, uti dicitur, remedia exhibita nihil prorsus effecerunt. Lac disparuit, tussientesque anhelarunt. Tandem salivam cum spumescientia eructarunt, & subjectigatione perierunt. Ceterum sub toto morbi decursu urinam debite emiserunt, nullaque alia, praeter haec allata, phænomena fuerunt observata.

Vaccæ utplurimum gravidæ fuerunt, & vel abortum passæ, vel sub partu in morbum inciderunt, quem retentio secundinorum, quæ ad decimum usque diem remanserunt, & mors ipsa exceptit. Vituli vero omnes perierunt, & saltem per quatuordecim circiter dies superstites manserunt, quieti semper jacuerunt, nullumque corporis augmentum obtinuerunt. In multis ipsorum idem fuit partium internarum status, ac in vaccis demortuis.

Ex ægrotantium numero octo vaccæ & una juvenca morbi vim superarunt, nitrumque & foenugræcum optimum edidisse effectum dicuntur. Ceterum unum bubile omnes vaccas comprehendit, easque sine quodam ordine morbus invasit, ut nempe ægrotæ non semper fuerint ægrotis contiguæ, adeoque neutiquam vero simile est, quod altera alteri morbum communicaverit. Reliquæ hujus loci vaccæ sanitate nunc fruuntur integra, pabulum devorant, bene ruminant, omnesque in agris libere illud quærunt.

Præter numerum superius adductum venator hujus loci septem quoque vaccas aluit, illasque hactenus a reliquis, usque ad quartam hancce elapsam septimanam, separatas tenuit, postmodum vero aliis commixtas in campos dimisit. Ex his septem vaccis una ante decem dies male se habere cœpit, hesternoque die periiit

periit. Dein ante septiduum tres iterum morbus invasit, quæ vero adhuc superstites pabulum in agris querunt. In vacca demortua morbi status sic se habuit: Ab initio statim pabulum abhorruit, lac amisit, anhelavit, & ægre spiritum duxit, ut plurimum humi jacuit, interdum vero subito exsiliens anhelavit & mugivit, in terram iterum se se projecit & jectigavit, tandemque promanante ex ore saliva spumescente periit. Hæc vacca hodie, me præsente, a carafice aperta fuit. Quoad habitum externum satis erat carnosa. Thorax amphoram fere aquæ flavescens continebat. Lobus pulmonum dexter erat flaccidus, & sub incisione putridus deprehendebatur. Venæ, earumque ramifications majores, sanguine viscido, fibras referente, repletæ videbantur. Tonus sinister lobus scirrhis & abscessibus prorsus repletus turgebat, tantamque gravitatem specificam habebat, ut pars ejus avulsa aquæ injecta fundum peteret: costis insuper erat accretus, interque pleuræ membranam pus spissum flavescens, mediante quo cum superficie pulmonum cohærebat, conspiciebatur. Cordis ventriculi sanguine nigro coagulato erant infarcti. Hepar & lien colorem naturalem referebant, quemadmodum etiam fauces, ventriculi & intestina nihil præternaturale monstrabant; eadem quoque in reliquis demortuis vaccis adparuisse, oeconomicus adfirmabat.

In caussam hujus morbi dein inquirenti, nullam aliam suppeditare poterant oeconomicus & reliqui domestici, quam quod ante duos annos propter inundationem, sub qua aqua usque in stabula penetraverat, pecora Martio mense, tempestate adhuc frigida, sub dio subsistere debuerint, insimul vero etiam bona notæ pabulum tunc temporis defecerit, tandemque anno proxime præterlaldo pecora præmature nimis intra agrorum pascua, multo limo arenoso, ab Albis inundatione relicto, adhuc obiecta, fuerint deducta: De reliquo subjungebant, pabulum, quod

in præterito anno sub recta erat congestum, satis quidem siccum, neutquam tamen bonum fuisse, quia grando optima culmina decussisset. Innotuit mihi etiam ex relatione, quod jam in præterito anno nonnulla hujus ditionis pecora anhelatio cum tussi adfixerit, hæcque omnium primo ægrotare cœperint.

Ex hac adducta morbi historia sine dubio adparet, quod morbus iste pro *phthisi pulmonali successiva exorta* possit haberri, quam tandem, ob circulum sanguinis per scirrhos & abscessus in pulmonibus magis magisque retardatum, febris inflammatoria modo mitior, modo gravior, excepit, ut ita suffocatio morsque ipsa inducta fuerit. Ad huncce morbum cauſæ allatae symbolum suum omnino conferre potuerunt, fundamentumque ejusdem jam in præterito anno, imo in duobus his præterlapsis poni omnino potuit. Accedit adhuc, quod subitanæ tempestatis calidæ & frigidæ mutationes in præteritis mensibus contingentes, attentio- nem mereantur, id quod in observatione præcedenti, occasione morbi lethiferi, anno præterito pecudes auferentis, conscripta, uberiorius demonstravi.

Indagata nunc indole & cauſa quoad ortum & exitum hujus morbi, facile adparebit, illum nondum pro contagiosa lue posse haberri; bene tamen interim ageretur si Pecora ægrotantia melioris curationis cauſa domi retinerentur, & convenientibus medicamentis iisdem prospiceretur.

Interim præservandi fine sequens medicamentum purgans commendavi: Rec. Resinæ jalappæ drachmam unam, solvatur in spiritu frumenti cochlearibus quatuor, addantur mellis cochlea- ria duo; mixta porriganter mane ægrotanti pecori, superinge- rendo aquam calidam cum aliquot furfurum triticeorum mani- pulis decoctam. Hoc remedium sub morbi quoque invasione, quam primum quædam se se manifestant symptomata, optimo cum successu adhiberi & sub convalescentia iterari poterit. Cum  
etiam

etiam nonnemo certiore me fecerit, egoque ipse postmodum observaverim, quod vitriolum album non sine fructu in hoc morbi genere adhibitum fuerit, non abs re foret, si grana decem ad usque quindecim ejusdem supra allegatae resinæ jalappæ adderentur. Poterit quoque drachma vitrioli albi in aqua calida solvi, additisque sex mellis cochlearibus solitarie exhiberi.

Vegetoribus & vividioribus vaccis præservationis gratia veniam in collo secandam curavi, istoque, quo id factum erat, die ac subsequentibus, vitrum mediocre, ex quo cerevisia hauriri solet, quodque octavam mensuræ partem recipit, sequenti potionē, probe antea agitata, repletum, infundere jussi: Rec. Aceti cerevisiæ acris mensuram unam, aceti vini acris mensuram dimidiā, lapidum cancerorum præparatorum uncias duas, nitri depurati unciam dimidiā, mellis Prussici vel alijs purificati uncias tres, & misceantur. Postmodum ad præservationem solummodo vesperi vel etiam mane & vesperi cochlear unicum hujus pulveris ingeri poterit: Rec. Radicis enulæ, levistici, angelicæ, pimpinellæ albæ, ana unciam unam, herbar. marrubii albi, tussilaginis ana manip. IV. cardui benedicti, hyssopi, salviæ, centaurii minoris, florum bellidis ana manipulum unum, seminis foenugræci uncias duas, foeniculi, nitri depurati, ana unciam unam, sulphuris caballini drachmas duas. Concisa & contusa M. F. pulvis.

*Curationem ipsam quod attinet, præter superius dicta purgantia, sequentia præscripsi remedijs:* Rec. Radicis angelicæ uncias duas, taraxaci unciam unam cum dimidia, herbar. marrubii albi, tussilaginis, florum bellidis, centaurii minoris, ana manip. ij. Mixta concisa & contusa infundantur mensuris quinque cerevisiæ, decoquantur leni igne in vase clauso per horæ spatum;

colaturæ addatur mellis depurati libræ quadrans; detur mane & vesperi calide quarta pars mensuræ, superingerendo aquam calidam cum furfuribus & manipulo uno radicis graminis decoctam: vesperi etiam & ante meridiem mixtura supra allegata infundi, & potio modo descripta mane solummodo exhiberi posset; id quod præcipue in tali casu faciendum esse existimo, ubi æstus & sitis adsunt, vel pecora vehementer se se jectigant; immo, si morbus ab initio statim cum horrore invaderet, huncque æstus, anhelitus & jectigatio exciperent, sola mixtura saltem mane, pomeridie & vesperi in usum trahi, venaque simul secari posset.

### Observatio III.

Jussu Regio in pagum Mansfeldt, circa confinia Ducatus Megapolitani, d. VI. Decembr. 1746. me contuli, ibique in luem pecudum grassantem inquirens sequentia observavi: Taurus 4. annorum præcedenti nocte mortuus aperiebatur; cuius quidem cornua, prope caput mediante ferra resecta, interiorem substantiam spóngiosam ac medullam sanam bonoque tinctam rubore monstrabant. Remoto cranio cerebrum & reliqua capitis nihil alieni ostendebant, lingua quoque sana erat. Detracta pelle caro apparebat fusco nigro colore perfusa, maxime circa lumbos. Aspera arteria tantum intus, pulmones vero universi inflammati, insigniter inflati, passimque obfessi erant minoribus scirrhis ac hydatidibus, flavum serum fundentibus. Cor flaccidum continebat fluidum floridumque sanguinem, eratque simul cum mediastino passim inflammatum. Lien exiguus atque subdurus erat. Universum hepar induratum conspiciebatur; vesiculam felleam replebat liquor aquosus flavescens, cui innatabant particulæ pinguis oleosæ. Primus ventriculus multo pabulo, eoque valde sicco,

siccо, refertus & exterius aliquantum inflammatus erat; alter ventriculus vacuuus quidem, exterius tamen aliquantum rubebat; tertius repletus fuit siccо pabulo, extensus, leviterque inflammatus; in quarto ventriculo inveniebatur pituita flavescens, non tamen foetida. Totus intestinorum tractus passim levem ostendebat inflammationem, & flatibus distentus erat. Renes cum reliquis partibus ab omni labe immunes erant.

Porro etiam viva & per unum modo diem morbida interficiebatur vacca, quae moesta stabat atque tranquilla, pendente capite & auribus, quae, uti & cornua, frigebant; oculi vero pallidi, turbidi, fluentes erant. Excoriata carnem ostendebat sanam; pulmones in externa superficie leviter inflammati, non adnati pleurae, sed quibusdam hydatidibus & scirrhis in- & exterius obfusi erant. Flaccidum cor fundebat sanguinem floridum, simulque exterius aliquali inflammatione tactum erat. Primus ventriculus pabulo satis siccо valde distentus, alter viscida pituita plenus, tertius iterum pabulo siccо refertus, solido durior & nigro-fuscus apparebat; quartus ventriculus continebat pituitam flavam. Omnes autem hi ventriculi cum annexis intestinis in- & externe inflammati erant. Totum jecur durum, cystis fellea sati ampla, bile aquosa flavescente plena erat. Utero haec vacca gerebat foetum fere septimestrem, ipsa uteri interna superficies undequaque erat inflammata. Pulmones foetus erant densiores & rubro fuchi, nil vero praeter alieni alebant. Reliquae partes omnes vaccae bene se habebant.

Tertia tandem adhuc aperiebatur vacca, ante aliquot jam dies demortua, cuius pulmones valde inflammati, putridique conspiciebantur; hepar induratum atque intense lividum; cystis fellea vero vacua erat. Primus ventriculus insigniter inflammatus, pabuloque confertus adparebat, quod idem etiam in ter-

tio ventriculo notabatur. Omnes ventriculi cum intestinis leviter inflammati erant, nullum tamen gravem foetorem spargebant.

Ex inspectione aliorum cadaverum hac lue sublatorum, & privatum jam jam perscrutatorum, idem partium status fuisse dicitur, quem modo exposuimus. In nonnullis quidem pulmones universi putridi erant, talesque pecudes etiam per XIV. dies morbo laborarunt; cum alia modo ad tertium vel quintum usque diem ægrotaverant. Repertum quoque fuit pabulum instar placentæ induratum, in plicis ventriculi tertii hærens, qui etiam durus nigrique coloris fuit.

In initio hujus luis pecudes adhuc in pascua missæ fuerunt. Prima inquilini cujusdam, quæ morbo hoc corripiebatur vacca, horrorem primo perpessa gravem, pandiculatione deinde distendebatur, & excrementa non sine magna molestia dejiciebat; surgebat, circumbat, decumbebat, alternatim. Postero die muci albi copiam per alvum excernebat, & quinto die moriebatur. Hac prima mortua, reliquæ tres hujus inquilini vaccæ eodem modo hoc morbo invadebantur, harumque duæ moriebantur, & una tantum superstes manebat. Hinc morbus sensim per totum progressus fuit pagum.

Quotquot igitur hac lue infestabantur pecudes, omnes primo horrore aggrediebantur; quædam autem sub ipso pastu cum vehementi corporis concussione in terram concidebant; quædam surgentes valde distendebantur, per totum corpus horrore affiebantur, & tunc stantes permanebant.

Omnis caput demittunt, pabulum aversantur, vel delibant adhuc interdum primo alterove die. Aures & cornua frigent; oculi lacrymas fundunt & colore obducuntur albo; quibusdam etiam

etiam nares destillant; plurimis vacillant dentes; omnes vero tussi sicca, cum raucedine & sternutatione, vexantur. Primo die quædam freudent; os etiam modo frigidum est, modo calidum. Omnes primo die excrementa laboriose dimitunt. Succedit deinde diarrhœa, stercora tenuia & viridia expellens, quæ interdum male olent, atque ab omnibus longius post tergum projiciuntur. Ructus quoque a nonnullis impetuosi emittuntur; quædam sub diarrhœa frusta muci flavescentis, magnitudine dimidi pugni, excernebant; quædam sitiunt, quædam securi. Morbus durat plerumque per tres, quinque, imo quandoque quatuordecim dies, donec moriantur.

In villa nobilis cuiusdam matronæ quinque vaccæ simul in hunc incidebant morbum, atque iisdem, quæ jam exposuimus, symptomatibus, horrore scilicet, & diarrhœa prægressis, tertio die moriebantur. Hoc facto morbus statim alias XXVI. vaccas invadebat eodem plane modo, quarum XXII. tertio die moriebantur; quatuor superstites octavo die incipiebant rursus solito more excrementa dejicere avideque bibere. Durante morbo parum potenti pabulique assumebant, multum vero muci flavescentis e naribus excernebant, sub multa sternutatione; jam vero consueto more iterum utuntur pabulo. Sub ipso mortis agone pecudes hinc illinc jestigantur; quædam terram perforant linguamque nigro-fuscam ex ore protendunt. Varia remedia, confuse adhibita, certum alicujus ex iis effectum in dubio plane reliquerunt. Venæsectio quoque absque fructu administrata fuit.

Ex modo exposita igitur hac historia morbi, qui tam cito finitur, omnes unius stabuli pecudes invadit, multaque communia habet cum iue bovina huc usque in Holstia grassante, itemque ex viscerum inflammatione, facile colligitur, hanc iuem in

pago Mansfeld omnino esse contagiosam & optime dici *febrem acutam catarrhalem inflammatoriam*, quæ, uti videtur, ab infectis jam locis modo adhuc incognito in prædictum illum pagum translata fuit; quamquam etiam ex hepatis induratione, & pulmonum, scirrhis & hydatidibus obsitorum, constitutione suspicari liceat, dispositionem quandam suscipiendo tale contagium in pecore Mansfeldensi jam præsentem fuisse, inter cujus fortassis caussas occasioales aquæ etiam penuria, uti voluit bubulus, referenda erit, neque tamen habeo, cur omnia ea, quæ prioribus observationibus in classem causarum retuli, hic pariter non applicem. Ceterum non dubito, quin morbus remediis magis auscultaverit in iis, quorum viscera salva adhuc fuerunt, ideoque vix crediderim, medicationi aliqualem adhuc locum esse in iis, quæ viscera recondunt scirrho obsessa.

Curatio morbidi & præservatio sani pecoris ab hoc morbo, secundum meam circa hanc rem cognitionem, ut & experientiam tam propriam, quam aliorum hac in parte expertorum Medicorum, sincere nunc exponetur, salvâ tamen manente illustris Collegii sanitatis censura, & accuratiore hujus judicij dispositione. Sana adhuc pecora optime a morbo defenduntur, si mane & vesperi probe detergantur strigili; eorum stabula suffiantur baccis Juniperi, vel etiam Saccharo & Succino; postes stabulorum illinantur oleo C. C. foetido, & sparsim ponantur frustula asæ foetidæ & camphoræ, de qua etiam portio quædam collo alligari poterit pecori, bibendi caussa e stabulis misso. Stabula sedulo a simo repurgentur, & sicca mundaque serventur. Vena poterit se cari jugularis, & sanguis emitte ad libras tres vel quatuor; quo facto, præbeatur acetum vini quarta, vel acetum cerevisiae acris dimidia pars mensuræ, cui addatur dimidia uncia concharum præparatarum, vel testarum ovorum, vel lapidum cancrorum, drachma una nitri, & unum cochlear mellis depurati, continuando hoc medic.

medicamentum per aliquot dies mane & vesperi. Porro præservandi caussa utilis quoque erit sequens pulvis, de quo per septimanam aliquoties quantum cochlear capit, cum aqua tepida, in qua avena excorticata vel farina hordei cocta fuit, exhibeatur; Rec. Nitri puri libram dimidiam, tartari albi crudi unciam unam & sulphuris crudi tantudem, hæcque mixta in pulverem redigantur. Proficuum quoque fuerit omni ostiduo vel decendio purgans aliquod exhibere, quod confistere potest ex Aloës uncia dimidia & duabus drachmis tartari albi in pulverem redactis & cum aqua prædicta exhibendis. Quod si hoc non satis evacuaverit, aloë ad sex drachmas, vel integrum unciam poterit præberi. Conducere quoque solet frictio oris cum sale, aceto & baccis lauri contusis. Neque etiam setaceum sub collo aut fonticulus in dorso omni destituentur effectu.

Quam primum morbi saltē minimum adparet indicium, removendum est pecus morbosum a reliquo sano & huic ultimo statim præbendus pulvis supra dictus, vel potus commendatus mane & vesperi. Homines quoque circa morbosum versantes pecus nullum prorsus commercium tam cum sano pecore, quam cum iis, qui circa hoc occupati sunt, habeant, & idcirco extra pagum in singulari casa cum morbosis semper maneant. Morbidum pecus calore fovendum est: potus etiam calide porrigendus, qui ex aqua fluviatili constare potest, cui manipulus farinæ hordei, vel avenæ excorticatae, addito etiam manipulo herbæ salviæ, incoctus sit, constare poterit.

Si itaque morbo ipso pecus adfligitur, ante horrorem purgans adhibebitur: sin vero horror jam iterum cessaverit, tunc evacuandi scopo saponis Veneti uncia dimidia, in calida aqua soluta, cum tremoris tartari tantudem remixta, & si forsitan nimia alvum dejiciendi difficultas adfuerit, elapsis XII. horis quarta pars libræ olei lini, faucibus infusa, adhiberi poterit. Die

post factam evacuationem sanguis e collo mittitur ad tres vel quatuor libras, deinde per tres dies potus supra dictus mane, meridie & vesperi offertur. Venæfæctio autem statim in principio fiat, necesse est, si utilis esse debeat. Sanguis in terram statim defodi debet, quod etiam de excrementis morbosit pecoris observandum est. Dehinc mane, meridie & vesperi hujus pulveris cochlear unum cum aqua dicta tepida exhibetur: Rec. Nitri depurati uncias octo, pulveris radicis gentianæ rubræ & herbæ cardui benedicti ana uncias quatuor, camphoræ cum saccharo triæ drachmam unam, mixta in pulveris formam redigantur. Os & labia tandem fricentur sale, nitro & aeoto, mundaque serventur. Aures poterunt perforari subula, ipsisque induci setaceum.



R V D E R A  
terræ mutationum particularium  
testes possibiles

pro diluvii universalis testibus non habenda, occasione in-  
versionis Limæ & Collo in America meridionali.

Diatriben physicam

*Illustri Imperialis Leopoldino - Carolinæ Academie  
Natura Curiosorum*

PRAESIDI,  
VIRO Excellentissimo

D. ANDREAE ELIAE  
BVCHNERO,

S. R. I. Nobili,

Potentissimo Prussiæ Regi a Consiliis sanctioribus,  
Medicinæ & Philosophiæ naturalis Professori  
publico ordinario Hallensi, Acad. Scientiar. Reg.

Berolinensis Sodali

dedicavit

HENRICVS FRIDER. DELIVS,  
Medicinæ Doctor,

eiusdemque iam in Erlangensi Academia Prof. Publ.  
Ordin. & Imperial. Academ. Nat. Curios.  
Collega.



Magnifico & Illustri  
**B V C H N E R O**  
 Fautor i maxime colendo  
 S. P. D.  
**Henricus Fridericus Delius.**

Cujus dudum insignia in rempublicam litterariam & medicam, Naturæ præsertim Curiosorum Societatem, merita tacita veneratus sum mente, TIBI, Vir Illustris, leviores pagellas devinctissimo animo publice dedicare audeo. Evidem ego gaudebo, si TIBI, acerrimi judicii Viro, hæc qualiacunque probari intelligam. Existimabam autem merito, novi ardoris proventus, qui caussam atque initium a TE habebant, TIBI etiam consecranda esse, TIBI inquam, cui me illustri Academiæ Imperiali Naturæ Curiosorum cognomine *Democedis secundi* adscribere, adscriptionem Diplomate solenni gratiose transmissio corroborare placuit. Placeat autem TIBI, Vir Magnifice, ut pro eximio erga me favore, & collato isto celeberrimæ Societatis vinculo gratissimum animum TIBI profitear, & nunquam otiosum studium, in amplissimum naturæ campum, pro viribus meis, quas sentio quam sint exiguae, excurrendi, spondeam. Deus TE servet, Vir Magnifice, ut ex voto valeas, donec eruditio orbi, donec splendidissimæ familiæ, TIBI denique ipsi abunde satisficeris. Dabam Wernigerodæ, Calend. August. MDCCXLVII.

## §. I.

Non unus perpetuo fuit naturæ vultus in orbe. Terraqueus noster globus mutationes solennes subiit omnino, hinc uti jam eundem conspicimus, non videre majores nostri, nec cernent posteri. Tacemus temporum ex aureis in argentea, ænea, ferrea, plumbea mutationes, quas adfirmant. Tacemus mores mutatos. Tacemus mutationes, quas

*audax omnia perpet*u*ta*

*gens humana*

operose produxit, mutando montes in plana, sylvas in agros, in prata paludes, fluminum per novos canales coniunctiones, antrorum novas excavationes, metallifodinas, navigationes, aliaque monumenta aere perenniora.

## §. II.

Tacemus rudis indigestæque olim molis, ex nihilo creatæ, in suas species digestionem, hujusque fiendi modum, in quo ad umbrando præter BVRNETVM & WHISTONVM magni viri desudarunt.

## §. III.

Telluris autem jam jam creati factas mutationes præter fasti maris littora mutata, promontoria, montes, insulas recens nascentes, iterum pereuntes, terræ præsertim strata indicant. Hæc profundius considerata utique indigitant, motus vehementiores tantum ista strata diversimode variare potuisse, ita ut sæpiissime leges naturales excedere videantur, cum specificè levioribus haud raro incurvant graviora, e. g. arena, humo. Multa porro tam in montibus quam in absconditis terræ sinibus reperiunda peregrina, v. g. animalium partes, vegetabilia, ligna, marina, pristina adhuc figura gaudentia, in terream autem indolem mutata, hæc aliunde huc delata esse confirmant.

Lubet ea, quæ in natâlî noîtro solo, aut cîrca comitatus Wernigerodensis viciniam obseruavimus, tantarum mutationum terræ rudera, nondum, uti memini, alibi descripta, adducere. Sic e.g. lapides lyncis prope amoenissimum celsissimi Comitis hortum in agris, nec non prope prædium Charlottenlust reperiuntur. In monte der Horßberg dico conchæ petræfactæ, pectinitæ, trochitæ, terebratulæ & turbinitæ obviæ sunt. Oolithi albantes & rubri, martiali minera tinti, tot adsunt, ut integras ædes inde construâtas videas. Prope Darlingerodam am Ziegenberge in lapide calcario inveniuntur concharum & mytilorum reliquiae. Haud ita pridem in ferrifodina Ilsenburgensi pectinitæ nitidissimi, minera martis partim, partim spatho inclusò gaudentes, reperti sunt. Oppidulum Dardessen duo milliaria a Wernigeroda distans, complures pectinitas, trochitas, cornua ammonis, interdum stellas marinas petræfactas, præbet, ita ut vix lapidem vel in plateis, vel ædibus conspicias, qui istis petræfactis careat. Reliqua, quæ latent, tempus & industria detegent.

#### §. IV.

Stupenda antra, speluncæ, abyssi, abscissæ rupes, immensa saxa sibi invicem imposita, quæ viribus humanis patrata esse, fidem omnino superant, peculiarium factorum terræ motuum testes sunt omnino.

Præter horrendæ molis petras, v.g. die Hohneklippen, der Hexenaltär, die Schnarcher, die Zeserklippen, cet. in & cîrca Brûcterum nostrum conspicuas, de quibus conf. RITTERI Epist. de itinere in Brûcterum ad celeb. BRÜCKMANNVM, in confiniis nostris vidimus rupem altissimam abscissam prope Ilsenburgum. Ilsenstein dictam, fere LX. orgyias emetientem. E regione hujus similis conspicitur petra, quas exigua tantum vallis divisit, & credere nos jubet, cohæsisse omnino istud jugum, & olim vi terræ motæ & concussæ, forsitan etiam vi fluctuum di-ratum, disruptum esse, quippe quod etiam saxa prægrandia complura, in valle dem Ilsenthal conspicua, demonstrant. Spelunca porro Baumanziana, milliare & quod excurrit a Wernigeroda distans, sex & pluribus, quas scrutatorum industria investigare potest, concamerationibus patulis divisa, tot concavis & convexis fornicationibus, quas humana opera factas esse, judicium tantum ecclipsin patiens adfirmat, tot cryptis

tis hiatibusque, tot figuratis stalactitibus celebris, terræ concussionis violentæ testis est. Plures in hujus antri confiniis, auf dem Riebelande, vel a dejecta arce, quam in antiquioribus bellis raptore& p̄datores inhabitarunt, Raubelande, conspiciuntur petræ abscissæ, quæ factam terræ montiumque rupturam indicant. Idem censemus videtur de tractu montis die Teufels Mauer prope Blankenburgum, qui valissimis saxis, sibi invicem impositis, admirandam horrendamque faciem præbet. Dantur etiam antæ, quæ vulgo arces maledictæ, veruunsechte Schlosser, audiunt, quæque adhuc ab utriusque sexus principibus servisque eorum, jam sub canum, felium, syrenum larvis oberrantibus, thesaurosque ibi latentes custodientibus, habitari fabulæ aniles referunt. Nonnullæ cavernæ etiam vocantur Zverglöcher, quia domicilia pygmæorum, subterranei regni incolarum, esse, vulgus credit.

## §. V.

Cum globus noster, quem inhabitamus, constet e terra & aqua, sequitur, dictas mutationes motu extraordinario & valido fluidorum & solidorum actuatas esse. Prorsus aliena, quæ in intimis terræ penetralibus, nec non in summis montium cacumini- bus, imo in terræ crusta reperimus, non faciliori negotio expli- canda videntur, quam si per inundationes huc devoluta esse ad- serimus. Fuisse aliquando universale diluvium, historica docu- menta Mosis & Ethnicorum, licet non in totum harmonica, probant. Probant autem quam maxime illa rudera, quæ jam nomi- navimus §. III. & vel ex hoc capite in curiosorum scriniis adser- vanda, licet colligere lapides, apud ignorantes, vel eos, qui tan- tum in pecuniis vel agris congerendis amoenitates quærunt, qui- que nihil utile judicant, nisi quod usui œconomico conveniat, aut eibum aut potum largiatur, inutile prorius studium habeatur.

## §. VI.

Solidarum telluris partium mutationis rudera §. IV. cavernæ, juga p̄cipitia, cert. ad eorum caussam nos concludere jubet. Neque facilior ea videtur, quam assumere vehementiores terræ con-

concussiones & motus, quibus montes disrupti, speluncæ ortæ, paludes montium visceribus refertæ, & exsiccatæ sunt. In fissuras porro & hiatus terræ aquæ absconditæ sunt, & cum aquis multa heterogenea illud novum spatium repleverunt.

### §. VII.

Peregrina ista, in locis insolitis obvia, ignium etiam rudera, e. g. calcinationem, ostendunt. Hinc alii factam olim terræ combustionem credunt. Forsan ad modum cometæ.

### §. VIII.

Hypotheses istæ omnes diluvium universale, terræ motum universalem, combustionem universalem statuminant. Neque in præsenti has universales telluris mutationes in dubium vocabo, sed veritatem diluvii Mosaici utilissime accepto, pensitans, quod naturæ curioso tot tantaque istius diluvii rudera obveniant. Neque terræ concussionem universalem vel combustionem prorsus negabo, id tantum adstruendum mihi sumo, concludens ab universalis ad particulare, possibilia esse rudera diluviorum, terræ motuum & incendiorum particularium, quorum vulgo caussa in diluvio & terræ motu universali ponitur.

Egregium scriptum, quod sub titulo: *Rudera diluvii testes*, edidit, b. BüTTNERVS, dignis dudum condecoratum est laudibus. Eo præsertim nititur b. AuctoR, ut e locupletissimis istis testibus ad diluvium universale concludat. Secuti eum sunt plurimi, antecesserunt multi. Neque ullo modo hoc meo asserto istam veritatem infringo, sed aliquem tantum locum particularibus terræ motibus & diluviis, effectuum horum §. III. IV. caussis, vendico, quemadmodum laudatus AuctoR. l. c. p. 292. & 295. has ipsas particulares mutationes etiam assumit, sed simul earum insufficientiam ad omnes effectus explicandos statuit. Conf. etiam vener. LESSERI *Lithothol.* §. 517. Sed præter dictos particulares motus superesse possent rudera quædam, quæ neque universalem terræ mutationem, neque dictos §. VIII. particulares motus, sed specia- lissimam quandam caussam agnoscunt. E. C.

I. Possunt omnino occurrere effectus ventorum, nimborum, procellarum, quibus turres palatiaque dejecta, maxime arbores sylvæque dirutæ, in pelago naves continentem terram versus agitatæ ruinæ undique dispersæ sunt.

II. Inundationes specialissimæ tempore belli, v.g. in regionibus Batavis sponte factæ esse possunt, quibus corpora peregrina humana, pisces, conchylia, ligna, in terram devolvi, & multo post ex eadem immutata effodi queunt.

III. Idem censendum omnino est, quando in locis, ubi clades olim factas vel cuniculos bellicos, pyro pulvere in ærem raptos esse historiæ certo narrant, ossa fossilia inveniuntur.

IV. Antra opera humana confecta, veluti aquæ ductus, balnea subterranea, cryptas sepulchrales, meatus, quibus belli tempore se suaque abscondidere homines, metallorum, salium, lithanthracum fodinas, lapidicinas ab antiquissimis majoribus nostris fundatas, jam noviter detectas, pro terræ motus vel diluvii universalis effectu reputanda esse, reditum judicium vetat. Neque cavernæ etiam, quarum §. IV. Schol. mentionem fecimus, quasque vulgus *Zwischenlöcher* appellat, pro particularium terræ motuum testibus habendæ semper sunt, sed ut plurimum vestigia fossorum sunt, qui ibi lithanthraces, ardesiam tegularem, vel metallum aliquod, vel denique novas scaturigines pro ducendis aquis quæsivere, & quæ sunt reliqua.

V. Huc etiam referendi sunt subterranei meatus & canales communicantes, quos veluti nonnunquam ab una arce ad aliam, vel e monachorum claustro ad monialium cellas factos esse, rudera eorum, jam terræ hiatibus & fissuris similia, commonstrant.

VI. Loca cavernosa, e quibus olim calces, arena, lutum, sulphura effossa sunt, interdum solo iterum æquantur, iniectis lapidibus, humo congestitia, vel aliis quisquiliis, quæ tantum ad replendum illud spatium idoneæ judicantur. Probabile videtur, ligna, carbones, concharum ovorumque testas, postea immutatas, inde erui posse, quæ minime inundationem vel terræ motum pro cauſa agnoscunt.

VII. Alia denique cavenda omnino est fallacia, qua certa quædam corpora petræfacta vel petris inclusa, tamquam diluvii rudera, considerare possemus. In *Italiciis fodinis*, e quibus marmora effodiuntur, ferramenta, ipsis lapidibus inclusa, inventa sunt. Quis aliam hujus phænomeni rationem dabit, quam quod ista ferramenta a prælinis mar-

morum fossoribus forte in illis cryptis relicta fuerint, quod tandem cavernæ novo marmore, mediantibus aquis subterraneis, quæ terrestres particulas ibi depositure, repletæ, hæc ferramenta lapide circumfuso do-  
nauerint. Conf. P. *Diego de REVILLAS*, *Tractat. de perrefactione*,  
quem lingua germanica donatum exponit *das Hamburgische Magazin*  
*MDCCLXVII. Part. I. pag. XXIV.*

### §. IX.

Diluvii universalis telluris testes præcipue corpora mutata  
funt, quorum originalia longe ab isto solo, ubi reperiuntur, qua-  
renda sunt. Sic si Crocodili skeleton lapideum in splendido olim  
adparatu SPENERIANO \*) & LINCKIANO \*\*) adseratum, pro  
particularis diluvii ruderibus reputare vellemus, in judicii ecclip-  
si certo incidemus. Si porro in cacuminibus montium, ex-  
plosa diu fabula de naturæ lusu, deque *aura omnium naturæ regi-*  
*norum seminali undique dispersa*, petræfacta corpora, præcipue  
marina, invenimus, tum particularem inundationem neutiquam  
sufficere quilibet videt, cum aqua horizontale planum adamans,  
hoc ipso facto, ad minimum, maximam telluris partem tegerit.  
Fuit ergo hisce testibus tempus ubi

*piscium summa genus habet ulmo  
nota quo sedes fuerit columbis  
& superiecto pavide natarunt  
aquore dama.* HORATIVS.

Ergo a facta particulari inundatione, præter specialissimas  
caussas §. VIII. adductas, ea petræfacta derivari utique possunt,  
quorum originalia olim circa eundem locum, ubi eruuntur, vel  
haud procul ab eodem inventa sunt, aut adhuc inveniuntur. Sic  
pisciculorum, cancrorum, vegetabilium, mytulorum, cochle-  
arum terrestrium rudera petræfacta, si neque in montibus præali-  
tis, neque in intimis terræ visceribus reperiuntur, diluviorum  
particularium possibles testes sunt.

\*) BUTTNERVS I. c. p. 240. \*\*) LESSER Litnotheolog. §. 351.

## §. X.

Modus etenim petræfactionis corporum antea molliorum & tantum solidorum in eo præsertim consistit, ut I. corpus corruptionis speciem, juvante aqua & aëre, experiatur. II. Particulæ specificæ graviores se se invicem contingent & cohærent, quæ III. exhalata aqua in corpus durum, quod lapidem appellamus, abeant, & IV. nulla accidente vi externa, corporis figura permaneat. Jam quis dubitat, petræfactiones hac ratione etiam nostris temporibus esse possiles?

Utile hinc etiam possibile videtur, ligna quædam, imo & sylvas vi ventorum dirutas, sub certo situ, accidente aqua specifica, hodie petræfieri. Idem in *Spelunca Baumanniana* quotidie, si ossa spectas, accedit. Nihil addo de incrustationibus lapideis toto die *im Fürsten-Brunnen bey Jena*, *im Striedel-Brunnen am Kohnstein prope Nordhausen*, *in peculiari fonte Schenningeni*, & tophis, in compluribus thermis & fontibus salutariibus adhuc observabilibus,

## §. XI.

Plures autem inundationes, seposito diluvio universali, factas fuisse, res ipsa loquitur. Strata enim terræ non semper per leges specificæ gravitatis ordinata inveniuntur, sed leviori saepius gravius incumbit. §. III. Sunto ergo sedimenta ex variis inundationibus relicta.

## §. XII.

Sed cum terræ scrutatori non raro obveniat, quod hæc ipsa terræ lapidumque strata diversimode variata, diffracta & disrupta appareant, \*) sine novæ inundationis vestigiis, merito ad novam & adventitiam concludit caussam, quæ non probabilior est, quam assumere varias ipsius terræ concussions §. IV. Hinc ejus solidarum partium mutationes. Montes disrupti, promontoria, hiatus & fissuræ terræ, cavernæ ope humana non actuatae, terram

vehementius, dum hæc effecta sunt, commotam esse, demonstrant. Universalem terræ commotionem semel, vel plus vice simplici factam esse, magni Viri dictitant. hujusque veritatem e relictis ubique ruinis, cum monumenta historica deficiant, optime deduci posse, adfirmant. Conf. celeb. KRÜGERI *Geschichte der Erden in den allerältesten Zeiten*. Sed in locis, quæ terræ tre-mores etiam temporibus nostris experta sunt, eorum rudera etiam nunc prōstant. Ergo sepositis universalibus terræ motibus, etiam a particularibus nonnullis effectus §. IV. deduci possunt. Ulterius adhuc progrediendum videtur & affirmandum, petræ-facta, calcinata, aliaque phænomena, vulgo universali diluvio adscripta, e compluribus terræ motibus, ab ignium subterraneorum vi pendentibus, derivanda esse, veluti hoc ipsum locupletissimis testimonii demonstratum dedit *Ant. Lazzaro MORO, de crostacei, e degli altri marini corpi che si truovano su monti*, cuius libri summam peculiari scripto exposuit D. Balth. EHR-HART. Memmingæ, MDCCXLV.

<sup>\*)</sup> I. Non equidem conceptibile videtur, quomodo ope solius inundationis Schifti proventus explicari possit, in quo sæpiissime strata mox duriora lapidea, mox terrea molliora, alternis interdum vicibus obser-vantur.

II. In alumine scissili albo fibris rigidis, prope Wernigerodam sæpius oberrat terra argillacea carneola mollis, quæ stratorum variatio nihil aliud quam factam eorum validam concussionem, indicat.

III. Trochitas, pro particulis stellæ marinæ petræfactæ habitas, sæpius in ipsis peñitarum alveolis, sive in carundem superficie convexa, in-venimus. Ergo altera pars omnino mollis adhuc fuit, quando altera eandem contingere, seque impastare potuit. Hinc videtur, strata etiam, jam petræfactis gaudentia, immutata esse.

### §. XIII.

Observatum est, quod, tempore terræ motus, oriatur de-mum iste a calore & igne subterraneo, licet non centrali, vel ab aëre

aëre subterraneo vel aquis subito expansis, pars terræ superficialis in montem elevata, altera aut in vallem, cryptam, aut paludes mutata sit. Spatium ergo durante motu oritur; quid jam facilius videtur, quam quod in locum vacui, non metaphysici, succedat aqua subterranea, aliaque corpora congerantur, secundum directionem vis fortioris. Hac ratione diluvium particula-re cum terræ motu particulari jungi potest, quemadmodum in Italia frequens terræ motus cum ignium eructatione sæpissime jungitur. Probabile itidem est, tempore diluvii Mosaici, disrupta terræ crusta, inundationem & terræ motum simul extitisse \*). Petræfacta porro in crusta terræ tantum invenirentur, si omnem caussam in diluvio ponimus. Quæ autem in intimis terræ visceribus reperiuntur, unde alias cecidere in profundum, quam per validiorem terræ concussionem.

\*) Hinc Islandiam insulam aliasque vocat *Nordische Bruchstücke der Welt, nordische Weltträümmer* b. ANDERSON, Reipubl. Hamb. Consul. & A. N. C. Sodal, in der *Nachricht von Island*, MD CXLVI, pag. 3. & 1. Immo & diluvium cum terræ motu conjunctum fuisse idem affirmat p. 6. Peculiares autem montium motus, montes in paludes, paludes in montes mutatos notat Vir post fata celeberr. p. 11.

#### §. XIV.

Peculiaris superest ratio, quando peregrina quædam in locis insolitis reperta sunt. Dantur scilicet aquæ, horrendo & admirando vertiginoso motu gaudentes. Posibile ergo est, quod isti vortices corpora quædam in hoc loco deglutita, per canales subterraneos nobis incognitos ad alia loca ferre & eructare queant. Historiam omnem fere fidem superantem e diversis relationibus comprobavit & adduxit BÜLTNERVS Rud. *diluv. test.* p. 294. „An. MCCCCCLXII. inventa enim est prope Helvetiæ „Bernam, navis cum anchoris aliisque armamentis navalibus, „nec minus ossibus, quadraginta hominum reliquiis, quippe

„ quæ omnia forte horrenda vortice absorpta, in terrarum cava,  
„ incognita nobis, protrusa, & tandem petræfacta fuit.

### §. XV.

Jam solennium terræ mutationum veritatem adstruere operæ pretium ducimus. Atque primum inundationum terræque motuum testes, sunt *fretæ maris*. Sic *Hispaniam* cum *Africa* cohæsisse, per exiguum fretum Gibraltar, quod jam easdem discernit, probabile videtur. Immo ejusdem propiorem nexus cum ipsa *America* crediderunt olim. *SOLONI* enim Aegyptii sacerdotes, referente *PLATONE* in *Timao*, narrarunt, fuisse olim prope fretum Gibraltar insulam nomine *Atlantis*, magnitudine ipsam *Asiam* & *Africanam* longe superantem, quæ olim validissimo terræ motu & diluvio uno nychthemero inundata fuerit. *Ceylon* *Asiae* insulam cum terra firma *Coromandel*, immo *Sumatram* cum *Malacca* & *Java*, *Malaccam* cum *Borneo* continuum olim effecisse, ipsis navigatoribus, qui extremos cucurrere ad Indos, verosimillimum videtur. *Siciliam* insulam fortiori maris motu ab *Italia* avulsam esse, *OVIDIVS* absque fabulæ suspicio ne refert:

— — — *Zancle quoque juncta fuisse*  
*Dicitur Italia, donec confinia portus*  
*Abstulit, & media tellurem repulit unda.*

Novæ inundationis paulo post mentionem facit; *Metamorph.*

### I. XV.

*Si quæris Helicen & Burin Achaidas urbes,*  
*Invenies sub aquis. Et adhuc ostendere nautæ*  
*Inclinata solent cum mænibus oppida mersis.*

Eodem fato *Venetam*, celebrem *Pomeraniæ* olim urbem, delatam esse dicunt. *Angliam* cum *Gallia* etiam junctam fuisse, ex eo videtur adfirmandum, quia littus *Doverianum* & marinæ rupes

prope

prope Caletum & Bononiam Gallæ ejusdem substantiæ cretaceæ & siliceæ reperiuntur. Distantia porro minima regionum istarum vix XXIV. milliaria anglica æquat, & præter ea fretum Cætanum, sive Doverianum, vadosum est, neque eximia altitudine, ut mare adjacens, gaudet, quoniam forsitan disrupta rudera maris fundum aliquantum olim replevere.

### §. XVI.

Præter Ogygium & Deucaledonium particulare diluvium, ut ut a multis pro eodem cum Mosaico habitum, recens & terris nostris proprius accedens inundatio partis Germania septentrionalis, præcipue Frisia orientalis, nominanda est. Summe probabile videtur, in nonnullis locis posteris investiganda jacere ossa fossilia hominum atque animalium miserrime aqua suffocatorum; inveniri conchas, cochleasque marinæ, pisces, ligna humo abscondita, quæ cuncta forsitan in posterum in schistum lapidem mutata, icones partium heterogenearum, huc devolutarum, olim monstrabunt. Sed HAPPELI Chronicon diluviorum in enumeraendis pluribus inundationibus mihi otium faciet. Taceo ruderâ, in locis maritimis seu flaviis cardinalibus adjacentibus, e specialissimis inundationibus etiam nostro tempore possibilia. Videmus enim

— — — quod quondam fuerat solidissima tellus,  
Essē fretum — — factas ex aquore terras,  
Et procul a pelago conchæ jacuere marinæ. OVIDIUS.

### §. XVII.

Sed in mentem redeunt eximia saxa in summis montibus, interdum sibi invicem imposita, §. IV. conspicua. Videntur haec ipsa saxa, diffraicti & conculli montis particulæ esse, quæ tandem abluta, per complures pluvias & cataractas, terra, in conspe-

Cum

etum venere, aut procul a natali loco vi fluctuum devoluta sunt. Præsertim juga saxosa, muros vel columnas referentes, sceleta quasi montium dicenda sunt; Conf. LANGHANSII Programma, von dem Adersbachischen Steingebürge. Bresl. MDCCXXXIX.

### §. XVIII.

Terræ motus particulares Italia hucusque sæpius experiri cogitur. Testes sunt montes ignivomi, *Vesuvius & Aetna*, præter minores ignium eructationes. Quot quantaque rudera horum motuum prōstant! Arridet relatio novissima e regno *Neapolitano* per novellas aliquoties confirmata, de inventa prope palatum regium *Portici*, urbe HERACLEA, olim cineribus Vesuvii tecta, & terræ motu concussa, in qua adhuc theatra marmorea, statuas æneas, domicilia, inque iis homines, edulia, vina, instrumenta, quibus ad immolationes usi fuerunt ethnici, imagines & sexcenta alia in conspectum venerint. Sed plura admiranda hujus inventionis documenta tempus dabit, & antiquitatis & naturæ scrutatorum diligentiam exercebit.

### §. XIX.

Neque in aliis regionibus desunt exempla particularium terræ concussionum, quæ tanta rudera reliquerunt. Notum est Clavennæ oppidum *Plursum* a terræ motu MDCXIX. submersum & in paludem mutatum. Anno MDCXC. *Thuringia, Bavaria, Alsatia, Suevia* vehementes terræ motus expertæ sunt. Sequenti anno MDCXCI. mense Febr. *Carniola* impetus duros sustinuit. Paullo post *Caroloftadium, Labacum & Francofurtum ad Mænum* motu subterraneo contremuere. Taceo a calore subterraneo, in metalli- & isticis fodiinis, e quibus eruuntur lithanthraces, facta incendia, e.g. in terris *Lippiensibus, & Wettinenibus, Zwickaviensibus*, & inde pendentes terræ vibrationes. In Angliæ urbe *Eboraco* novissimis temporibus anno MDCCXXXIX. d.

XVII. Jan. terræ motus graviores observati sunt. *Bristolio* mense Augusto MDCCXLVII. nuntiabatur, quod in diversis locis Angliæ occidentalis nonnullæ terræ concussions factæ sint. Hoc ipso anno lithanthracum fodinæ prope *Whitehaven* in *Cumberlandia* incendium passæ sunt subterraneum, cum terræ tremore & perpetua bituminum, lignorum, lapidum eructatione coniunctum. Complures terræ motus, diligenter adnotati, legi merentur in celeb. Dn. D. MATERNI de CILANO Dissert. *de terra concussionibus in Anglia observatis.* *Altonæ*, MDCCXLI. nec non in supra laudati MORO libro, in quo complurium novarum terræ formarum, novarum insularum montiumque proventus, earundem etiam e contrario, immo & regionum & tractuum a terra marique deglutionis mentionem facit, hosque præcipue ignium subterraneorum effectus nominat,

### §. XX.

Sed rudera, quæ jam nostris oculis cernimus, non ex novissimis terræ motibus & inundationibus derivanda esse, quilibet videt. Neque iis contradicere lubet, qui primum ruderum istorum principium in diluvio universalis, facto simul terræ motu, ponunt, & eorumdem ovas mutationes particularibus terræ motibus & inundationibus adscribunt. Scissuræ & hiatus terræ oriuntur quidem, simulac terra tantopere concutitur, orta vero inde vacua sensim iterum interdum impletur, nova materia congeritur, in qua rudera postea petræfacta delitescunt. Secula elapsa esse possunt, in quibus terra adeo mutata est, ut istarum mutationum rudera post tantum temporis intervallum demum detegantur, cum ipsarum mutationum scripta documenta, aut ipsi homines, qui talia edere potuerunt, simul periere, aut si quæ adsunt, silentii peplo in archivis aliisque antiquitatum scriniis involuta sunt, ut ad nostram notitiam hucusque non pervenerint.

## §. XXI.

Novissimum autem & solenne exemplum factæ terræ mutationis per inundationem & terræ motum particularem præbent urbes LIMA & COLLAO in regno Americae meridionalis Peruviano sitæ. Hæc enim in novellis legimus:

*Madriti d. XXVII. Jun.*

„ Post terræ motum, qui metropoli Peruvianæ *Lima* anno  
 „ MDCLXXXVII. haud exiguum daramum attulit, domicilia olim  
 „ altius exstructa, jam ex uno tantum tabulato conficiebantur.  
 „ Decem pedes alta erat infima contignatio, parietes e luto, stra-  
 „ mine vel feno mixto, constabant. Superior ædium pars levio-  
 „ res trabes monstrabat, viminibus vel arundine intertextas. Nulla  
 „ la domus recto gaudebat, neque hoc necessarium videbatur,  
 „ quia regio ista pluviarium omnino expers est. Stragulis junceis  
 „ tantummodo domicilia superne cludebant, quæ cineribus con-  
 „ spersa nebularum & roris injurias averterent. Hic ædes con-  
 „ struendi modus in compluribus terræ motibus, quibus *Lima* ab  
 „ anno MDCLXXXVII. obnoxia fuerat, haud exiguum usum  
 „ præstitit. Die XXVIII. Octobris anni MDCCXLVI. circa ho-  
 „ ram XI. vespertinam incolarum aures mugitus & fragores sub-  
 „ terranei implebant, quippe qui in terris Peruvianis communis  
 „ sime terræ motuum prænuntii existunt, & incolis, ut se sua-  
 „ que quantocytas in rus recipiant, consilio sunt. Excipiebant hos  
 „ tremores tantæ & complures validissimæ terræ concussions, ut  
 „ *Lima* urbs, quæ triangulum referebat, cuius minimum latus mil-  
 „ le pedes æquabat, quinque horæ minutarum spatio, exceptis  
 „ viginti domiciliis ruinis plane sepeliretur. Septuaginta & qua-  
 „ tuor templo, Palatia regis vicarii, Audentia regia, Tribunalium  
 „ ædes, Xenodochia, nec non istæ domus, quæ paulo elatius exstruc-  
 „ tæ erant, firmoque nitebantur talo, corrucebant. *Collio*, urbs  
 „ munita, duo milliaria a *Lima* distans, quæ, quia mari adjacebat

„ me-

„ metropoli Peruvianæ egregium portum subministrabat, similia  
 „ & tristiora fata experiebatur. Eodem tempore, quo ingruebat  
 „ terræ concusso, mare per haud exiguum spatum consueta lit-  
 „ tora linquebat, refluxebat autem post horulæ spatum, tantoque  
 „ redibat impetu, ut *Collao* uvidis undis plane tegeretur. Omnes  
 „ hujus urbis cives, quinque mille numero, aquis submersi jace-  
 „ bant, quod fatum etiam nonnullos *Lima* incolas, quos lecuros  
 „ marini fluctus accelerato maris refluxu obruebant, manebat.  
 „ Tredecim naves, quas antea portus tenebat, bulliens mare de-  
 „ vorabat, quatuor autem vis fera ventorum ad unius milliaris  
 „ spatium in campum projectit. Atrocissimi maris motus, prius-  
 „ quam pristina repetebat littora, tanta factæ inundationis rudera  
 „ post se relinquebat, ut præ saxis, arenis, & lignis vix vestigia in-  
 „ felicissimæ urbis *Collao* cognoscenda fuerint. Huc usque  
 „ MDXXXXII. corpora humana e ruinis urbis *Lima* protracta  
 „ sunt. Jam omnem movent lapidem, ut divites thesauros, quos  
 „ *Lima* olim custodiebat, jam autem terræ hiatus tenent, recupe-  
 „ rare queant.

### §. XXII.

Horridos effectus, ex orbe novo ad nos delata historia narrat. Jam cum ipsa relatio doceat, ruinas urbis *Collao* jam jam saxis, gla-  
 reisque, lignisque obrutas esse, porro in singulari hac historia ter-  
 ræ concusso & diluvium simul exstiterint, hinc effectus sperandi  
 sunt §. III. & IV. nominati, ex caussis, §. VI. X. & XIII. adductis, de-  
 rivandi; sequitur utique, particulares terra motus & diluvia ru-  
 dera præbere posse, qua forsan pro diluvii vel terra motus univer-  
 salis testibus haberi queant.

Hispani cum olim Peruvianum regnum sibi subjectum redderent, inter  
 alia legum, chronologiarum & historiarum vestigia, apud incolas inventa et  
 iam, licet obscurissimas, facti olim diluvii universalis narrationes audi-  
 vere. Hinc mutationes, ab hisce particularibus motibus inductæ, omni-  
 no posteris a ruderibus diluvii universalis discernendæ sunt.

### §. XXIII.

Possibile autem videtur ab istis motibus novas fissuras caver-  
 nasque subterraneas ortas esse. Observanda esse videntur plura  
 harum mutationum rudera, veluti rupes præcipue in confiniis ju-  
 gi *Andes* \*) disruptas, altaque saxa in valles, *Sierras* \*\*) nuncu-  
 patas, dejecta, vastosque terræ hiatus, novosque ductus, quos

aquaæ horrido sonu perstrepunt. Possibile videtur, auri argentei que fodinas vicinas non minus concussas esse, forsan olim metallicolæ in intimis terræ visceribus reliquias piscium petræfactas invenient, & has quidem auro argentove divites, quemadmodum nos piscium nitidissimas imagines cupro vel pyrite abundantes e schisto Mansfeldensi effodimus. Forsan herbæ in isto solo nascentes, radices sarsaparillæ, ligna corticesque chinæ, in substantiam lapideam abibunt. Forsan fructus Cacao lapidei olim legentur. Forsan in intima terræ profluis balsamus Peruvianus, in massam abibit succino vel asphalto æmulam, & a sanguine Draconis, quem ista etiam terra fert, discernendam. Hæc forsan e submeritis urbium emporiis eruentur. Conchas porro marinas, cochleas, testudines, corallia petræfacta in posterum ibidem inventi verosimillimum videtur, cum ista & conchylia eluvie in terram, factosque, e telluris tremore, hiatus deducta sint.

*Ex aliis alias reparat natura figuras.*

*Nec perit in tanto quicquam, mihi credite, mundo,  
Sed variat faciemque novat, nascique vocatur  
Incipere esse aliud quam quod fuit ante: morique,  
Desinere illud idem, quum sint huc forsitan illa,  
Hæc translata illuc.* OVIDIVS.

\*) HÜBNER. Geogr. P. II. pag. 762. \*\*) ibid.

#### §. XXIV.

Sed desino specialissima ista, possibilia particularium terræ mutationum rudera enumerare, ne, de futuris & occultis judicaturus, probabilitatis gradus transilire, & contradictionem inuoluentia scripsisse videar. Similis autem mihi videor Astronomis, qui teluris nostræ planetam intuentes, Astronomiam comparativam instituunt, phænomenaque in terra nostra observabilia certo modo ad reliquos Systematis nostri mundani planetas adplicant. Statum etiam & phænomena terræ nostræ describunt, quomodo possibili observatori in Jove, vel Saturno, vel Venere videantur. Adfirmari autem & e casibus similibus facile concludi videtur, post multorum annorum decursum curiosos naturæ Peruvianos vel Hispanos in confiniis Lima & Collao rudera invenire posse diluvii hujus particularis & terræ motus testes: sed cum præsertim petræfieri corpora uno die nequeant;

*mancat nostros ea cura nepotes.*

VIRGILIUS.

MER-

MERCVRII  
SOPHICI DELARVATI

ex

PHILAETHAE

Introitu aperto

ad ocelusum Regis Palatum  
in conspectum Chymiarorum prodientis ,

five

COMMENTARII

decem prima obscurissima illius Auctoris  
capita

*de Mercurii sophici præparatione ,  
perspicue per ignem dilucidantis*

Liber II.

A V C T O R E

J. H. C. H. S. M. D.

# Opusculi Protophysici

## LIBER II.

### PRAEFATIO.

**P**oste aquam ingeniosissimus PHILALETHA primis duobus Introitus aperti Capitibus de principiorum Mercurii sophici natura & numero discursum præmiserat, mox ad singula capita, tertium & quartum, elucidanda descendit, & quidem sub illa ut vetustissima, sic elegantissima *Chalybis* & *Magnetis* parabola. Nam quemadmodum Natura apud *Aegidium de VADIS*, Cap. 6. ait, artis filium alloquens: *Scias fili, quod attractio ferri a Magne propalat atque manifestat sapientibus majorem partem seicetorum meorum;* ita tam antiquiores, quam recentiores Philosophi chalybis & magnetis stupendo magnetismo usi sunt ad detegendam seu potius obvelandam Mercurii sui scientiam. Ubi saltem hoc clare dilucescit, sicuti ad exercendum magnetisni astum nil præter lapidem magnetem & ferrum occurrit: sic in compositione sapientum mercurii nil præter agens & patiens, masculum & fœmellam, mercurium & sulphur, sive, ut sine fuco dicam, nil præter aquam & terram, rerum omnium primordia & principia, est obvium, ut, licet PHILALETHA prius tria quodammodo principia intentionalia posuerit, hic & imposterum ubique duo duntaxat realia statuat. Eleganter itaque ex antiquis Author *Conjugii Solis & Luna Lib. I.* Est res, inquit, illa consequens succum suum, sicut magnes ferrum, quoniam sicuti propinquitas est magnetis cum ferro, sic consimilis est aqua cum terra; quod & confirmat in *Turba BELVS Philosophus*, afferens, majorem propinquitatem esse inter æs & aquam, quam inter magnetem & ferrum,

rum, jubetque posteros coquere argentum vivum, quod est vis  
masculi cum corpore, donec liquefiat, ut aqua fluxibilis. Ex me-  
diæ ætatis Philosophis merito in scenam produco expertissimum:  
Fr. BASILIVM VALENTINVM, qui Clave quinta ait: *Quemad-  
modum ferrum suum habet magnetem, qui id mirifico & invisi-  
bile amore atticit; ita & nostrum aurum quoque magnetem habet,  
qui magnes est prima materia magni lapidis.* Miretur nunc, qui  
volet, ferreos PLATONIS annulos a vero lapide indomiti Her-  
culis suspensos: Stupere magis liceat, dari lapidem, qui *auream*  
*illam HOMERI catenam* suspendat. Ex recentioribus nemo ma-  
gis hac parabola lusit, quam SENDIVOGIVS, eosque sane delu-  
xit, qui per Chalybem re vera Martem, seu ferrum, per magne-  
tem antimonii magnetiam, sicque ex utroque reguli stellati com-  
positionem sensu litterali sibi imaginantur. Secutus hunc est pro-  
xime PHILALETHA noster, qui non aptiorem de subjectis phi-  
losophicis argute differendi materiam, quam hanc inveniens, ea  
exseruit ingenii acumina, quæ merito mireris. Etsi enim mate-  
riæ primæ seu secundæ philosophicæ denominationes ac descrip-  
tiones sint innumeræ, a rebus mundi fere omnibus, vel propter  
similitudinem causarum, vel æqualitatem accidentium, vel identi-  
tatem proprietatum, vel qualemcunque effectuum & actionum  
conformatatem desumptæ, nil tamen ita explicat occultum aquæ  
& terræ philosophicæ attractum, connubium & conjunctionem  
tandem invisibilem, quam ferri lapidisque Herculei magnetismus,  
utpote quæ similis naturæ ac radicis sunt, ac pororum effluvio-  
rumque textura præ omnibus aliis mundi subjectis ita intime con-  
veniunt, ut potius effectum stupescas, quam causam explices. Nun-  
quid enim necesse est, quod magnus sit amor, & incredibilis attra-  
ctio inter res duas realiter diversas ac qualitatibus primis ac se-  
cundis pugnantes, quæ in unum tamen homogeneum insepara-  
bile æterno nexu coalescunt. An poterat ergo aptiori parabola,  
quam

quam magnetis & chalybis, quorum actio notissima est, sympathia ista sophica occultissima indicari? meo equidem judicio non poterat. Quare nunc methodo mea in libro priori ultiata PHILALETHAE textum prosequar & obscurissimos ejus conceptus, hactenus vix a quopiam intellectos, a nemine saltem detectos, in gratiam Protophysicæ studiosorum aperiam. Faveat cœlum co-natibus.

## CAPVT I.

### *De Chalybe Sophorum.*

**C**halybs & magnes corpora sunt solida & sicca. Horum itaque analogiis dum scriptor noster utitur, res siccas quoque & aridas ita subtiliter atque versute in scenam videtur ducere, easque tam exacte docet suas ludere personas, ut incautior non allegoricam Mercurii sophici personationem in theatro dari, sed apertissimam martis magnesiæque saturninæ ex iisque prognati reguli historiam ad oculum præsentari crederet. Ita callide & occulite se insinuant omnia, ut mox videbimus. Opto itaque cuiuscunque hæc legenti & spiritum discretionis & sal sapientiæ, ut illo Sophorum magnetem, spiritum revera subtilissimum, hoc Chalybem, sal certe mirabile, agnoscat. PHILALETHA sic incipit:

*Sapientes Magi multa de Chalybe suo posteris tradiderunt, neque leve momentum ei attribuerunt. Quare inter Alchymistarum vulgus non leve est certamen, quidnam Chalybis nomine sit intelligendum. Hujus variam interpretationem varii dederunt. Candide de hoc author novi luminis, at obscure scripsit. Ego ut*

*ut nil artis inquisitoribus ex invidia celerem, sincere describam.*

Ex jam allatis in Præfatione sufficienter hæc Sapientum de Chalybe traditio innotescit. Qui sint circa hanc Alchymistarum errorēs, ex totius hujus libelli contextu patebit. Arguit vero etiam COSMOPOLITAM obscuritatis, sinceriorem promittens descriptionem, de qua tamen merito dubites. SENDIVOGI certe stylus longe planior clariorque est, PHILALETHAE acutior, ingeniosior, intricatior, ita ut subtilissimis gryphis involuta ejus descriptio a nemine facile, nisi qui materias aliunde præcognoverit, possit intelligi. Non enim illarum naturam & specificam quidditatem explicat, sed nitidis tantum ornat elogiis, & nonnulla phænomena, in earum ortu animadvertenda, sapientiae studiosis, vel potius ipsis Adeptis insinuat, ut eum ab omni invidia absolvere vix possumus. Ipse textus dabat veritatem.

*Chalybs noster est operis nostri vera clavis, sine qua ignis lampadis nulla arte potest accendi.*

Ubi nunc jactata illa est sinceritas? Generalia illa sunt. Et vel artis tyrones neverunt, spiritum, sive aquam mercurialem, de qua hoc Capite differit, requisitum primarium esse, sine quo in opere nihil efficiatur. Excussis ex chalybe scintillis ignem lampadis accendi, etiam vetulis notum est; sed quomodo hoc in Philosophia locum habeat, solius Oedipi est explicare. Qui lampadis philosophicæ ignem novit, ejusque regimen, magni secreti est Dominus, cuius cognitione facile præstantur omnia, & hic ille ignis est, de quo sequens narratur historiola. Cum aliquando Philosophorum turba convenisset, & de magno opere ex consueto disceptarent, & quid de eo quisque cognovisset, edicerent,

post varias agiratas quæstiones totius conventus interrogatus na-  
tu minimus, quid de eo novisset mysterio, respondit, se ejus  
ignem & regimen intelligere; quo audito assurrexerunt omnes,  
eique primarium confessus locum concederunt, tanquam totius  
secreti Domino. Tantum refert novisse ignem lampadis sophi-  
æ, cuius itaque hic est sensus. Quemadmodum oleum aut pin-  
guedo in lampade est ignis pabulum, sine quo nulla arte accendi  
potest lampas: ita humidum mercuriale, quod chalybem vocat,  
substantia oleosa est, seu aqua sulphurea (quod alias dicitur *spi-  
rituale sulphuris semen*), a qua Philosophorum ignis, non qui-  
dem ille exterior, sed interior, accenditur, id est, qua mediante,  
ceu operis chalybe alterius subjecti philosophici insiti igniculi  
fuscidantur, exaltantur & augentur, ut tandem in actum ignis qua-  
si infernalis deducantur, & vel ipsum auri ignem, qui denso sub-  
cortice hebescit, excitet & in apertum producat, siquidem ut  
PHILAETHA dicit:

*Est auri minera, spiritus præ cunctis valde  
purus, est ignis infernalis secretus, in suo  
genere summe volatilis, mundi miraculum,  
virtutum superiorum & in inferioribus sy-  
stema.*

Elegantia hæc sunt attributa chalybis sophici, scrutinio  
digna.

Dicitur 1. *Auri minera*, intellige proxima philosophici, re-  
mota autem vulgaris. Illud nempe ex hoc chalybe oritur, &  
quia verus est Philosophorum magnes & genuina magnesia, ab  
hoc attrahitur, imo penitus in ejus naturam convertitur.

Revocato eodem redit Magnesia, sive terra magnetica, novo  
spiritui seu chalybi attrahendo apta, idque vicibus, quoties velis,  
repetitis, & non dubito, quin innumeris; habet enim se instar  
spon-

spongiae, quae, quoties lubet, suscipere & exprimere potest aquam. Et hæc ex propria scribo experientia, quia magnetem non semel converti in chalybem, & ex chalybe postliminio magnetem reduxi.

Dicitur 2. *Spiritus præ cunctis valde purus*, scilicet in sua natura & primo ortu, quia tamen in sua puritate, nuditate ac simplicitate diu nescit subsistere, sulphur quoddam arripit, sub quo in formam transit coagulatam, per quam tamen operi penitus redditur ineptus, nisi rursus per artem ab eo liberetur, sique pristinæ suæ puritati restituatur, ut sulphuri longe perfectiori suscipiendo fiat habilis. Eleganti hoc parabola PHILALETHA Cap. XI. sic describit: *In Saturni prote hoc est spiritus ille originalis de quo nunc sermo) sulphur nullum actuale, at solum potentiale inveniunt (quia totus est purus & virgineus) quare cum sulphure arsenicali comburente fædus init, & sine hoc stultescens subsistere neguit in forma coagulata, (nempe quia totus est spiritus, sulphur quoddam combustibile apprehendit) & tamen ita stupida est, quod cum hoc hoste, a quo arctissime incarceratur, habitare malit, scortationemque committere, quam renunciare huic, & sub forma mercuriali comparere.* Est igitur meretrix illa philosophica, quam pristinæ virginitati volunt restituendam, ut numero possit primo masculo, ex eoque activum sulphur primo enti metallico propinquius suscipere, & in suo ventre absorbere & abscondere.

Dicitur 3. *ignis infernalis*, tum ob foetorem, tum ob fervorem summe intensem, quo omnia comburit, & suum socium, masculum, sive magnetem in atomos discerpit, aurumque ipsum incombustibile redigit quasi in favillas; unde de eo RIPLAEVS Port. 3. *Ignis contra naturam debet excruciare corpora, ipse est Draco, quemadmodum tibi dico, violenter comburens, ut ignis inferni.*

Dicitur 4. *secretus.* Etsi enim hic spiritus plurium, imo, ut alii volunt, omnium oculis obversetur, occultus tamen manet, neque ab ipsis artificibus ob vestem, sulphur nempe arsenicale, quo larvatur, agnoscitur. Illustrat hoc egregio simili SENDIVO-GIVS, in *Epilogo*, seu *conclusione duodecim Tractatum*, quod ibi videatur. Deus sibi reservavit, ut inquit, naturam hujus spiritus regendam & detegendam.

Dicitur 5. *in suo genere summe volatilis.* Est enim post suam depurationem omnibus mundi spiritibus subtilior, imo est vere materia mundi subtilissima, maximæ virtutis elasticæ, ut, si in vase philosophico non habeat diffusionis suæ naturale spatum, urgente Vulcano vitrum in mille frusta disruptum, fugamque capessat, ut mecum plures suo damno & cum vitæ fere periculo sunt experti. Conferatur recentior Auctor *Scale Philosophorum*. Causa volatilitatis est, quia est aër congelatus, qui in se continet igneam siccitatem, quæ est receptaculum illius lucis primævæ creatæ, quæ verum purum naturæ est, & verus universalis mundi spiritus, nondum ad certam speciem mixtorum infimorum contractus. Non potuerunt proin Philosophi sat subtilia invenire nomina, quibus spiritus hujus summe volatilis naturam designarent, unde quidam aërem, quidam ignem, quidam vaporem incorporalissimum (*Gas HELMONTIVS vocat*) appellarunt. Spiritus autem verus est, quia potentiam habet resolvendi corpus in vaporem, quare, nisi tempus & hora ejus nativitatis exacte observetur, ut jungatur anima, mox evolat ab igne & secum corpus volatu abducit, sive operantem a proposito vacuum relinquit, ut frustra expectet, quod jam venit, & jam recessit, & nunquam est redditum, ut toties totiesque sinceriores monent Philosophi.

Dicitur tandem mundi *miraculum*, & *virtutum superiorum in inferioribus systema.* Continet enim quatuor elementa, siquidem in eo, ut senior ZADITH inquit, est aqua calida, & aëris quietus,

*tus, & terra liquefaciens, & ignis circumdans.* Continet solis lunaeque & planetarum omnium terrestrium virtutes, ut merito dici possit debeatque mundi miraculum. Patet igitur, quam male illa praedicata, clavis, sine qua ignis lampadis nulla arte potest accendi, spiritus pre cunctis valde purus, ignis infernalis, mundi miraculum, ad Martem fuerint applicata a BECHERO in Supplemento II. §. 6.

*Quare signo illum notabili notavit Omnipotens, cuius nativitas per orientem in horizonte hæmisphærii philosophici annunciatur.*

Non posset Sphinx ipsa excogitare subtilius ænigma, licet Chymistarum vulgo nil clarus videatur. Etenim signum illud notabile nil aliud esse sibi imaginatur, quam stellam in Reguli martialis dextre parati horizonte conspicuam, qua comparente jam Orientem philosophicum se spectare penitus sibi persuadent. Ita error trahit errorem. Qui stellam in Regulo pro signo Omnipotentis habent, mirum quantum hallucinantur. Nemo eam novit, nisi qui vidit. Habet enim fulgorem Solis orientis, dum nascitur in horizonte hæmisphærii, quod transeundum non est. Medium enim duntaxat mercurii substantiam, LVLLIVS, GEBER aliique exigunt, in cuius nativitate seu eductione signum illud notatur, quod Omnipotentis est, quippe lux est inaccessibilis, & ignis consumens, qui in Sole constituit tabernaculum, sic & nota est characteristica sophici chalybis, qui solaris igneusque plane est spiritus & Solis ignisque gestat sigillum. Author *Minera philosophicae* Adeptorum albo insertus, eleganter eo reflectit, dum scribit: *Sol noster albus & nitidus oritur in horizonte hæmisphærii philosophici: in aurora vero ipsius caute procedatis, ne nubibus nimis plus vialibus abluatur.* Aurora enim ipsius in principio sue nativitatis supra mare rubrum appetet. Signum igitur illud Mercurii so-

phici nascentis phænomenon est, quod in sphæra ejus media apparet. Facienda autem est distinctio inter hoc ipsum signum, quo notatur spiritus sophicus oriens, & sigillum ipsi Sophorum magneti impressum Stolidum sane est, stellam Reguli antimonia- lis, quæ saltem hujus puritatis est criterium, reputare pro signo Omnipotentis. Hæc duntaxat evenit, si Regulum constituentia enchiresi debita reddita sint purissima. Figurastelliformis Reguli, seu striata constitutio, non in ipsa tantum superficie, sed etiam per totum ejus latifundium striis ex ejus ambitu ad centrum usque coëuntibus, deprehenditur, & in Regulo etiam simplici, nullatenus martiali, extra artificium sat prompte emergit, ut verum hinc sit D. STAHLII effatum: *E quolibet antimonio, quolibet ferro, omni tempore ac tempestate, diu noctuque, stellam hanc educi posse certum est.* Quis ergo genius ex jussu Omnipotentis cum stella signat? Quis ita demens est, ut credat, stellam, ex concursu causarum mere naturalium ortam, esse dextræ divinæ signaculum? apage nugas & phantasiae ludibria!

*Viderunt sapientes in ævo Magi, & obstupuerunt, statimque agnoverunt Regem serenissimum in mundo natum.*

Fuissent profecto sapientes in ævo Magi stupidi, si ad conspectum stellæ regulinæ obstupuissent; fuissent stupidissimi, si, eadem orta, putarint jam Regem serenissimum in mundo natum. Neque ipse PHILALETHA, si hæc pro vero sensu philosophico obtrusisset, a stupiditate & dolo esset absolvendus. Si stella Reguli jam nati Regis est indicium, jam gaudendi causam habent Amstelodami Laborantium sic dictorum vulgus, qui tales facile parant, & venalem quoque possident. Habent Regem domi natum, qui eos immensis thesauris poterit ditare, ut aliquando Iudæos venturus Messias. Res risu certe digna. Habet quidem etiam in ortu Sol fulgorem: etiam Regi nascenti sua est Majestas;

etiam

etiam mercurio sophico orienti suus est ab ipsa Solis luce & igne,  
de quo mox plura dicemus, impressus character.

*Tu cum ejus astra conspexeris, sequere adi-  
que cunabula, ubi videbis infantem pulchrum,  
sordes semovendo regium puellum honorat, ga-  
zam aperi, auri donum offeras, sic tandem  
post mortem carnem sanguinemque dabit,  
summam in tribus terræ Monarchiis medi-  
cinam.*

Hic prævie dissimulandum non est, PHILALETHAM in hac allegoria ad mysterium nati Salvatoris, a Magis indice stella reperiti, & dono auri quoque adorati, allusisse. Qui mos summe vittuperandus in Philosophis, qui, mere physica pertractantes, rerum cœlestium ac divinarum similitudine usi sunt. Si opus Sophiæ pro typo & speculo mysteriorum hyperphysicorum ponatur, ut Frater BASILIVS VALENTINVS Hydrolithum sapientum, FABER Montpeliensis pluresque alii non inscite fecerunt, transeat absque censura. Alius processus Sophorum lapidis, qui horum mysteriorum respectu vel omni bulla inanior est, satis inepte immo sacrilege a nonnullis Philosophis in comparationem adductus est.

Notum est, in antimonio cum marte artificiose fuso stellam apparere superius, subitus autem ad fundum subsidere elegantem Regulum, qui ab omnibus scoriis separandus, quod docet experientia; sed quod cum auro rursus liquatus hominum metallorumque sit medicina, inanis est Sophistarum speculatio. Concesserim tali Regulo aurificato & ad rubedinem fixo, inesse vim egregiam medicam, sicuti & BASILIVS VALENTINVS in *Repetitione Lapid.* Phil. scribit, ex antimonio & marte parari mirabilem stellam, quæ cum frigido sale terræ aliquoties fusa citrini evadat coloris

loris, igneæ proprietatis & stupendæ operationis, sed eum in triplicem terræ Monarchiam exercere potestatem, veritati repugnat. Ut igitur PHILALETHAM a falsitate absolvam, genuinum dabo sēnsum philosophicum.

Principiis sophicis initiatus novit, spiritum Philosophorum summe volatilem merito *astrum* appellari, utpote cuius ortus ex Sole est. Novit in ejus cunabulis spectari infantem pulchrum, id est eximium quendam salem, in quo ipse Sol hunc suum filium spiritualem, elementorum fasciis ligatum & heterogeneis involutum tunicis, depositus. Novit proin & sordes has esse removendas, ut & spiritus habeatur valde purus, & terra lucida purissima, quæ merito *Sophorum Regius* dicitur *puellus*, cui tandem adulto offerenda est auri Gaza, id est sulphur aureum, quod post sui mortificationem ac resuscitationem physicam plane evadit sanguineum, imo instar sanguinis congelati, præ Tincturæ exuberantia, fere ad nigredinem vergens, in tribus naturæ regnis maxima & catholica medicina.

PHILALETHA autem vult sordes Regio puello abstergendas, nempe non tam levi brachio, uti pueris nostris, infanti philosophico, abluuntur. Ejus cunas Augiæ stabulum dixeris, cui purgando solus suffecit Hercules. Unde & hoc opus *Herculeum* dicitur. Quantus in demandis fecibus, in tollendis superfluis artifici incumbat labor, clamant Philosophi, experiuntur Artistæ. Hac enim mundatione nisi honoretur, renuit acceptare auri donum. Neque corpus induit, aut aurea chlamyde, neque in Monarcham excrescit. Et hæc de chalybe sophico PHILALETHÆ genuina est sententia.

Hæc igitur sufficiunt artis filii. Sophistis libenter permittimus, ut Martem pro chalybe sophico, antimonii stellam pro signo Omnipotentis, & ejus Regulum pro Rege serenissimo in mundum nato, (nam & dudum eum hieroglyphico coronæ signo Chymici

mici notarunt,) tripudiantes habeant, ad ejus astra obstupescant & incunabula prosequantur. In fine tamen loco infantis Regii nil nisi stercoreas sordes & laborum suorum dispendia invenient.

## COROLLARIV.M.

### *De Chalybe Cosmopolitæ sive Sendivogii.*

**Q**uia inter parabolicum PHILALETHAE & SENDIVOGII Chalybem magna est differentia, saltem quoad modum loquendi, necesse est, ne artis studiosi confundantur, eam detegere. PHILALETHA ordine inverso spiritum seu aquam Philosophorum chalybem appellat, qui tamen juxta alios Philosophos Magnes est. Unde in parabola COMES TREVISANVS ait: *Præter euntem Regem fons semper ad se trahit, & a Rege non trahitur.* Et paulo post: *Mirum in modum viciissim se amant; fons Regem attrahit, & non Rex fontem.* Rationem reddit: *Nam fons Regi veluti mater est.* PHILALETHAE itaque chalybs, qui spiritus Philosophorum est, & naturæ fœmineæ actionem re vera exercet magneticam, attrahendo secum masculum, qui aliorum Adeptorum chalybs est, & vice versa PHILALETHAE magnes. Ita argute nedum subdole agere videri posset, nisi & plures alii Philosophi, ut patet in eorum libris diligenter versato, spiritum nomine *masculi & chalybis*, terram vero nomine *fœmelia & magnetis* compellassent.

Chalybs igitur & Magnes apud hos termini sunt æquivoci & convertibles, & alterum altero indicatur. Unde SENDIVOGIVS in Epilogo duodecim tractatum: *Magnes est noster, quem in precedentibus chalybem esse dixi.* Ratio appellationis est, quia in coagulatione sal, sive terra, instar magnetis spiritum suum trahit, a quo prius in solutione magnetice fuerat attractus. Et sicuti hodie inter Physicos lis est, num magnes trahat chalybem, an chalybs ad magne-

tem motu proprio se conferat , aut etiam vi quadam pellatur : sic Ortho - Chymici dubitant , cujus ex geminis principiis vis sit potentior , num solventis , num coagulantis , quorum utrumque quodam quasi magnetismo agere videtur . Accedit , quod chalybs & magnes Sophorum sibi sunt concausæ , unde tam heteroclitæ & prima quidem fronte absurdâ nata sunt ænigmata ; nam licet , juxta BERNARDVM *Trevistarum* , Rex sit ex fonte , qui *tallem* , ut est , efficerit ; juxta PHILAETHAM tamen magnes est ex chalybe , id est , si Comitis parabola uti velis , fons est ex Rege . Quod in doctrina BERNARDI paradoxum est , in Recentiorum libris dogma est classicum . Pro hoc vero nota : TREVISANVS de opere artis loquitur , in quo ex fonte , qui ipsi magnes , Rex , id est chalybs , est natus . PHILAETHA autem de operatione Naturæ , in qua e contrario ex magnetæ , scilicet corpore , generatur chalybs , sive spiritus . Ita juxta SENDIVOGIVM aër est magnes , quem quoque appellat chalybem . *Aër autem generat magnetem , magnes vero generat aërem* id est chalybem , quæ omnia sano sensu sunt vera .

Hæc ut clarius intelligas , rimare Fr . BASILII VALENTINI ænigma , si quod aliud elegans , de prima materia lapidis Philosophorum , in quo totum intimatur mysterium . Ex lapide nempe albo & rubeo (chalybe Sophorum) extrahitur ignis volatilis , seu fons , qui fixum suum patrem , unde est editus , submergit , & absorbet , & tamen spiritus iste , seu fons volatilis , vicissim mater est sui patris , ita ut magnes ex chalybe , & chalybs ex magnetæ diverso respectu sit oriundus . Nempe duo hæc procedunt ex uno , sunt unum , & fiunt duo , & ex dualitate redeunt in unitatem . Aenigma hoc aliquando in tales versus redigi :

Est lapis haud carus , de quo extrahis arte fugacem  
ignem , ex quo factus lapis ipse , alboque rubroque  
compositus . Lapis est tamen haud lapis . Unice in illo  
Natura est operans , ut limpidus inde fluat fons ,

Qui fixum patrem cum vita & corpore mergit  
Absorbetque, animæ vis donec redditur illi,  
inque suo genetrix est facta volatilis illi  
Aequalis regno. Majores corpore vires  
Ille quidem obtinuit. Gnatusque ætate volantem  
Exsuperat matrem propriam prius igne paratam.  
Spiritus est genitor patris, constantque duobus  
Spiritus atque anima & corpus, queis perficitur res  
tota. Venit tantum re ex una, res quoque tantum est  
unica. Prudenter fixum atque volatile jungas.  
Sunt tria, sunt duo, sed sunt crede attamen unum.  
Balneo aquæ imponas Adam, sibi continet in quo  
Persimilem Venus. Antiquus Draco quodque paravit  
Quando suas vires amisit, quando vigorem.  
Philosophus dicit: Nihil hoc est, quam duplicatus  
Mercurius. Non plura tibi nunc profero. Dictum est.  
Qui capit, hic certe felix est. Quærere in illo  
Nunquam cessabis. Sic exitus æta probabit.

Rex igitur ex fonte est, juxta BERNARDVM *Trevisanum*,  
Pater ex spiritu editus, juxta BASILIVM VALENTINVM. Ex  
ære procedit magnes, qui produxit chalybem, juxta SENDIVO-  
GIVM, & magnes est chalybis vera minera, juxta PHILALE-  
THAM. Ita omnes conveniunt in uno, qui est bifidus non litte-  
ra, sed sensu. Utrumque igitur mercurii sophici principium  
certo respectu & magnes dicitur, & chalybs. Quod sic intellige:  
Primo spiritus mercurialis attrahit terram philosophicam magne-  
tice in solutione physica, & sal extrahit, quod solvit & in  
aquam sibi homogeneam transmutat, & sic PHILALETHÆ cha-  
lybs re vera est in operatione magnes. Solutione autem peracta  
rota vertitur, & sal solutum spiritum mercurii vicissim attrahit, &  
in ventre proprio occultat per veram unionem & coagulationem,

& sic quoque virtutem exercet magneticam. Qua quidem mutua utriusque principii actione & conversione virtus magnetica non perit, sed in immensum augetur. Utrumque enim coalescit in magnum illum Philosophorum magnetem, in aquam ponticam acerrimam, quæ ex auro facit merum spiritum, in mercurium inquam Philosophorum duplicatum, qui auri animam sive semen attrahit, exaltat, & in supremo virtutis gradu multiplicat. Et tamen adhuc hic ipse Philosophorum mercurialis magnes a SENDIVOGIO chalybs appellatur, de quo sic loquitur Tract. 9. *Unum datur metallum (humidum radicale unctuosum metallicum intelligit,) quod habet potentiam alia consumendi. Est enim vere ut aqua eorum, & fere mater. Unica tantum res, humidum radicale Solis videlicet & luna, resistit ei, & melioratur per illud, sed ut detegam, Chalybs vocatur. Si undecies coit aurum, cum eo emittit suum semen. Et debilitatur fere ad mortem usque. Concipit chalybs, & concipit filium patre clariorum; postea cum semen jam nati componitur in suam matricem, purgat illam, & facit millesies aptiorem ad pariendum optimos fructus.* Qua quidem periphrasi auri conjunctionem & perfectionem cum mercurio sophico indicat, cuius praxis Epist. 37. satis aperte docet, ut mirari subeat ignorantiam GLAVBERI, qui *Pharmacia Spag. Part. VI. Cap. 17.* humidum hoc radicale, aurum perficiens, scribit esse peculiarem quandam antimonii Regulum, e chalybe proba confectum, qui haec gaudeat inde, ut si quando silex illi alludatur, scintillæ igneæ inde diffultent, haud secus atque ab indurato chalybe, quem & ideo a COSMOPOLITA putat chalybem esse appellatum. Qui enormis Glauberi error hic silentio non fuit prætereundus.

Re vera Mars infaustum sidus est omnibus Philosophiæ arcana indagantibus. Aries quidem domus Martis est, in qua Sol exaltatur, unde & in domo arietis (per quam nonnulli satis stolidi ani-

animalis hujus stabulum intelligunt, in cuius simo chalybem quaerunt sophicum,) seu sub ejus signo, optimam chalybis Hermetici mineram reperiri volunt. Absit tamen ut haec ad litteram de chalybe metallico imprudenter intelligamus. Quemadmodum enim magnetis vocabulum in Philosophia adepta terminus pure est allegoricus, ita & chalybis, quod ex sequenti Capite magis dilucescet.

## CAPVT II.

*Quod Introitus PHILALETHAE aperti quartum est.*

### *De Magnete Sophorum.*

**E**t si PHILALETHA ad tyronum captum multo clarius scripsisset, si aliorum Philosophorum more per Sophorum magnetem eorum spiritum seu aquam indigitasset, & per chalybem sal ipsum sive terram philosophicam; attamen cum quilibet sit interpres suorum verborum, ac suæ Theoriæ dominus, in malam partem illi imputari non potest, quod ad Sophistas confundendos, iisque obtegendum artis arcanum, stylo penitus inverso principii mercurialis naturam descripserit, sub cujus sciographia tales tenuit subtilitates, ut ne ingeniosissimus quidem eas intelligat, nisi magnetem PHILALETHÆ præcognoverit. Pro hujus itaque explicatione ea afferam, quæ ante me nullus. Præmittam autem magnetis sophici & vulgaris parallelismum, ut pateat quam apte hac denominatione tam veteres, quam neoterici Sophi mercurii sui indolem insinuarint.

Lapis magnes *tres* habet motus sui differentias, quas Sophorum magnes in sua operatione perfecte imitatur. *Primus motus* magnetis est, quo secundum certas corporis sui fibras, ex polo in polum exorrectas coagmentatasque, vim suam magneticam velut in longitudinem quandam propagat. Magnes sophicus strias possidet longissimas, & fibras quandoque corporis in longi-

tudinem instar filorum extendit, ut per similitudinem *sal. petrae Philosophorum* audiat, quæ appellatio denuo inumeros duxit in errorem. Alter motus magnetis est radiationis, quo diffusis ex utroque polo radiis potentem activitatis sphæram obtinet longe præpotentem, intra quam chalybem sophicum locatum movet, attrahit, solvit, fundit & perfectissime sibi unit, naturamque suam magneticam communicat. Tertius motus dispositionis est, quo se se ad telluris axem, tanquam ad principium sui conservativum, situat, ut si quandoque hunc extra situm violenter raptus fuerit, circulari motu ad eum reversus se accommodet, ibique tanquam loco naturæ maxime consentaneo requiescat. Magnetis sophici perpetuo quoque ad suam terram est conversio, a qua licet violentia quadam in sublimatione philosophica abstrahatur, motu tamen circulari ad eam reddit, unde RIPLAEVS Port. 9. scribit: *Sicut magnes, ut tu vides, ad se trahit ferrum, sic nostra terra per naturam trahit deorsum animam suam a se elevatam cum vento.* Et in terra tandem quiescit, & fixationem invenit, ut, teste HERMETE *vis ejus integra sit, si versus fuerit in terram.* Sapienter itaque & sincere concludit Fr. BASILIVS VALENTINVS his verbis, quæ cum Philalethina doctrinæ fundamento exacte quoque consentiunt: *Sal metallorum est corpus imperfectum, quod fit mercurius Philosophorum, seu aqua permanens, vel benedicta.* Et est *Magnes sapientum, qui amat Martem philosophicum, illi adharet, & cum eo manet, ita & nostrum aurum magnetem habet, qui magnes est prima radix & materia nostri lapidis.* Si hunc meum sermonem intelligis, coram toto mundo dives es. *Sal metallorum, inquit, est magnes sapientum, quod idem est, quod hoc capite obscurissime PHILAETHA docet, ut nunc videbimus.*

*Quemadmodum chalybs ad magnetem trahi-  
tur,*

*tur, magnesque sponte se ad chalybem convertit, sic & magnes Sophorum trahit illorum chalybem.*

Hæc satis patent ex dictis: Oriri tamen non leve potest dubium lynceis oculis omnia rimanti, quomodo magnes Philalethinus, qui tamen pars compositi philosophici passiva est, dici possit trahere ejus chalybem, qui spiritus summe volatilis & actius & primum mobile & agens in arte, cui potius trahendi potentia, juxta dogma Sophorum, debetur. Respondeo, etiam sal metallorum (quo quidem vocabulo ad ductum Fr. BASILII VALENTINI magnes sophicus denominari potest) eminenter exercere vim magneticam, utpote a quo sola chalybs, seu spiritus Sophorum Philalethinus hanc consequitur, ut dicatur *Magnes aureus*. Solitarius namque chalybs, sive liquor saturniæ vegetabilis, sine metallico sale nullam in auro solvendo potestatem obtinet. Eleganter hoc nos docet prædictus Frater Tract. de rebus natur. & supernatur. ubi scribit, spiritum mercuriale esse artis principium, hunc autem ab igne spirituali iterum creari, & ad vitam excitari, ut quid fiat cœlesti & per sal corpus, & tunc, ait, *principium hoc sit & maneat magnes, quemadmodum etiam est, & pro illo agnosci potest*. Sicuti vero magnes cum chalybe in radice convenit, uterque enim naturæ est martialis, & ejusdem influentiæ sidereæ soboles; ita, quod monet idem Frater l. c. aureus hic magnes auro cognatus est, eo quod hoc cum illo unam originem habeat, & Sol pater sit & auri, & aurei magnetis, unde inter utrumque iste amor sit & magnetismus. Et hanc dicit esse summam mundi sapientiam, & sapientiæ gradum. Causas addit, prolixius ibi legendas. Qui igitur bene distinguit, bene docet, & qui magnetis & Chalybis varios status, & in diversis operationibus diversas significationes novit, idioma intelligit philosophicum;

ita

ita SENDIVOGIUS modo loquendi plane inverso *Tr. 9.* aquam mercurialem, quam vocat *humidum radicale Solis & Lune*, scribit esse chalybem, eoque nomine se rem detegere, in quo quidem convenit cum PHILALETHA, qui spiritum suum eodem nomine donavit; postea vero cum de magnete Sophorum esset loquendum, eodem prædicato utitur: *Est & alius chalybs, qui assimilatur huic, per se a natura creatus, qui scit ex radiis Solis, mirabili vi & virtute elicere illud, quod tot homines quaesierunt & operis nostri principium est.* Per quod idem sal a PHILALETHA per Magnetem indicatum intelligit. Illius enim solius beneficio ex radiis Solis, id est auro, sulphur elicetur, seu potius totum aurum in sulphur ceu operis Hermetici verum principium, convertitur. Ex quo colliges, cum tantus sit in metaphoris philosophicis lusus, non facile unius scripta obscura per alius dilucidiari, nisi quis certo errorum periculo se velit exponere,

*Quare sicut chalybem docui esse auri mineralm, pariter & magnes noster est chalybis nostri vera minera.*

Chalybem auri mineralm statuit PHILALETHA; SENDIVOGII autem phrasis est, quod illi sit fere ut aqua & fere ut mater. Hæc igitur sunt eadem. Jam si magnes est chalybis, & chalybs auri minera, sequitur & magnetem quoque esse auri mineralm, vel saltem chalybem esse auri matrem, magnetem vero aviam. Hæc vero ad litteram quis nescit esse falsissima?

Gaudent mercurialistæ, quod occultiorem hujus sensum interprete suo Saturno exacte calleant. Mercurius vulgi, secum mussitant, quocunque res vertatur, est & manet operis philosophici materia. Sed quod hic natura frigidus sit & humidus, sive que arti ineptus, haec non ignoramus. Scimus vero illum reddere calidum & siccum, & quidem per auri sulphur volatile, quod in

in chalybe est, quod magnete nostro, sive magnesia antimonita, dextre in Reguli fusione extrahemus, ipsique mercurio, mediante exacta amalgammatione, & multoties repetita abstractione, incorporabimus: Et sic verum obtinebimus PHILAETHAE & SENDIVOGII magnetem, ad quem illorum scripta collimant.

Non inficeta certe speculatio, si praxis & eventus consentiret. Dicte mihi, si Mars est chalybs Sophorum, & antimonium est magnes, quomodo, cum magnes juxta PHILAETHAM sit chalybis sophici vera minera, antimonium vestrum sit martis vera minera? nam id consequenter ex dictis PHILAETHAE sequitur. Quid SENDIVOGIO respondebitis? Dicit is magnetem esse suum, quem ante chalybem vocarat. An ergo antimonium est chalybs & haec antimonium? numquid hoc est quid pro quo ponere, & rerum naturas confundere? *Aer generat magnetem, pergit COSMOPOLITA, magnes vera generat vel facit apparere aerem vestrum.* Dicte quomodo aer generet antimonium, & quomodo hoc generet aerem? quae in hisce est veritas? & tamen COSMOPOLITA subjungit: *Sancte tibi veritatem hic manivestavi.* Et certe manifestavit clarius, quam PHILAETHA. Vos autem explicate id etiam, si potestis, philosophice; nam sensum litteralem, tot absurdia, ut jam ostendi, inferentem, ni fallor, abhorretis. Et comperietis, quomodo vobis aqua haereat. Non ignoro postulatum quorundam Chymicorum (intelligo BRVCESCVM, qui de Marte in sensu philosophico scripsit eleganter), statuentium ferrum esse initium & fundamentum auri aliorumque metallorum, adeoque & metallicarum alterationum; (confer. BECHERI *Alphabet. Min. num. 36.*) sed eam speculationem illis lubens relinquo, alias noscens arboris metallicæ radices. Dico igitur, Chalybs sophicus auri dicitur minera, quia ejus est humiditas radicalis, ut omnes perhibent Hermetici. Sicut autem juxta Physicos magnes est minera quædam Martis; ita chalybis

sophici vera minera est Magnes noster metallico - salinus, idque non tropice, sed physice & realiter. Etenim docuit Philosophos experientia, in chalybe hoc per aërem generari magnetem, quod supra ostendimus ex SENDIVOGIO, & ex magnete, sive hoc sa-  
le, rursus extrahi aërem Philosophorum.

*Notifico porro magnetem nostrum habere cen-  
trum occultum sale abundans, qui sal est men-  
struum insphæra lunæ, qui novit calcinare  
aurum.*

Non tantum magnes centrum habet occulte salinum, sed & ipsum est sal centrale, & aurum elementale Philosophorum, quod in sphæra lunæ, id est in spiritu seu aqua mercuriali, evadit illud solvens, quod ipso igne potentius aurum metallicum calcinat, est enim verum quasi Alcahest non sulphureo - quidem, sed salino-mercuriale. Appellatur vero spiritus iste sphæra luna, tum quia luna plena censetur esse ejus mater, unde SENDIVOGIVS Tr. II. inquit: *Aqua illa debet esse menstruum mundi ex sphæra lunæ, ro-  
ties rectificatum, quod possit calcinare solem.*

Tum etiam, quia sphæra circulum seu orbem lunæ comple-  
tum denotat, de quo senior ZADITH inquit: *Sphæra luna est fi-  
gura luna plena, & bac semper est luna apud perfectionem & ple-  
nitudinem sui luminis;* ideoque & magnes sophicus salino- mer-  
curialis tunc prius est menstruum aurum calcinans, quando per  
rectificationem multoties repetitam est luna plena, id est com-  
pletus ac perfectus. Per se etenim sal illud non obtinet auri cal-  
cinandi potentiam, nisi a spiritu seu aëre philosophico illam ac-  
quirat, quo collimare videtur LVDOVICVS de COMITIBVS Tr.  
de metall. Lib. IV. Cap. 2. afferens: *Aëris vis tanta est, ut aurum  
etiam vulgare unico hoc duntaxat aëre seu vento dissolvi se levi  
negotio*

*negotio patiatur. Quod arcanum addit non promiscue publice esse prostituendum.*

*Centrum hoc se convertit appetitu Archetico ad polum, in quo virtus chalybis est in gradu exaltata.*

Magnes se convertit ad sidus polare, sub cajus influentiis est generatus; numquid enim filius aspiciat parentem? Quid ergo mirum, sal illud centrale se convertere ad polum, id est astralem sive soli polique universalem spiritum, quem patrem agnoscit. Si magnes ergo proles est, si polus pater, an quid insolens, virtutem filii in patre esse exaltatam? Suffocet neo-natus Hercules in cunis serpentem, certe in patre Herculis virtus & fortitudo ea erit exaltata. Sed haec forte nimium subtiliter & speculative, explicabo igitur clarius. Notandum, aquam Philosophorum, seu chalybem Philalethinum vere dici polum, quia naturam habet coelestem, ideoque a nonnullis metaphorice *aqua de caelo descendens* fuit appellata. Hujus aquae virtus in gradus mire exaltatur, fit magis calida seu ignea adurens, quando centrum Solis illi conjuncti extra versum archetico, id est archeali seu spirituali instinctu ad illum se convertit, tanquam con principium, illi se jungit & inseparabiliter copulat, interius nempe salis fixi centrum quoque salis volatilis polus ingreditur, in eo exaltatur & perficitur. Quæ quidem conversio appetitu fit archetico, ob homogeneitatem utriusque principii, qua centrum polo, fixam volatili & sal centrale spiritui astrali correspondet.

*In polo est cor mercurii, qui verus est ignis, in quo requies est Domini sui.*

Varias tibi dabo hujus explicationes, elige quam lubet. Sunt enim gryphi subtilissimi, a paucis intelligibiles. *In polo est cor mercurii,*

*mercurii*, id est salis fixi centrum, sive cor, ab aqua mercuriali amatur atque deperitur. Modus loquendi similis est illi, quando vulgo dicimus: in persona amata esse cor amantis. Mercurius ille, sive aqua mercurialis, verus est ignis, tum quia juxta Poëtam *igneus est ille vigor & cœlestis origo*; tum quia passim, juxta Philosophos, *igneæ spissitudinis est portio*, unde & ipse mercurius apud SENDIVOGIVM ita loquitur: *Ignis sum intus, ignis est mihi cibus, vita vero ignis aër est, in quo est requies Domini sui.* Sedes scilicet & habitaculum salis fixi, quod in spiritum istum, seu mercurium, inspissando ac coagulando potentiam exercet, merito illius Dominus appellatur. Et talis sensus diluescit magis ex ipsis mercurii dictis in Dialogo apud SENDIVOGIVM: *Centrum meum est cor fixissimum, immortale & penetrans: in illo est requies Domini mei.* Patet ergo PHILAETHAM legisse SENDIVOGIVM, & ex eo hanc parabolam desumpsisse.

Explicatur secundo. In polo sive aqua philosophica est cor mercurii, sive substantia media mercurii, qui verus est ignis, in quo tandem sulphur solare, ceu mercurii dominus, requiem invenit. Nam anima auri in corde, seu meditullio mercurii, & ut LVLLIVS dicit, *in sphera ignis quiescit & habitat*, ubi tunc quoque omnia elementa magno quiescunt amore, ut loquitur *Theorem. Testam. Cap. 51.* Videtur tamen hic obstatere SENDIVOGII dictum: *Centrum meum est cor omnium fixissimum*, ergo probabile magis est, per hoc intelligi sal fixum, substantiæ mediæ mercurii copulatum, uti enim idem LVLLIVS *l.c. cap. 36.* docet. Terra subtilis sulphurea artis nostræ appetit humidum mercuriale nostrum septies sublimatum, quæ terra cum in primam substantiam argenti vivi philosophici fuerit conversa, ab eo appellatur mercurius & *terra*, *in qua opus est, quiescat fumus auri nostri*, quod plane est ad mentem PHILAETHÆ. Terra enim in isto spiritu polari seu coelesti resoluta cor ejus est seu centrum & ipsa

& ipsa forma ignea, in qua aurum, in vaporem redactum, facta fixatione tandem quiescit. Terra hæc, seu cor mercurii, fundamen-tum est, in quo omnia cetera artis elementa quiescunt.

Explicatur tertio. Spiritus iste mercurialis quoque dominus est, imperat enim toto operi, quia totum facit, & in eo velut corde principium motus est & actionis elementorum spiritualium, quæ verum polum & cœlum philosophorum constituunt. Ipso autem in vero isto igne, sive sale centrali, quiescit & fixatur. Licet enim juxta LVLLIVM Potesṭas Divitiar. Lib. II. cap. 4. *Spiritus est locus proprius, ubi anima requiescit;* tamen si in illo non esset sal centrale (quod PHILALETHA appellat ideo *vinculum,*) non posset in eo dominus sive anima auri requiescere, sed cum eo aufugeret. Cum vero sal illud sit fixum & auri sulphur fixum, cum duobus his fixis volatilis igneusque spiritus, licet sit subtilis vapor, tandem perfecte fixatur, & sic totum compositum in igne quiescit. Quod illud est, quod dicunt Philosophi, *si unum occidiſti, cetera ſunt mortua,* id est, si aquam mercuriale volati-lem fixasti, omnia reliqua principia fixa sunt. Et hæc est vera re-quietus philosophica, & ipsa quoque pro artifice optatissima quies, quæ utinam veris sapientiæ Candidatis, Deum amantibus, contin-gat, ut videant, ceu LVLLIVS loquitur, aurum & argentum de-lata in actionem elementorum spiritualium, in quibus quiescit & gaudet Quinta Effentia spiritus, qui totum facit.

Succedit tandem fictitia majestate suscipiens PANTALEON, supercilie plus quam Hermetico sapientiæ proferens oracula, quando asserit, illud: *Cor meum omnium eſt fixiſſimum,* prosopo-poēticos mercurium Solis de se effari, unde concludit: mercu-rium, ex quocunque metallo vel minerali eliciatur, esse heteroge-neum, excepto mercurio Solis. Quem si pro genuino artis prin-cipio accipit, formalem ostendit ignorantiam. Nam etſi forsitan artificium detur, aurum in mercurium currentem quasi conver-

tendi, id quod certe immensos sumtus & labores requireret (quoniam id sine terra salis sophici mercurificante fieri posse haud puttem) mercurius tamen ejusmodi solaris operi sophico plane foret inutilis, ob plurimas rationes, quas hujus loci non est recensere. Patet saltem ex hoc postulato, eundem nec SENDIVOGIVM, nec PHILAETHAM, cuius Aristarchum agit, intellexisse, ut ut nam simulet sagacem. Sed pergamus via, qua cœpimus & PHILAETHAM jam mare ascendentem in Indias sequamur:

*Navigans per mare hoc magnum ad utramque pertinet Indianam, cursus dirigat per aspectum astri septentrionalis, quod faciet tibi apparere magnes noster.*

Verba hæc certe omnia mortua sunt, nisi a sana explicazione vitam accipient. Opus igitur philosophicum mare magnum est, in quo Oriens Occidensque visitandus, unde FLAMMELLVS ait: *Aqua nostra occidit corpora & vivificat, ducit ea in Occidentem & postea reducit in Orientem,*

Per astrum autem *septentrionale*, id est *putrefactionem* (quam *septentrionem & noctem* appellant), dirigendus est cursus. Putrefactionis autem causa est terra a spiritu radicaliter soluta. Allegoriam hanc ex RIPLAEO desumpsisse videtur PHILAETHA, ille enim Port. 2. iter hoc sic describit: *Sciens ingressus suos in Occidente futuros, ulterius producendo in septentrionem, & ibi lunimaria omnino perdunt lumen suum, nam illic debent manere nonaginta noctibus in purgatorii tenebris absque lumine, tum vero quam primum cursum tuum in Orientem dirige, &c. & in Recapitulatione operis: Sicut Occidens erat principium hujus practica & septentrion perfectum medium alterationis profunda, sic Oriens est principium speculative, sed sui cursus, mox in mertidem facit consummationem, ibi sunt elementa circulatione in aquam*

*aquam conversa.* Eadem allegoria, ut plures taceam, utitur quoque *Calid. c. 10.* dum inquit: *Fili vade ad montes Indiae & ad suas cavernas & accipe ex iis lapides, qui liquefunt in aqua, quando commiscentur, &c.* Ex quibus locis invicem collatis patet, per astrum septentrionale intelligi nigredinem, quæ in corporis radicali solutione sub putrefactione philosophica emergit, adeoque operationem hanc, de qua hic loquitur PHILALETHA, non esse manualem, ut sibi persuadent, qui mercurii sophici præparationem mechanicas, cum Regulo antimonii, mercurio vulgi & argento, operationibus, abstractionibus, purificationibus, &c. absolvı autumant, sed mere physicam & philosophicam, quæ plurimum mensium tempus requirit. Ut autem navigantibus per mare magnes ostendit septentrionale astrum; sic in sale philosophico per salem illorum solutum suscitatur in septentrione, id est, nocte & nigredine, astrum, quod pretiosus est in cœlo Sophorum sublimatus eorum mercurius.

*Sapiens gaudebit, stultus tamen hæc parvi pendet, nec sapientiam discet, licet polum centralem extraversum conspexerit notatum signo omnipotentis notabili.*

Tripudiant hic rursus cum sua stella signata artifices Regulini; observabile est, inquiunt, quod in Regulo per nitrum depurato, & cum sale alcali sulphurato regenerato, stella appareat, quæ centrum suum in acumen alte extrorsum eminens exhibeat, & hoc est, quod PHILALETHA noster per polum centralem extraversum indicare voluit. Sed quæso amici, an proin sapiens est, qui hujus conspectu gaudet, an stultus, qui illud vilipendit? Attende! ego vobis offero aliud spectaculum, quo sapienti nequit obtingere majus gaudium. Hujus enim, & non stulti opus est, illum polum centralem extravertere, id est, interiorem salis phioso-

losophici essentiam mediante solutione & putrefactione extrahere & in apricum producere. Non enim nisi longissimo tempore & difficultate maxima extravertitur. Ex centro facere circumferentiam, & hanc in centrum reducere, sapientis labor est, sed stultorum vexatio, quia, ut dicunt Philosophi, non egreditur anima una vice, sed multis vicibus & paulatim aliquid, ut inquit senior ZADITH, donec in longo compleatur tempore. Quia difficilima est principiorum radicalis mixtio, & unius in alterius naturam conversio. Dein paucissimis datum est conspicere signum illud Omnipotentis notabile, non quidem in illo Antimonii Regulo, quod quilibet etiam GEBRI lixa indies potest spectare, sed in vero subiecto philosophico, quod constitui hic adumbrare.

Polus centralis extraversus, qui vapor siccus est radicalis magneti inclusus, cum chalybis vapore humido destillatur colore aurii, unde & antiquiores Philosophi suum aurum appellantur. Sybilla apud VIRGILIVM vocat *aureum ramum sub opaca arbore latitantem*, si quidem non datur arte *telluris operta* subire, id est, ejus interiora per solutionem philosophicam recludere *auricomum quam quis decerpseris arbore fructum*, id est ejus siccum vaporem coloris aurei destillatione prolicuerit, qui tamen non simul & semel, sed labore repetito rapiendus est (quod sub parabola de aquilis indicatur), & tum *uno avulso non deficit alter aureus*, quod multis aliis occultis gryphis occultarunt artis possessores: unde mireris quod in *Turba* dicatur, *coquas, quo usque humiditas elevetur in alembicum, quoniam ipsa est sudor similis auro.* LVLIVS *fumum solis nostri, AVGVRELLVS* pellem inauratam appellat. *Turba Philosophorum* mercurium in latebris deauratis quærendum & extrahendum præcipit. Et hoc signum in chalybe notabile, de quo priori Capite fusius egi & peculiare dunat quoddam operis phænomenon esse ostendi.

Indicabimus nunc in chalybe sophico signum Omnipotentis,  
quod

quod non est stella, ut Sophistæ putant, sed crux, verum illud signaculum, quo non tantum suos ab æterno ad gloriam cœlestem electos, sed & ad Adeptorum sortem destinatos signavit Omnipotens, nempe sal metallorum sophicum eleganter a natura signatur cruce duplicata, sive decussatim sibi imposita, quæ characterem constituit salis armoniaci Philosophorum. Neotericus quidam anonymous Auctor scalæ sapientum vir apprime doctus & laboriosus, acute subjectum hoc delineavit sub forma Cubi, quem dissecat in quinque segmenta quadrilatera, quæ juxta se posita crucem faciunt, notam subjecti philosophici. Sed non est opus ea subtilitate, ipse cubus signatur cruce, si duas lineas decussatim per centrum duxeris, sicut ostendit sal commune, quod coagulatione cubum formans, notam crucis præ se fert. Sal autem metallorum est sal a quocunque sale communi longe diversum, ut pote fusile, cuius polus centralis est extraversus. In nullo quod memini scriptore adnotatum legi hoc signum, nisi in uno VRESVICIO, qui, et si scientiam Hermeticam non adeptus, aliqua tamen acu tetigit. Hic satis emphatice in *Leone viridi* p. 133. ait: *Sal figura crucis formatum quilibet accipere poterit, qui metallum potest deducere in putrefactionem, tum enim hoc sal generari cernet, a natura cruce per corpus transversum signatum, coloris fusco-viridis valde pulchri, saporis in lingua adstringentis, juxta indolem vitriolatorum.* Figuram crucis non tantum ad designandam materiam philosophicam, sed etiam ad totius operis processum explicandum, assumperunt Adepti, de quo pluribus agit DEE Londinensis, & Ludov. de COMITIBVS, in *Cruce symbolica*, unde enatum illud: *In cruce sub sphera latitat sapientia vera.*

*Tam duræ sunt cervicis, quod, et si signa viderint & miracula, non tamen sophismata*

*sua deponant, nec semitam rectam ingredi-  
antur.*

In sophistarum operibus rara apparent signa, rariora miracula: unde cum in labyrintho inextricabili non habeant filum Ariadnes, quid mirum, eos non ingredi rectam semitam? Per signa innotescit artifici quid agendum, quid mirum nil aut male agere Sophistam, quando signis destituitur. Videt quotidie mira in materiis sophicis, etiam crudis, Chymistarum vulgus, eas non raro tractat manibus, sed tanquam inutiles projicit aut sinistris manipulationibus deturpat, redditque arti ineptas. *Multi,* inquit SENDIVOGIVS Tr. de Sulphure, *laborantes stramen pro-*  
*tritico seminante, aliqui utrumque, multi vero id projiciunt, quod*  
*Philosophi amant, aliqui incipiunt & desinunt, quod ex illorum*  
*inconflantia evenit.* Causa horum omnium est, quod signa non  
*conspiciant, & licet aliquando occurrant, tamen non agnoscant.*  
Afferunt quidem ipsi Sophi nonnulli signa, sed deceptoria; quid enim miraculi aut signi in eo est, quod in Regulo martis stella appearat? Nonnulli alias quasdam subjecti primi signaturas afferunt, sed pariter impostorias, inter quas, ut alias taceam innumeras, illa est praeprimis huc faciens, quam adducit Cyrenaeus Philoponus PHILALETHA, in Nucleo Alchymiae, *quod proles saturni sit*  
*nigra, argenteis tincta venis, corpori permixtis, sulphurique*  
*connatum indicantibus, per quod sat manifeste antimoniuni intel-*  
*ligit.* Verum hic scriptor a nostro anonymo PHILALETHA  
*diversus, artis quidem studiosus, non tamen adeptus, Introi-*  
*tum apertum Sophistarum more crassiori minerva explicat, & to-*  
*tum Philosophiae Hermeticae opus in confectione Reguli martia-*  
*lis stellati, ejusdem cum luna & venere (columbis Dianæ) colli-*  
*quefactione, cum mercurio vivo amalgamatione & crebra ab-*  
*stractione constituit, prout integrum processum parabolæ facile*  
*intel-*

intelligibili ad longum proponit, ea quidem verisimilitudine, ut, nisi quis in veris Sophiæ Hermeticæ principiis aliter sit informatus, facile sibi persuadere possit, se hic ignem magicum, verem Sapientum sulphur, eorumque stellam signatam conspicere; dum enim mars ab antimonio in præparatione Reguli absorbetur, numquid socii Cadmei devorantur a Dracone? dum ipsa antimonii substantia, separato sulphure impuro, dividitur; numquid a marte, ceu Cadmo, Draco vicissim transfoditur? numquid dum Regulus cum argento funditur, ut illo mediante fieri possit cum vulgi mercurio (cum quo alias non coit) intima mixtio, vera est lunaria? ut ceteras omittam analogias; ita certe videri posset, sed horum fallacia ex hoc tractatu satis patescit. Si verus ille foret operis Hermetici processus, jam nil restat, nisi ut quilibet vel in Chymia tyro fiat adeptus; sunt enim omnia clarissima, & nil superest nisi manus applicare. Verum jam tot viri expertissimi omnia ad præscriptum sensu litterali exactissime elaborantes, oleum & operam se speculationibus istis misere delusos perdidisse fatentur, inter quos primo loco pono famigeratissimum BECHERVM, postulata hæc ex professo defendantem, & ipsum PANTALEONEM, & HERTODVM, STARKEYVM, TOLLIVM, HORNIVM, aliosque plures, qui in fine hoc processu se deceptos compererunt, sensui litterali nimium fidentes; nam, ut ab eodem authore superiorius allatae subjecti primi signaturæ respondeam, non est magnetis neque chalybis sophici color niger, nisi in putrefactione, quam proin *nigrum nigrius nigro LVLLIVS*, & ob scintillantem colorem *antimonium* appellavit S. THOMAS de AQVINO. Quod latius explicatum vide apud MAIERVM in *Septimana philosophica Aenigm. 119.*

Aliqua nunc signa, seu phænomena, in principiorum mercurii præparatione apparentia, recensebo.

Saturnia Philosophorum proles argentea splendet veste, nulla ne levissima intermixta nigredinis macula, ad nuptias tamen progrediens philosophicas chlamide aurato induitur.

Coniunctio magnetis & chalybis vulgaris pacate fit & summa in tranquillitate, secus contingit in unione philosophicorum. Conspexi enim ad attractum magnetis in chalybe, innumeratas exsurgere atomos sive bullulas, neque citra luctam & plurima effluvia utriusque fieri approximationem; unde cognovi, quare Fr. BASILIVS VALENTINVS primam compositionem vocari aquam pugilum, & sub analogia aquae regalis ex serpente terreo & aquila admodum subtiliter & ingeniose adumbravit.

Levior quidem extra ignem contingit ista lucta, sed major in Balneo philosophico. Cadime tamen socii a Dracone seu aqua nostra ignea plane devorantur, & tum praeter aquam citrinam nihil apparer, quae paulatim ad viriditatem & nigredinem inclinat.

Nondum radicalis est illa umio, quae fit ante nigredinem; integris enim viribus magnes a chalybe abstrahi potest.

In chalybe sophico copiosum est sulphur, invisibile tamen, quod magnetis attractu facile separatur, ut proxime ad statum pristinæ puritatis ac simplicitatis deducatur, nisi confessim in ejus locum aliud sulphur, nobilius tamen & penitus incombustibile, magnetice accederet, quod docent operationes & effectus.

Magnes sophicus naturæ rigidæ & duræ est, per chalybem tamen ita emollescit, ut instar ceræ fluat in metallo candente, sitque verum sal fusibile Philosophorum, arcaniori processu obtinendum. Cetera subjectorum & laborum Orthio Chymicorum phænomena alii Libri pudent.

*LIBRI SECUNDI FINIS.*

IO. PHILIPPI BREYNII  
DESCRIPTIO FRVCTVS

Cerei Americani majoris articulati;  
flore maximo, noctu se aperiente & suavissi-  
mum odorem spirante. Volckam.

Hesperid. I. p. 233. T. 234.

AD

VIRVM ILLVSTREM

CHRISTOPH. IAC.  
T R E W,

Med. Doct.

LONGE CELEBERRIMVM,

*Anicum candidissimum veteranum.*

THE GREAT CHURCH OF  
ENGLAND OR PROTESTANT

CHURCH OF ENGLAND AND IRISH

**C**ereum hunc quinque jam & quod excedit lustra in Horto meo, alias inter plantas exoticas & rariores, hic Gedani, & quidem non ingratum colui. Quippe qui singulis ferme annis Julio & Augusto Mensibus, flore suo, qui praeterea haecenus cognitis omnibus insigni amplitudine, structuræ elegantia, colorum præstantia, aureo videlicet, & candidissimo, odoris suavitate, mirisque proprietatibus, tantum me judice eminet: quantum lenta solent inter Viburna Cupressi, oculos naresque non minus quam animum mire exhilaravit. Idque non singulari tantum, sed binis saepe in eadem planta præstitt floribus; immo anno quadragesimo nouo quatuor in eodem individuo & eadem vespera simul: iisque omnibus solitæ magnitudinis & elegantiae, ad stuporem omnium, qui jucundissimum hoc & rarissimum spectaculum oculis lustrarunt.

Quo facilius vero planta haec bene culta flores, eo parcius & rarius producit fructum: utpote quem in nostris terris, neque etiam in magis meridionalibus Europæ haecenus unquam matuuisse nec legi nec audivi. Quemadmodum & in meo Horto constanter post septem vel octo a florescencia dies, qualcumque etiam adhibuerim curam, germen sive, sive ovarium, fructumve dixeris novellum, brevi carneum contrahens colorem & marcescens cum flore marcido simul, meo dolore defluxit. Fructus hic immaturus dissectus cavitatem ostendit ovalem & vacuam, secundum rudimentis circum circa, sicum instar immaturorum, in copia præditam.

Tandem vero mihi inopinato & casu nescio quo felici melior arruit fortuna. Inter alios enim flores plantæ cuiusdam multum annosæ, unus d. 27. Julii anni 1748. florens fructum protulit. Hunc lentissime quamvis accretum, post integrum ferme annum die 24. Julii nimirum anni 1749. quia molliorem & digeritis magis cedentem observabam, adeoque pro maturo habebam, eum portione sarmenti sive caulis, cui firmiter sine pediculo adhaerebat absclidi.

Hunc a variis Amicis, in primis vero a Te Illustris TREW Amicorum Principe rogatus, accuratius describere operæ pre-

tium fore duxi. Serena itaque fronte accipe eam quæ sequitur.

Erat fructus hic figuræ ovalis, duas uncias longus & parum supra unciam latus ; coloris e carneo flavescentis, cutis instar humanæ nonnihil rubescens; odoris expers. Superficies constabat ex meris papillis seu tuberculis quadrato rotundiusculis, in quincunce spirali ordine, prouti in Ananassæ fructu, positis. *Vid. Tab. X. fig. 1.* E centro uniuscujusque tuberculi prodibat villus, seu fasciculus exiguus parvorum pilorum flavorum & incurvatorum, spinula una alterave intermixta; unde totus fructus villosum & nonnihil spinosum apparebat. Extremitati fructus firmiter adhuc adhærebatur pars relicta tubi floris exsiccata, pariter villosa; qua discepta vestigium in fructu, jure umbilicus dicendum, se ostendisset,

Die subsecente, præsente Cl. KLEINIO cultro divisi fructum hunc secundum longitudinem; in quo *fig. 2.* apparebat cavitas ejusdem ovalis figuræ, verum non vacua; sed innumeris ferme feminibus nigerrimis, in pulpa alba & nonnihil diaphana, instar gelatinæ, perquam viscosa, saporis dulcis, odoris experti, nidulantibus repleta.

Pericarpium culmen circiter crassum consistebat e cuticula tenui, quæ omnia tubercula externe adeoque totum fructum tegebat & cute nonnihil crassiori alba, quæ, intermedio parenchymate molliusculo flavescente, interne cavitatem investiebat.

Semen *fig. 3. 4.* oblongum parum compressum, altera extremitate rotundum, altera vero acuminatum, lineam longum & dimidiadim latum, læve, nigerrimum & splendens reperiebatur. Quædam semina *fig. 5. 6.* in pulpa fructus jam radiculos egerant; unum alterumve quoque plantulæ jam emiserant rudimentum; immo totam plantulam seminalem viridem, cum binis cotyledonibus *fig. 7. 8.* singula in naturali & aucta magnitudine depicta. Ex quibus fructum summum jam maturitatis gradum attigisse, immo superasse colligo; quemadmodum id in Malis Limoniis maturis, nimis diu in arbore relictis, aliquoties ipse & alii observarunt,

# D. CHRISTOPHORI IACOBI T R E W

Brevis Historia & fusior Descriptio  
Cerei serpentis vulgo sic dicti  
Responseonis loco exarata

AD

VIRVM ILLVSTREM

# IOANN. PHILIPPVM BREYNIVM

Med. Doctorem & Cæsareæ N. C. Academiæ  
Regiæque Societatis Londinensis Sodalem  
celeberrimum

*Fautorem atque Amicum maximopere  
coleundum.*



**H**umanitatem Tuam, Vir illustris, qua me olim, in itinere litterario aliquamdiu Gedani commoratum, quavis occasione excepisti, magna cum voluptate recordor, pioque animo nunquam non colo amicitiam Tuam ab eo tempore continuatam & suavissimo æque, ac fructuosisimo, litterarum commercio sæpiissime declaratam. Præclare hoc vel maxime testantur binæ Tuæ Epistolæ publice ad me datæ, quarum prior, antecedenti horum Actorum tomo inserta, a veteribus jam celebratæ stirpis quam Musam vocant; posterior, nunc comparens, elegantissimæ Cerei sic dicti speciei cuiusdam historiam naturalem abselvit; testantur vero eadem simul, unacum reliquis Tuis lucubrationibus copiose cum orbe litterato communicatis, quo studio quaque accuratione naturæ producta examinare consueveris, & fenex jam Dei gratia ex voto communi factus adhuc pergas. Excitavit autem me posterior modo memorata epistola, ut stirpis illius, ejus fructus hucusque non descriptus vel depictus ejus argumentum constituit, brevem historiam & fusiorem descriptionem, nonnullis observationibus propriis illustratam, pro virium & horarum succisivarum modulo exararem, Tibique, Fautori & Amico summopere colendo, gratiarum actionis loco inscriberem, sincere vovens, ut DEUS omnipotens senectutem Tuam juventuti Tuæ parem ulterius & quam diutissime reddat. Quod reliquum est, rogo, ut amicitiae Tuæ me porro habeas commendatissimum. Dabam Norimbergæ Idibus Januariis A. R. S. MDCCLII.

# Sectio I. Historia.

**V**t in limine statim pateat, de qua stirpe sermo nobis sit, ejus nomina, quibus hucusque cognita reddita fuit, præmittamus necessum duximus; est autem

*Cereus Curassavicus amplexicaulis polygonus minor* Herm. Par. Bat. Prodr. p. 322. *minimus* Ejusd. ibid.

*Cereus scandens minor polygonus articulatus* Herm. Par. Bat. p. 120. Raii Hist. T. III. Dendrol. p. 23. n. 9. Boerb. Ind. p. 181. n. 8. Ejusd. Ind. alt. P. I. p. 293. n. 11. Tilli Hort. Pis. p. 37. Walth. design. Plant. p. 14. num. 7. Rand Hort. Chels. p. 48. n. 10. Miller. Garden-diction. n. 11. Hort. Carolsruh. Cat. p. 15. n. 172.

*Cereus Americanus major articulatus, flore maximo noctu se aperiente & suavissimum odorem spirante* Volck. Hesp. T. I. Edit. Germ. & Lat. p. 238. tab. 234.

*Cereus minor scandens, sive serpens* Heist. Ind. Pl. H. Ac. Jul. 1730. p. 8. n. 3.

*Cereus gracilis scandens ramosus plerumque sexangularis, flore ingenti atque fragranti calyce aureo corolla argentea, fructu ex carneo flavescente* nobis Plant. select. tab. XXXI. & XXXII.

*Ficoides Americanum, seu Cereus minima serpens Americana* Pluk. Almag. p. 148. Phytogr. tab. CLVIII. fig. 6. Volck. Flor. Norimb. p. 97. Sloan. Itin. Vol. II. p. 157. Weinm. Phytanthozaiconogr. Vol. II. p. 116. tab. 354. *seu Cereus serpens* ἐλιόφυγας Pluk. mantiss. p. 76.

*Cactus scandens angulis quinque* Linn. H. Ups. p. 121.  
*n. 11. pluribusve obtusis* Ejusd. H. Cliff. p. 182. n. 10.  
*van Wachend.* H. Ultraject. Ind. p. 66. n. 10. *van Roy. Flor.*  
*Leyd. Prodr. p. 280. n. 10.*

Hujus stirpis habitus vilissimus, floris ejusdem e contrario, ob magnitudinem colorem & odorem excellentem magnificentia singularis, in admirationem semper rapuit spectatores attentos. Auget admirationem, quod is nunquam, nisi noctu sub tenebris perfecte se explicet, hincque interiora sua debili tantum lumini artificiali lustranda sistat, totum vero hoc spectaculum sole oriente claudat, ideoque per breve tantum temporis spatium concedat.

Superiori saeculo hoc naturae miraculum Europaeis adhuc fuit ignotum. *Cajahaba* vel *Cabajaba* namque & *Mippi*, cuius a. 1605. mentionem fecit CLVSIVS Exot. L. IV. c. XIV. p. 86 & ex hoc C. BAVHINVS in Pin. p. 458. b. n. XIII., itemque JONSTONVS Dendrol. p. 58., eadem, ex conjectura PLVKENETI Mantiss. p. 76., esse stirpem, valde incertum est: quemadmodum etiam *Jamacaru*, cuius iconem & descriptionem a. 1648. evulgavit MARGGRAVIS Hist. nat. Brasil. p. 125. & ex hoc a. 1658. PISO de India utriusque re natur. & med. p. 189 non omnibus partibus convenit. *Euphorbium* vero *Cerei effigie caulis tenuioribus falcatis sensim angustiorem in apicem evadentibus, spinis minoribus munitum*, seu *Cereum polyclonum caulis teneroribus falcatis &c.* a JAC. BREYNIO in Prodr. II. p. 45. ex Horto Amstelodamensi a. 1689. recensitum, non esse hunc Cereum, ut suspicatus est BOERHAAVIVS Ind. alt. I. pag. 293., sed veram Euphorbii speciem, certiores nos reddidit ill. ejus

ejus filius JO. PHIL. BREYNIVS in altera hujus prodromi anno 1739. editione p. 63. nota o. •

Quantum nos quidem invenire potuimus, sub finem elapsi seculi demum hæc stirps ex America in Europam traducta ibidemque culta est, cuius primam mentionem factam reperimus in PAVLI HERMANNI Paradisi Batavi prodromœ, qui cum Schola Botanica TOVRNEFORTII a S. W. A. (SAMVELE WHARTONO Anglo, vel potius GVL. SHERARDO, notante JOANN. FRANCISCO SEGVIERIO *Biblioth. Bot.* p. 194.) conscriptus Amstelodami a. 1689. editus est; deinde a PLVKENET in *Phytographiæ suæ altera parte* Londini 1691. excusa, ubi tab. LVIII. fig. 6. addit, eam delineatam esse secundum exemplar Horti Regii Hamptoniæ; quæ vero figura, valde etiam imminuta, sine flore conspicitur. Major & ad naturæ normam propius accedens ejus icon, sed adhuc absque flore, paullo post, nempe a. 1698., in publicum prodiit in PAVLI HERMANNI opere posthumo, nempe *Paradiso Batavo*, ubi etiam describitur, & Cereus Curasavicus minor & minimus Prodromi citatus pro eodem declaratur, ceterum autem ingenue additur, de flore & fructu nil Auctori constitisse. Hic Norimbergæ hanc stirpem jam a. 1700. co-luisse JO. GE. VOLCKAMERVM filium, testis est ejus *Floral. c. An. 1716.* in publicum edidit RICHARDVS BRADLEY *Historiæ plantarum succulentarum* (Latino & Anglico sermone in columnis divisis expositæ) Decuriam I. (anno 1734. absque mutatione recusam) ubi p. 3. occurrit *Cereus Americanus hexangularis minor*, ejusque tab. 2. icon, quæ, cum descriptione collata, testatur, esse hanc speciem eandem, de qua nobis sermo est, licet tres caules ex uno provenientes erecti pingantur: addit enim, hanc plantam formæ columnaris emittere ramulos ad tantam altitudinem, ut se sustinere nequeant, sed deorum-

inclinando radices agant. Florem etiam non vidit Auctor. Anno 1725. prodidit splendidum illud opus III. HANS SLOANE titulo: *A Voyage to the Islands Madera, Barbados, Nieves, S. Christophers and Jamaica &c.*, ubi Vol. II. p. 158. n. XVI. recensetur quædam species, inter cujus synonyma, præter Hermannianum, refertur & illud Plukenetianum supra citatum, sed reliqua synonyma addita, ut & ipsa descriptio (quam Latine redditam exhibet RAIUS Hist. T. III. Dendrol. p. 22. n. 2.) satis respondere haud videntur. Ceterum & hunc auctorem tunc nondum vidisse florem, patet ex PLVKENET citatione,

Interea temporis hanc Cerei speciem plurium hortorum Europæ alumnam esse factam, nullum est dubium; ubi vero primum excluderit florem, incertum est: nos invenimus sequentia annotata. Eadem stirps, quam indicavit PLVKENET, an. 1700. exclusit florem, ab eodem *Manif. l.c.* multis encomiis descriptum. Anno 1705. eadem fortuna gayissus est VOLCKAMERVS, qua occasione satis elegantem ejus imaginem ad naturalem magnitudinem parandam curavit, quam primus a. 1708. unacum descriptione Hesperidibus ita dictis inseruit frater ejus Germanus JO. CHRISTOPH. VOLCKAMERVS, qui mercaturæ quidem primariam operam navavit, a patre autem, JO. GEORGIO, Medico Norimbergensi & Academiæ hujus Cæsareæ olim Præside celeberrimo, ingenita ad stirpium exotiarum perscrutationem propensione hortum simul coluit instructissimum. Lugduni Batavorum idem flos se conspicendum & admirandum stitit an. 1709., quem BOERHAAVIVS in primo H. L. Batavi plantarum indice a. 1710. in 8. edito peculiari descriptione multisque excellentibus titulis exornare haud deditgatus est. Posthac ad nostra usque tempora floris hujus singularis venustas & qualitas hinc inde in celebrioribus Germaniæ hortis cum admiratione visa in novel-

lis

lis publicis celebrabatur, quarum relationum quædam leguntur  
in denen Breslauischen Sammlungen (i. e. Miscellaneis Vratislavien-  
sisbus) Vol. XVII. p. 297. XXIV. p. 654. XXXVI. p. 713. s. ubi vero  
plerumque hæc species cum Cereo Peruvianio vel Surinamensi  
erecto confunditur. Interea temporis, nemipe a. 1739., hujus  
stirpis florentis splendorem descripsit & vivis coloribus repræ-  
sentavit WEINMANNVS l. c., sed valde jejune, & ante biennium  
similiter, sed accuratius, picta ejus imago comparuit ea in collec-  
tione, quam chalcographus nostras, GE. WOLFG. KNORR,  
jam ante quatuor annos titulo *Regni Flora* edere cœpit, nunc au-  
tem titulo *Thesauri rei herbaria hortensisque universalis* conti-  
nuat, cuius commentarius vero ad hujus stirpis descriptionem  
nondum accessit. Qui hujus stirpis flos in Horto Acad. Altorfino  
a. 1740. spectandum se stitit, & D. D. JO. JAC. KIRSTEN de-  
scriptus reperitur in Acto. hortum Vol. VI. p. 473. Singulas deni-  
que hujus floris partes brevissime, sed more suo accuratissime,  
definivit LINNEVS Hort. Cliffort. l. c. observationis occasionem  
a. 1737. nactus. Unica tamen pars pro charæctere hujus stirpis  
generico absolvendo adhuc deficiebat, fructus nimirum ad per-  
fectionem suam perductus, utpote a nullo, quantum scimus, hu-  
usque descriptus. Jam a. 1734. quidem Parisis accepimus ele-  
gantem hujus stirpis imaginem a celebri plantarum pictore, D.  
GE. DIONYSIO EHRET, qui ibidem tunc temporis degebat,  
paratam & fructu quoque ornatam, quam operis nostri, Plan-  
tarum selectarum titulo Augusti Vindelicorum prodeuntis, tab.  
XXXI. & secundum hanc etiam hujus Vol. tab. X. fig. 9. repræsentat;  
ut autem verum fateamur, incerti tunc relicti fuimus, num is ple-  
nam maturitatem consequutus fuerit, quia EHRETVS nec litte-  
ris id testatum fecit, nec interiorum structuram seminumque  
conditionem addidit. Omne autem dubium denique removit ob-  
servatio ill. BREYNII in præcedenti epistola exposita, atque præ-  
cipue

cipue eadem ejus figuræ, quas vivis coloribus pictas & Ehretianæ figuræ exacte respondentes nobiscum communicavit. Et quum hisce interior hujus fructus compages simul patefacta sit, soli huic laudato Viro debemus plenam nunc ejus cognitionem.

## Sectio II. Descriptio.

**O**pportunum fore duximus, haec tenus recensisit subjungere totius hujus stirpis ejusque omnium partium fusiorē descriptionem idoneis figuris illustratam, præcipue quum alii eam nondum absolverunt & nosmetipsi ejusmodi stirpium plures per 20. jam annos in horto domestico aluimus hacque occasione repetitis vicibus nonnulla notatu digna observavimus.

Stirpem ipsam ad *scandentes* & vicinis stirpibus aliisque fulcris adhærentes pertinere, nullum est dubium: docet id non solum HERMANNVS l. c., verum etiam radicum ex costarum fulcis copiosus hinc inde proventus *tab. XI. fig. 1. a. a. a.*, unde etiam ab eodem caules appellantur radicos; quando autem fulcrum quoddam non obtinet, tunc humi prosternitur & serpit, quare aliis, & plerumque hortulanis, communiter *serpens* audit: infirmus namque est & *gracilis* ita, ut caules, etiam cum costis, plerumque 6. vel 7. lineas (usi autem sumus pro mensurandis his & reliquis pede Rhinlandico geometrice i. e. in decem partes diviso) non superent, crassissimus vero pollicem diametro vix attingat, & sibi relictus nunquam recta ascendat,

*Articulatus* a multis vocatur; sed accuratiore examine deprehenditur, singulos caules absque intercepta crassitudine protendi, quamdiu *tempestas* favet, plerumque vero eorum apices altero anno emori & arescere *tab. XI. fig. 1. b. b. b.* indeque ulterius eorundem incrementum impediri, defectum autem hunc suppleri a novo caule propullulante, & quidem ut plurimum prope apicem

apicem aridum c. c. & semper ex costa, proxime supra quendam spinarum fasciculum, ex ipso tamen meditullio lignoso *Tab. XI.*, *fig. 4. a. b.*, unde articuli species oritur, qua sub forma appetet icon HERMANNI l. c. Considerandum ergo est ejusmodi recens productum, non ut articulus, sed ut novus ramus, quod etiam confirmatur ex eo, quia interdum eadem in regione duo plures-  
ve novi caules simul *tab. XI. fig. 1. d. d. d.* proveniunt, immo etiam haud raro aliis longe infra apicem adultioris prorumpit, quare rectius *ramosus* appellatur. Singuli rami sunt *angulosi*, & costæ seu anguli in junioribus, intuitu præcipue totius caulinum crassitudinis, satis elevati, ut clarius appetet ex eorum taleolis *tab. XI. fig. 2 — 6*; qui vero anguli in valde annosis quandoque ferme obliterantur, dum substantia sulcis subjecta augmentum capit, quod eosdem ad costarum ferme aciem usque elevat *tab. X. fig. 10. 11.* In numerandis his costis differunt Auctores. HERMAN-  
NVS l. c. quindecim numeravit, & superius extremum figuræ Knorrianaæ citatæ novem indicat, a quibus tamen aliorum relationes & nostra observatio multum recedunt. LINNAEVS in *H. Cliffort.* earum quinque pluresve, in *H. Upfal.* vero quinque tantum definit. In omnibus nostris plantis plurimi rami sex costis (quot etiam indicantur a VOLKAMERO, BRADLEYO, WEINMANNO atque KIRSTENIO) inter se conveniebant *Tab. XI. fig. 5.*; pauciores septem *fig. 2. 3. 4. 6.* & unicus tantum quinque se distinguebant costis. Acies harum costarum multis exasperatur *spinarum fasciculis*, ad quos singulos eadem paulilulum emarginata est: proveniunt autem ex his incisuris ad digiti circiter intervalla (in junioribus ramis proprius ad se invicem) exiguae & milii grano vix majores areolæ cineritii coloris & lanuginosæ seu potius ob villorum tenuitatem & brevitatem sericeæ, & ex his singulis spineæ 12-15. stellæ in modum dispositæ, pri-  
mum breviores pallidiores & flexuosæ, deinde vero unam al-

teramve lineam longæ rigidiores duriores nigrantes & satis atrociter tangentibus infensæ, *vid. tab. XI. fig. 1.* Ipsius stirpis *color* in iunioribus ramis est lète viridis, in adultioribus vero magis saturatus & obscurior: haud raro etiam viridis hic color in purpurascentem transit *tab. XI. fig. 1. e. & fig. 4.*, quam coloris varietatem, & quidem largillime, pariter sistit figura ex KNORRI collectione citata. Ceterum in hac stirpe, uti in reliquis ejusdem generis speciebus, nullum *foliorum* vestigium vel simulacrum reperitur: tota namque, exceptis spinarum areolis seu tuberculis, obducta est membrana tenuissima glabra & transparente, quæ viridem suum colorem subjectæ *substantiae* debet: *conf. tab. XI. fig. 5. 6.* Hæc ubique firma quidem, non tamen dura, sed carnosa & lète viridis in medio vero alba est, ubi medullam quasi constituit, quam ambit rotundus quidam torulus flavescens & lignescens, calamum scriptorium vix æquans *tab. XI. fig. 2. 6. a.* & aliquam huic stirpi firmitate concilians, ex quo etiam ortum suum trahunt non solum rami *fig. 4. b.* verum etiam radices in libero aere provenientes *fig. 2. b.* immo ipse flos, cuius delapsi vestigium diu adhuc remanet *fig. 3. b.* Quoniam stirps nostris in terris non nisi per ramos depactos hucusque propagata est, *radices* quas *sub terra* agit, cum reliquis ex sulcis ramorum supra terram provenientibus convenire, vero simile quidem videbatur; sed examen institutum id non confirmavit. Ut nemipe circa has quoque nullum superesset dubium, illam ipsam stirpem, quam jam per 20. annos in fictili vase haud amplio coluimus, a. 1751. sub mensis Martii finem a terra excisimus.

Haud supervacaneum nobis videtur, exempli loco brevibus exponere totum hujus stirpis habitum, quem illa nunc per tot annos conservata obtinet; illud tamen præmonendum est, interea temporis plures ramos pro novis stirpibus propagandis abscisso

scissos fuisse. Emimus hanc veterem stirpem a. 1730, ab hortulano quodam nostrate, qui eandem a pluribus annis jam colait, sed nunquam florentem vidit; aetatem ergo ejus integrum definire haud possumus. E terra exenta, ejus truncum *tab. X. fig. 12.* *a. b.* deprehendimus 3.  $\frac{1}{2}$ . pollices longum & diametro octo lineas crassum *fig. 11.*, sed in utroque extremo putredine corruptum, ex quo ad pollicis largi intervallum in lateribus oppositis duo prodibant rami: unus *c.* simplex erat, alter *d.* mox tres & omnes proxime ad se invicem protrudebat ramos laterales *e. f. g.*; primarius autem ramus *d. b.* ulterius productus ante aliquot jam annos abscissus est. Ex ramis lateralibus tertius & paullo crassior *g. i.* post 2  $\frac{1}{2}$  poll. intervallum, proxime iterum ad se invicem, opposito tamen ex latere, duos ramos laterales *k. l.* excludebat absque sui ipsius incrementi ulterioris impedimento. Omnes hi rami æque, ac truncus, sub terra latebant, & ille quidem ad pedis dimidii profunditatem; num vero omnibus ramis indicatis jam instructus (quod vix credibile) an solus depactus fuerit & postea pedentem sub terra hos ramos excluderit (quod vero similius), certo affirmare haud possumus. In trunko hoc, & in magna parte ramorum ipsi proxima, costarum vestigium vix amplius supererat, sed ex elevatis sulcis circumferentia apparebat potius convexa *fig. 10. 11.*, spinosorum tamen tuberculorum notas hinc inde adhuc exhibens, ceterum cortice fusco spongioso & scabro, in quem membrana mutabatur, tecta, sub qua caro latebat ubique pallidior seu flava potius, quæ circumdabat torulum lignosum multo crassiorem & duriores factum, in medio tamen medullam albidam adhuc alentem. Radices ubique deficiebant eosque, ut ne fibrillam detegere potuerimus. Quoniam vero inferius trunci extrellum, uti jam indicavimus, putridum reperiebatur, aliam stirpem jam adultam a terra denudavimus atque invenimus, partem ejus, ad 4. pollices sub terra latentem & pa-

riter membrana crassiori & fusca seu cortice fungoso obductam, nullibi, nisi circa extremum ad pollicis circiter spatium *tab. X.* *fig. 13.* emisso radices, easque circum circa quidem copiosas, sed breves tantum tenues mollesque, atque præterea ex ipsa carne ortas & ad torulum lignosum vix pertingentes, adeoque ab illis radicibus in libero aere ex sulcis tantum propululantibus plane diversas, quare vero simile est, proprie dicendas radices subterraneas more aliarum similium stirpium succulentarum, nostro saltem sub cælo, quotannis regenerari, illis vero ex caulibus extra terram pronascentibus stirpem hanc alium adhuc in usum ex creatoris providentia esse instructam, ut scilicet, si vel nutrimentum hauriant dum hæc stirps super alias stirpes scandit, eadem illarum cortices, vel saltem harum fissuras, penetrare possint. Forsan autem hæ fibræ, radicibus similes, clavicularum potius officium subeunt: BRADLEY enim l. c. tradit, hanc stirpem etiam in locis saxosis nasci: certe in *Cereo scandente minore trigono articulato fructu suavissimo Herm. Parad. Bat. p. 118.*, ejusmodi fibris copiosissimis pariter instruto, eadem parietibus quoque murarum, quos attingunt, Hederæ arboreæ modo firmiter adharent & haud raro palmulam quandam extremo suo formant. Quousque autem in stirpe, de qua nobis sermo est, harum fibrarum usus se extendat, ex eo modo, quo illa nostris in terris ab aliis stirpibus separata colitur, id satis patet, pro nutrimento hauriendo ipsi sufficere exiguae sane radiculas atque præterea ex parva tantum ejus trunci parte collectas, & nihilominus eam in fruticem quasi satis amplum & succulentum excrescere. Stirpis namque, cuius descriptionem tradere cœpimus, superior ramus primarius *tab. X. fig. 12. c.* ad pedem unum & tres pollices excrescens prope apicem suam exclusit ramum lateralem iterum unum pedem longum, ex cuius extremo in latere opposito duo proveniebant rami: alter 6. pollices longus

gus novum denuo ramum protrudebat brevem, alter vero 8. pollices altus pariter excludebat novum ramum pedem 1. & pollices 3. longum, quorum singulorum apex ad ortum usque novorum ramorum arescebat, & omnes hinc interruptum seu quasi articulatum caulem 4. pedibus longiorem formabant. Inferioris rami primarii *d. b.* primus ramus lateralis *e.* continuam longitudinem omnium maximam, pedibus scilicet 3. majorem, acquirebat, deinde in apice arescens prope hunc novum protrudebat ramum vix digitum minorem crassitudine æquantem & 2. pollices longum, ad cuius apicem aridum novus excrescebat, qui mox ordinariam *f.* linearum diametri amplitudinem & 1. pedis longitudinem obtinebat. Secundus lateralis ramus *f.* pedis longitudinem superabat & deinde novum ramum formabat, qui vero usque ad ortum suum unacum apice alterius brevi post arescebat. Tertiī rami *g. i.* lateralis ramus gracilior *k.* sesqui pedes longus apice quideam etiam exaruit, nullum vero ramum novum, neque etiam florem, hucusque exclusit; alter *l.*, ad ortum pariter digitum minorem tantum crassus, deinde omnium crassissimus (scilicet diametri 7. linearum) & pedes 2. pollices 8. longus evadebat, tunc autem in apice arescebat, ad dimidium vero pedem infra hunc apicem rursus novum & paullo iterum graciliorem ramum excludebat, pedem 1. & pollices 4. longum, cuius apex pariter exaruit. Horum ramorum lateraliū trunca autem 1. ulterius ad pedis ferme longitudinem excrescebat & solus inter omnes *s.* tantum angulis gaudebat, sed prope apicem hujus aridum novus prodibat 7. angulis dittinctus. Patet ex his, truncum hujus stirpis tunc temporis, quo ejus examen suscepimus, explicatum fuisse in 8. eauls saepius ex aliquot ramis compositos, quorum longissimus quatuor pedes cum dimidio, omnium autem longitudo computata 17. pedes æquabat, pro quibus progenerandis & alendis tam paucæ & exiguae radices sufficiebant. His ad-

dimus, stirpem hunc, commodæ locationis gratia, ramis suis  
more consueto inter se contortis asservatum esse,

Eiusmodi stirps, tam parum ornata & tam parca sustentatione gaudens, generare insuper valet florem amplitudine & splendore nulli facile inferiorem, lento gradu provenientem, celeri vero passu pereuntem, ab omnibus cum admiratione visum, stirpem autem suam magis adhuc decorantem, quando cum uno alterove socio se sistit, quod nostra quoque in planta contigit, quæ aliquoties duos, & a. 1737. die 16. Augusti tres flores perfecte explicatos simul conspicendos obtulit. Quo autem modo & ordine superbum hoc naturæ productum periodum suam absolvat, exempli loco iterum sint, quæ occasione primi floris ex stirpe haec tenus descripta progeniti anno 1733. annotavimus.

Circa medium circiter rami cuiusdam & proxime supra quendam spinarum fasciculum, anni iam 1732. æstivis mensibus observavimus tuberculum quoddam subrotundum, purpurascens, in medio dehiscens & exiguum glomum candidæ lanuginis manifestans. Hoc floris futuri vestigium parum mutabatur in alterum usque annum, ubi initio mensis Junii a. 1733. alabastrus prodibat villis candidis, plurimis, longissimis rigidisque involutus, similis illi *tab. XI. fig. 1. f.*, qui sensim sensimque *g. b.* trium ferme mensium spatio ad perfectam suam magnitudinem *fig. 7.* perveniebat. Ima ejus pars *a. a.* (*conf. simul tab. XII. fig. 1.*) subrotunda, quæ *ovarium* constituit & immediate truncō adhæret, per torulum tamen medullosum & album cum torulo caulis ligneo continua est *fig. 3. b.*, se distinguebat virore intensiore & exiguis papillis seu tuberculis undique exstantibus, quorum singulorum apex se terminabat in areolam caulium areolis, ex quibus spinæ proveniunt, quodammodo similem, sed villis undique refertam, partim candidis longis crispis & mollibus, partim subfuscis brevibus rigidis atque pungentibus, quos ad singula tubercula suffulciebat seu

seu tegebat perexiguum folium satis firmum rigidum oblongum & acutum seu lanceolatum neutquam tamen pungens. *Tubum* cum ovario continuum *b. b. c. c.* literæ transversim ductæ instar flexum, ex viridi magis pallentem & pedentem ampliorem redditum, formabant quasi angulosum lineæ per totum ejus longitudinem excurrentes, glabræ, parum elevatæ, obtusæ & ovarium versus inter se ferme contiguae, superiora vero versus sensim sensimque magis a se invicem secedentes. Super his angulis elevatis per totum tubi tractum, sed ad digitæ transversi circiter intervalla & alterno quasi ordine, conspiciebantur pariter, ac in ovario, exigua tubercula sericea, lanuginosa & setosa, singula iterum proprio suo foliolo lanceolato & inferius adnato testa, quæ vero per gradus quasi majora & crassiora, omniaque exterius viridia erant. Ad tubi oras *c. c.* folia hæc subito longitudinem multo majorem acquirebant & colorem magis lutescentem induebant, non omnia autem floris apicem attingebant, quibus ceterum nulli amplius villi substrati erant. Extrema tantum folia, seu calycis segmenta, *c. c. d. d.* erant longissima & totius tubi longitudini facile paria.

Hoc in statu quum ad suam perfectionem pervenisset alabistrus, die 24. Augusti (quo Fahrenh. barometrum dig. 27. lin. 11. scr. 8. & thermometrum gr. 35. part. 2. attingebat, ventus ex W. spirabat & tempestas nubila paullulumque ventosa erat) ante meridiem jam extima calycis segmenta a se invicem dehiscebant sequè elevabant. Post sextam horam pomeridianam, adeoque brevi ante solis occasum, omnia ejus segmenta tam celeriter se movebant & a se invicem recedebant, ut ad visum sensim sensimque se erigerent & reflecterent, simulque floris corollam, cuius segmenta eodem momento dehiscebant, detegent, ubi jam *odor* fortis gratus & balsamicus, ad unius alteriusve passus etiam distantiam, percipiebatur, me judice cum inelle recenti

recenti & balsamo Peruviano comparandus, quem tamen calycis segmenta fortius, quam illa corollæ, immo ipsius floris cavum, spirabant. Plena superbi hujus floris expansio lento magis gradu deinde succedebat, & circa medium demum noctem ad eum perveniebat statum, quem *tab. XII. fig. 1.* a facie laterali & *tab. XIII.* a facie anteriori adumbrat.

Splendido hoc in statu, accuratius examinato, *calycis 60. segmenta* formabant quatuor quasi ordines hinc inde tamen inter se confusos, ex quibus illa primi ordinis *tab. XII. c. c. d. d.* omnium maxime & ad angulum cum tubo acutum se reflecebant, illa vero secundi & tertii ordinis *e. e.* recta magis se erigebant, sed illa quarti denique ordinis *f. f.* non adeo longe a corolla secedebant, pleraque tamen omnium ordinum magis minusve anteriora versus apice suo se curvabant, ex quibus interiora præterea teneriora deprehendebantur, omnia tamen satis firma & rigida persistebant. Ex ordine exteriori quædam *c. c.* breviora adhuc erant, reliqua vero *d. e. f.* pollices 3. vel 4. longitudine æquabant, hincque limbi expansi diametrum 9. ferme pollicum (de calycis ergo, non corollæ, diametro intelligenda est mensura 10. pollicum floris expansi a WEINMANNO l. c. indica-ta) constituebant; latitudo horum segmentorum lineis 2. æqualis, nonnullorum tamen interiorum paullo amplior erat, omnia autem in mucronem acutum, non tamen pungentem, se terminabant & interius quodammodo concava se repræsentabant. *Color* extimorum segmentorum in exteriori quidem superficie ex viridi & luteo obsoletus, in interiori vero penitus aureus splendensque comparebat, quo reliqua in utraque superficie fulgebant, adeoque coronam auream amoenissimam repræsentabant, cuius splendorem multum exaltabat candidus prorsus & argenti instar nitens corollæ color.

Hæc *corolla* autem campanam quasi referebat patentem regularem *tab. XIII.* ita tamen, ut ejus segmenta seu petala neque dissociata neque in planum expansa essent, sed circa tubi fauces, pollicem diametro vix superantes, imbricatim collecta paulatim eousque a se invicem secedebant, ut limbum 3. pollicum diametro formarent. Componebant autem hanc corollam 28. petala tenerima, firmiter tamen expansa & erecta segmentisque calycis longitudine ferme æqualia *tab. XII.*, multo vero latiora *tab. XIII.*, ita tamen, ut ex angustiori basi sensim sensimque latescerent & in mucronem obtusum se terminarent, neque vero omnia amplitudine inter se convenienter, sed alia angustiora, alia latiora essent, hæc autem, ubi latissima, duas tertias pollicis partes circiter æquarent. Formabant hæc segmenta triplicem quasi ordinem, & quædam extimorum reliquis erant angustiora atque præterea a tergo aureo adhuc colore, sed quasi per fascias tantum (quas repræsentat figura Volkameriana ita, ut primo intuitu laciniata appareant) tincta, omnia autem per totum ambitum suum equidem non denticulata, aliqua tamen apicem versus hinc inde incisa reperiuntur,

*Aureum* atque *argenteum* illum floris hujus amictum magis adhuc ornabat *smaragdinus* color, qui, talis saltem ex lumine transparente apparet, ex tubi cavo emicabat. Augebat porro splendorem innumerabilem ferme *staminum* duplicis ordinis copia: alia namque, 80. circiter, ipsis corollæ faucibus adhaerebant ejusque segmentis proxime adstabant, eorum longitudine vix pollice breviora, & omnia, maxime in inferiori floris dimidio, sursum paullulum incurvata erant *tab. XIII.*, quadruplo plura autem, ultra 300, ex ipso tubi fundo proveniebant, non omnia tamen ejusdem longitudinis: siquidem illa tantum, quæ infimo floris lateri accumbebant, longissima & illis primi ordinis

æqualia, superiora vero multo & quasi gradatim breviora, immo extra tubi fauces vix prominentia se sistebant, omnia autem, in fasciculum quandam collecta, inferiori floris dimidio accumbebant: singula namque constabant ex filamento tenuissimo adeoque pro tanta longitudine infirmo, & nihilominus tamen extremo suo arcus in modum sursum pariter se incurvabant *tab. XIII.*, omnia autem utriusque ordinis albida erant & singula in antheram, seu apicem rectum oblongum bilocularem & luteum se terminabant, cujus conformatiōnem *tab. XI. fig. 8.* in magnitudine naturali & aucta distinctius repræsentat. Inter hæc stamina comparebat denique *stylus* non minus pulchre formatus & staminibus longitudine ferme æqualis, si excipias extremi sui fimbrias, quibus, adhuc protensis & nondum explicatis, extra stamina prominet: albidus etiam & satis quidem crassus est, sed pariter deorsum inclinat. Extremum ejus in 21. lacinias seu fimbrias molles angustas & laecephalatas magisque flavescentes abibat, quæ pariter media demum sub nocte penitus & radiorum in modum se explicabant *tab. XI. fig. 9.*, simulque styli cavitatem orificio satis patulō manifestabant. Ad latera corollæ notabilis copia reperiēbatur pulveris ab antheris explosi.

Flos hic, ut commodius & observari & depingi potuerit, in conclave translatus tam fortē spirabat odorem, ut non solum tabaci furnum, quo mecum tres amici ad spectaculum hoc tunc prima vice oblatum invitati interea conclave hoc mediocris spatiū replebant, fragrantia sua superaret, verum etiam tam gravis tandem fieret, ut fenestras aperire necesse fuerit. Non possumus, quin hac occasione devota mente suspiciamus omnium rerum creatoris & conservatoris ineffabilem omnipotentiam: ex crevit hæc stirps & insigne augmentum cepit, simulque quotannis tam ingentes & tam pulchre ornatos flores, qualitatibus præterea excellentibus præditos, produxit nutrita parvo volumine

terræ

terræ per 20. annos non mutatae, nec ullo additamento, si levem aquæ simplicis accessum excipias, imprægnatæ: dum nulla mortalium ars ne unicam cum odore tantum comparandam particulam ex pabulo hoc elicere valet; sed redeamus in viam.

Hactenus descriptus flos hic magnificus in conclavi in alterum diem relictus summo mane jam reperiebatur eousque mutatus, ut non solum calycis segmenta omnia iterum complicata corollam ut antea tegerent & cum hac, pariter tabida, cavum floris clauderent, verum etiam utraque splendorem suum amitteret, totaque floris facies non nisi tristis & flaccida, si tubum adhuc rigidum excipias, compareret & debilem tantum odorem reliquum spargeret, adeoque rerum mundanarum vanitatem graphicè depingeret: hinc eleganter de hoc flore scripsit LINNAEVS H. Cliff. p. 182.: *Mirus naturæ lusus.* In planta tam simplici, nulla, indigna, dejecta flores prognoscantur de principatu cum omnibus certantes, hi sola nocte floreant pulcherrimi, odoratissimi, maxime colorati, unicâ nocte diu exspectati: itemque PLVKENET Mantiss. l. c.

*Ostendunt terris hunc tantum fata;*

*Nec ultra esse sinunt.*

*Vix enim florens defloruit, vix olens exolevit.*

*Apparuit simul & aruit.*

Quum fructus successuri spes exigua vel nulla, accuratius vero interiorum examen adhuc supereret, totum florem unacum ovario abscidimus & per longitudinis medium dividimus, atque hinc ea, quæ tab. XI. fig. 10. & tab. XII. fig. 2. 3. 4. delineata sit; conspeximus: nimirum 1) ovarii medium formare

cavum quoddam (quod *tab. XI. fig. 10. a. a. tab. XII. fig. 2. a.* in naturali, *fig. 3.* in aucta magnitudine repræsentat) non tamen penitus vacuum, sed maxima ex parte, præcipue ad latera ejus, repletum peculiari substantia molliori & quasi fungosa, quæ lente optica examinata *fig. 3. 4.* innumerabilem copiam filorum ramosorum globulis onustorum oculo sistebat; 2) *stamina secundi ordinis* oriri ex tubi lateribus ita, ut illa ad unum pollicem supra ovarium *tab. XI. fig. 10. b. b.* & duos pollices infra corollæ segmenta *c. c.*, & quidem inferiora densissime superiora paullo rarius provenientia, distinguui potuerint; 3) *stamina primi ordinis* ad corollæ segmentorum ortum cum his quidem concreta esse *d. d.*, eorum vero progressum usque ad stamina secundi ordinis per lineas et clarissime patere, proindeque nullum dubium esse, quin omnia communicent cum receptaculo sic dicto & hoc in flore ad ovarii verticem se manifestante; 4) *corollæ continuationem* per integrum tubum ex candore suo distingui quidem posse, cæterum autem ejus compagē cum illa perianthii seu calycis arctissime & sine ulla divisionis nota cohærere; 5) *stylum* ex ovarii verticis seu receptaculi medio *f. (conf. tab. XII. fig. 2. 3. b.)* oriri, ad tubi flexionem se accommodare *g.*, extra hujus oras vero demum deorsum flecti *h.* & fimbrias sui extremi *i.* iterum contrahi; 6) totum tubum *humore viscoso* melleæ dulcedinis scatere & ejus partem inferiorem seu fundum eodem penitus repletum esse.

### Sectio III. Observationes.

**Q**uum postea quotannis minimum unus flos, saepius plures, tum in hac stirpe tum in aliis interea depactis in conspectum venissent, ex iteratis observationibus quædam hactenus annotatorum ut ordinaria, nonnulla ut variantia, deprehendere licuit,

cuit, quæ sunt sequentia: 1) nunquam ex sulco, semper ex acie costæ provenit flos, & quidem nonnisi proxime supra quendam spinarum fasciculum; quum vero eodem in loco propullulent quoque rami seu novi caules: nondum invenire potuimus notam, ex qua cognosci posset, ubi vel ramus vel alabastrus prorupturus sit, licet villorum differentia utrumque prorumpentem statim distinguat. 2) Unum eundemque caulem & unam eandemque ejusdem costam plures producere valere flores, uti etiam caules laterales, certiores aliquando facti sumus, dum supra spinarum fasciculum secundum, sextum, duodecimum & decimum tertium ejusdem costæ uno eodemque anno flos prodiit & ad perfectionem pervenit hoc temporis intervallo, ut ordine secundus d. 5. Augusti primum, duo ultimi & sibi proximi simul d. 19. Augusti, primus vero denique d. 1. Septembri se explicaverint: ex quo concludere licet, hanc stirpem in patrio solo esse florum feracissimam & spinarum areolas magis ad flores quam novos caules producendos dispositas. 3) Junio & Julio mense, rarius jam Majo & rarissime Aprili, in conspectum venit alabastrus, exigu globuli villosi sub specie, qui trium circiter mensium spatio ad perfectionem suam perveniens spithamæ longitudinem attingit; quando autem serius prorumpit alabastrus, & autumno appropinquante frigidior aura supervenit, hæc ejus perfectioni obstat, nisi caldarium succurrat, cuius exemplum sistit KIRSTE-  
NII observatio citata. 4) Tubus floris ab initio jam literæ in-  
versæ instar flexus est, talis etiam permanet, magis magisque tamen se extendit. 5) Quando alabastrus ad suam perfectionem pervenit, vespera accidente calycis segmenta magis magisque dehiscunt & extima a nexu suo solvuntur incurvanturque. Tem-  
perata sub tempestate jam ante solis occasum, sub æstuosa autem tardius, omnia tam calycis quam corollæ segmenta visibilem con-  
cipiunt motum & sensim sensimque se expandunt & erigunt, si-  
multaneo

mulque orificium ad interiora conspicienda per lentos gradus parant, quod jucundissimum spectaculum per duas tresve horas durat, usque dum penitus expansus sit flos. Anno 1738. d. 9. Iulii, quo Farenh. barometrum ad 28. dig. 1. lin. & 2. scr., thermometrum ad 39. gr. 3. part. perveniebat, ventus ex W. flabat, tempestas vero ante meridiem nubila atque subpluvia, post meridiem subserena attamen non aestuosa contingebat, duo flores simul se expandebant sexta hora, adeoque duas ferme horas ante solis occasum, sub quem uterque jam penitus ferme expansus erat. 6) Status perfectæ expansionis vix tres quatuorve horas durat, tum autem & calyx & corolla iterum sensim sensimque se contrahunt simulque tabescunt, nisi aura frigidiuscula accedat, quæ contractionem diutius moratur. Ambo illi flores modo memorati usque in alterius diei horam antemeridianam decimam absque ulla mutatione expansi permanebant & sub meridiem demum se penitus claudebant, quo die barometrum ad 2. scrup. descendebat, in thermometro vero 35. grad. 2. part. tantum numerabantur, ventus ex W. quidem adhuc spirabat, sed tempestas frigidior & magis pluvia reddebat. Hæc quum postea sub iisdem conditionibus sæpius observavimus, aliquando calidiori sub temestate ejusmodi florem expansum post medium noctem in cellam frigidiusculam ponendum curavimus & altero die deprehendimus, eundem post horam demum nonam matutinam vigorem suum perdere cœpisse. 7) In amplitudine & longitudine totius floris perfecti notabilem differentiam nunquam deprehendimus. 8) Calycis segmentorum numerum ultra 64. & infra 58., corellæ vero ultra 28. (KIRSTENIVS 34. indicat) & infra 22. nunquam numeravimus. 9) Corollæ orificii diameter inter pollices 2.  $\frac{1}{2}$ . & 3.  $\frac{1}{2}$ . differebat. 10) Styli extremi fimbriæ nunc 17. tantum, nunc plures, semel 23. reperiebantur. 11) Odor floris tunc demum insignis percipiebatur, quando aura

paullulum refrigeruit, id quod pluribus floribus odoriferis commune est. 12) Sæpius reliquimus in stirpe, & libero aeri concridita & in caldario asservata, flores illæsos; sed omnes intra 14. dies, alii citius alii tardius, unacum ovario a stirpe sponte sua secedente perierunt, postquam flos intra octiduum jam contabuit & penitus exaruit, nunquam tamen (secus ac in Cereo Surinamensi contigit, & nos horum Actor. Vol. III. p. 401. annotavimus) se ab ovario separavit, sed huic firmiter adhuc junctus decidit, separationis tamen seu receptaculi locum monstravit hac nota, quod ovarium succulentum persistit, et si nullum augmentum ceperit, nec ullam vel cavitatis suæ vel externæ conformatio[n]is mutationem subierit, si excipias colorem in pallide rubentem, adeoque illi fructus plenam maturitatem consequuti (quod mirum) valde similem, pedetentim mutatum.

## Sectio IV. Cerei triangularis brevis Historia.

**A**ntequam ulterius progrediar, liceat hic inserere *Cerei triangularis vulgo dicti* brevem historiam atque imaginem tab. X. fig. 14. repræsentatam, quia porro dicenda non solum valde illustrat, verum etiam floris ejus icon a nullo, quantum scimus, hueusque in publicum producta est. Moneamus autem necesse est, eandem nobiscnm benebole communicasse Excellentiss. D. D. & in Universitate Altorfina Professorem celeberrimum JO. JAC. JANTKE, qui ante paucos annos in horto Academico bona fortuna hunc florem ad perfectionem perductum observavit & vivis coloribus depingendum curavit. Singularis omnino est hæc observatio: nos a 20. jam annis ejusdem stirpis plures soboles æque ac alias *Cerei* species in horto domestico

alii

aluimus; sed nunquam floris vestigium deprehendimus, id quod vero in hortis Europæ celeberrimis pariter hucusque contigit: in Anglia certe, ubi stirpes exoticæ summo studio coluntur, nondum hanc speciem flores exclusisse, testis est PHIL. MILLERI *Gardeners Dictionary*.

Ex propria ergo observatione nihil addere possumus, & propterea id tantum nobis reliquum est, ut auctores primarios indicemus, qui hujus stirpis mentionem fecerunt & plura de eadem retulerunt. Occurrit autem apud eos hoc nomine:

*Cereus Peruanus amplexicaulis articulatus, fructu rotundo maximo coccineo* Herm. Par. Bat. Prodr.

*Cereus scandens minor trigonus articulatus, fructu suavissimo* Herm. Par. Bat. p. 118. Boerh. Ind. Alt. I. p. 293. Mill. dict. n. 9. cuius supra p. 188. iam mentionem fecimus.

*Cereus Americanus triangularis radicosus* Bradley Plant. succul. Dec. I. p. 4.

*Cereus scandens minor, the Pryckly Pear - Vine* Hughes natural history of Barbados p. 186.

*Jamacaru Marggr. Brasil. hist. p. 23. & Jamacaru I. Pison.* Ind. utriusque hist. nat. & med. p. 188.

*Ficoides triangulare articulatum, amplexicaule,* spinis brevioribus obsitum Plak. Almag. p. 148.

*Ficus Indica folio triangulari ensiformi profunde* canaliculato stellatim aculeato Raii Hist. T. III. dendrol. p. 20. Sloane Itinerar. T. II. p. 155. n. 13.

*Melocactus Americanus repens trigonus, flore albo, fructu violaceo* Plum. pl. amer. catal. p. 19. Tournef. inst. R. H. p. 653.

Cactus

*Cactus triangularis scandens articulatus* Linn. H.  
Cliff. p. 182. n. II.

Ab his auctoribus plura adhuc citantur synonyma, sed extra dubium nondum positum est, num omnia huic stirpi legitime competant. Ita v. gr. HERMANNVS l. c. ex relatione peregrinatorum addit, hujus stirpis fructus nomen apud Americanos esse *Pythabaya*, ejusque descriptionem convenire cum illa, quæ hoc nomine prostat apud JO. EVSEB. NIEREMBERGIVM Hist. nat. L. XIV. C. LXXX. p. 326; & JO. de LAET Descr. Ind. Occid. L. IX. C. XII. p. 389. BOERHAAVIYS vero l. c. hoc nomen absque hæsitatione ut synonymum huic speciei jungit. Sed peregrinatorum, nulla scientia botanica instructorum, comparationes stirpium valde erroneæ sunt, NIEREMBERGII descriptio imperfecta est, & de LAET præter nomen nil adducit, quam quod urinam tingat colore plane sanguineo, sine noxa tamen, qui effectus vero multis ejusmodi fructibus communis est, vid. Raj. l. c. Si porro icon, quam PARKINSON *Theatr. Bot.* p. 1628. ex OVIEDO *Pita baya Americanorum* nomine sistit consideratur, nulla sane comparatio cum hac stirpe locum habet, & quum *Melocactus foliosus* & *squamofus* Bobart. Hist. Ox. T. III. p. 171. eadem Oviedi iconē Sect. VII. tab. 7. fig. 6. repræsentetur, facile apparet, quo jure hic etiam a SLOANE l. c. inter synonyma recenseatur. BOERHAAVIO præterea & cum hoc LINNAEO idem quoque est *Ficoides Americanum* sive *Cereus erectus cristatus*, *foliis triangularibus profunde canaliculatis* Pluck. Almag. p. 147. Phytogr. tab. XXIX. fig. 3. sed hæc stirps non solum vi nominis erecta est, verum etiam talis pingitur, quæ figura nil plane commune habet cum nostra stirpe, præter tres cujusvis rami costas; accedit, hanc speciem a no-

stra differentem recenseri a MILLERO l. c. n. 10. & a RANDIO  
*Hort. Chelſ. p. 48. n. 8.*

Nullus horum auctōrum iconem hujus stirpis exhibet, niſi BRADLEY, ſed absque flore, & MARGGRAVIVS atque PISO, quæ eadem eſt, & hanc quidem onuſtam floribus & fructibus, ſed valde rudi manu adumbratis nec cum deſcriptione eorundem auctōrum convenientibus. Quum vero hæc eadem deſcriptio cum imagine Altorfina proxime conueniat, eam illustrationis grātia transcribere liceat, & quidem ex MARGGRAVIO, quæ paululum diſſert ab illa PISONIS & in tēgra hæc eſt: *Familiā Arecarū*  
*Brasilienſibus, Lufitanis Cardon.* Fruticibus aut arboribus ad-  
naſcitur spinosa hac planta tenues radices habens, quibus ſe illis  
inſerit. Folia ejus crassa, triangularia, vario modo ſibi invi-  
cēm appoſita ut in Ficu indica: quodlibet foliū latus digitum eſt  
latum, ſubstantia ſolida in ſtar Aloes ſive Tunæ. Folia viridia,  
ſucculenta ſucco viſcidio, haud maniſteſto tamē ſapore prater her-  
baceum. In extremitatibus angularibus foliorum, ſequi digiti  
fere intervallo, spinulae acuta juxta ſe poſitæ ſunt quatuor cinerea.  
Ad eadē etiam extremitates provenit fructus, cujus rudimen-  
to factō otto digitorum longitudine provenit in ejus ſummitate  
floſ (ſuavis odoris, cæterum Nymphææ majori ſimilis, Piso)  
exterius conſans quadraginta circiter (multis, Piso) foliis, viri-  
dibus, anguſtis, (oblongis, Piso) tres aut quatuor digitos longis,  
interius autem circiter viginti albiflaminis, latioribus quam viridia  
illa, in medio copioſiſſima ſtamina flava, luteis apicibus, ſpongiformi-  
bus; & in medio horum columna flava rotunda, ſuperius in mul-  
tas partes ſciſſa & diducta. Floſ dulcis & naſeabundi odoris.  
Fert fructum ovalem magnitudine ſtrobili & talis figura,  
covalis figuræ & plus minus magnitudinis, Piso) eminentiis trian-  
gularibus conſtantem. Totus fructus corticem obtinet cortici at-  
rantiī mali aqualem, interne & externe colore lacca & Florentina  
humē-

humectatae, elegantissimo (triangulata autem eminentia seu acuminata sunt ex viridi flava) seu lacca & cinnabri mixtorum; intus continet carnem ex albo cinereum, (albam, Piso) succulentam, sapidam, refertam seminibus nigris splendidissimis, magnitudine & colore seminibus Aquilegia similibus; que unacum carne comeduntur. Quibus PISO haec addit; Præterquam quod ob delectabilem fructuum fragrantiam & ob succum ex acido dulcem, ab effluantibus expetuntur: febricitantibus imprimis & biliosis convenienter recentes, quod grato acre palatum afficiant, & sitim sedent, cor ac ventriculum mire reficiant. Succus denique ex hac planta extractus, febribus ex bile natis medetur,

Qui hanc descriptionem cum illa reliquorum auctorum citatorum confert, nonnullas differentias observabit. HERMANNVS in floribus siccis quinque tantum petala e viridi pallentia numeravit. Quum PISO de Jamacaru I. affirmet, pulpam fructus esse candidissimam (albam tantum describit) HERMANNO vero relatum sit, Cerei, quem indicavit, fructum intus & extus elegantiissime rubore, dubiam ipsi oritur, num Jamacaru Pisonis stirps sit una eademque. SLOANE hanc floris & fructus descriptionem suppeditat in latinum sermonem a RAO I. c. versam; Flores ut in aliis hujus generis e foliis egrediuntur; primo apparet tuberculum rotundum, lanuginosum, quod postea augescit, & folia multa oblonga e viridi rubentia ostendit, alia aliis squamatim incombentia, plura pralonga alba petala includentia, medium occupantibus multis oblongis staminibus; totum hoc Lilii albi aut potius Nymphaeæ alba florem refert. Fructus deinde qui subest intumescere incipit, & flore decidente augescit, donec Pomi medicris magnitudinem assequatur, protuberantiis in superficie pluribus inqualis, colore per maturitatem flavo cum levi tinctura rubri, aut ad Aurantiacum accedente; sub cute tenui albam, dulcem & jucundam pulpam includens, plurimis parvis nigricantibus

*tibus seminibus intermixtis, ut spermatozoonarum similis videatur.* Descriptio, quam HVGHES suppeditat, valde brevis est: *Florem* nominat rosaceum, longiusculo petiolo bulboso insitentem; petalorum numerat 16. duorum pollicum longitudine & apice obtuso, quæ adeo tenuia, ut illis supposita dignosci queant. Addit, hæc suffulciri ab aliis foliis viridibus calycinis, stylum esse longum & firmum, circumdate copiosissimis albis staminibus, albidis apicibus coronatis. *Fructum* maturum obtainere figuram ovalem & magnitudinem ovo gallinæ indicare aequalem; corticem, maturitatem plenam consequutum, sistere se exterius saturate purpureum & ad singulas dimidii pollicis distantias squamis triangularibus acutisque ut & fasciculis exiguarum, pungentium tamen, spinarum distinctum; interiora denique ejus repleta esse purpurascente solidaque pulpa exiguis maculis albidis varia, ceterum succulenta & grati saporis. Atque hæc sufficient.

## Sectio V. Cerei character.

**A**d generis characterem cuiusvis stirpis rite definiendum potissimum requiri floris & fructus conformatiōnēm cognitam factam, nostro ævo communis sententia est omnium auctōrum systematicorum, licet circa regulas, secundum quas ex his formandū sint characteres, pauci consentiant.

Quum Cerei Surinamentis, a. 1731. altera jam vice apud nos flores edentis, descriptionem pararem, idem argumentum jam exposui: *vid. hor. Actor. Vol. III. p. 393.-410.* Annotata, quæ ibidem leguntur, cum hactenus expositis collata, satis declarabant, quoque hæc ambæ species notis genericis convenient, & specificis differant.

*Florem* polypetalis adscribendum esse, communis est ferme opinio auctōrum, quos *ibid. p. 395.* citavimus, & ad quos adhuc pertinet van ROYEN &c. immo etiam LINNAEVS. Licet enim

enim hic H. Cliff. in hujus floris descriptione moneat : *Corolla alba, calyci adnata ita, ut flos polypetalus vel monopetalus dicendus vix constet; pergit tamen hisce: Petala itaque circiter viginti, duplice serie disposita, lanceolata, longitudine limbi calycis, sed duplo latiora, obtusa, sessilia, adnata calycis limbo;* & dum Gener. Plantar. Edit. I. n. 390. Edit. II. n. 466. hujus generis characteres definit, non solum inter characteres classis, quæ ipsi audit *icosandria* & ad quam hoc genus refert, ponitur *Corolla unguibus parieti calycis affixa*, verum etiam inter characteres hujus generis proprios recensentur *Petala numerosa, obtusiuscula, lata, exteriora breviora, interiora majora, conniventia*. Nonnullos tamen etiam hunc florem pro monopetalo declarasse, testis est HEVCHERVS Ind. H. med. Ac. Vitemb. p. 22., LVDWIGIVS Definit. Pl. p. 24. & edit. auct. p. 44. n. 162. (ubi petala plura inter se & cum calyce coalita dicuntur & genus hoc refertur ad classem I., quæ plantas flore perfecto, simplici, regulari, monopetalo comprehendit) van WACHENDORF l.c. atque HEISTERVS System. Pl. p. 10., ubi inter plantas flore monopetalo multifido occurrit, quibus accedit DILLENIVS H. Eith. p. 73 ubi *Cereum Scolopendrii folio brachiato* depingit & describit ejusque florem definit ex herbaceo albicantem in plura (novendecim & viginti) segmenta oblonga, interiora breviora, angustiora & albidiora, exteriora longiora, latiora & viridiora, ad pedunculum usque, qui non nisi floris tubus est, divisum &c. Atque omnino corolla accurate examinata clarissime demonstrat, non solum ejus segmenta ad tubi fauees absque ulla ulteriori divisionis nota inter se cohærere, verum etiam ad ovarium usque extendi, cum calycis tubo autem arctissime concreta esse, id quod fusius in specie Surinamensi Vol. III. p. 401. & in hac specie superiori pag. 196. exposuimus, itemque tab. XI fig. 10. ut & Plantar. selectar. tab. XXXI. fig. 2. demostravimus atque præterea in *Cereo minimo articulato polygono spinoso* Boerb. Ind. Alt. I. p. 294. n. 12. deprehendimus & Plantar. selectar. tab X. Y. fig. b. in flore ejus pariter per longitudinem dissecto & depicto repræsentavimus, ex quibus satis patere, persuasi sumus, nullo jure hujus generis flores polypetalis accenseri posse.

Quod ad *calycom* attinet, hunc monophyllum esse in segmenta plura supra tubum divisum, omnes consentiunt; hac occasione autem monemus, eum quidem in variis speciebus (v. gr. in serpente & triangulare, de quibus haec tenus sermo præcipue fuit, ut & in *Cereo altissimo graciliore, fructu extus luteo intus niveo, seminibus nigris pleno* Sloan, *Itinerar.* II. p. 158. & nostrar. *Plantar. select. tab. XIV.*) & tubi & segmentorum colore, ut & horum figura, a corollæ segmentis penitus distingui; in nonnullis vero hanc differentiam minus observari. In Cereo Surinamensi figura & color segmentorum calycis ab illis corollæ non nisi per gradus ita mutatur, ut difficile sit utrorumque discriminem discernere, *vid. Vol. III. pag. 400.* & *conf. p. 404.* In Cereo Boerhaavii 12. supra citato color tubi ejusque & corollæ segmentorum idem pene est & horum figura ex angustiori in latiore expansionem iterum nonnisi per gradus observatur. Ita etiam DILLENIVS in specie supra indicata differentiam inter calycis & corollæ segmenta tam lucentiam non inventit, quod ex verbis ejusdem ibidem citatis satis patet, figura quoque declarat. Propterea autem nemo huic flori calycom a corolla distingueadum denegabit, potius iis in speciebus, ubi distinctio dubia videtur, secundum differentiam, quæ in aliis manifesta est, dijudicabit. Alia porro varietas occurrit: in nonnullis enim speciebus (v. gr. in *Cereo Surinamensi Vol. III. p. 400, tab. VIII. fig. 1. D.*) calycis tubus est quidem angulosus, sed ubique glaber; in aliis vero (v. gr. *Cereo serpente, Cereo triangulare, Cereo fructu extus luteo intus niveo Select. Pl. tab. XIV. Cereo minimo ibid. tab. XXX, Cereo Scolopendrii folio Dill. (epius citatis)*) foliosus. Denique sub his foliolis in quibusdam speciebus prodeunt plures villi rigidæque setæ, quibus aliæ penitus carent. Foliola ergo tubi squamosa æque, ac ejus vel lævitas vel asperitas, non ad generis sed speciei notas pertinent.

In conformatione *staminum* nullam varietatem notabilem in speciebus hucusque examinatis invenimus, si excipias numerum & longitudinem in Cereo Boerhaavii 12, multo minorem, *Stylus* quoque, & præcipue ejus extremum in plures fimbrias seu stigmata divisum, in singulis ejusdem est structuræ, si iterum modo cita-

citatam Boerhaavii speciem excipias, in qua styli extreum format capitulum nonnunquam simpliciter oblongum, saepius vero trigonum vid. *Plantar. select. tab. XXX. fig. f. f\*. g. h.* quæ species omnino magnitudine & omnium partium numero reliquis longe inferior est, ceterum autem, ob habitum totius stirpis itemque floris & fructus structuram valde similem, omni jure ad idem genus refertur.

*Fructus* denique adhuc novellus, seu ejus rudimentum primum, manifestam in medio suo ostendit cavitatem satis notabilem, cuius latera undique innumerabilis filorum, oblongis vesiculis onustorum, copia obsidet vid. *tab. XI. fig. 10. XII. fig. 2. 3. 4.* & *Vol. III. tab. VIII. fig. 3. 4. 5.* ut & *Plantar. select. tab. XXX. fig. b.* quam cavitatem etiam indicavit de JVSSIEV *Mem. de l' Acad. Roy. des Sc. à. 1716. edit. Paris. p. 149. edit. Amstel. p. 194.* ut & LINNAEVS *H. Cliff. l.c.* Ex his autem filamentis mirabili mutatione postea oriri substantiam continuam atque carnosam mollem, pulpæ plerumque similem, & permulta semina exigua foventem, docet *tab. X. fig. 2.* ut & *Plantar. selectar. tab. XIV. & tab. XXX. fig. p.* Eandem structuram in fructibus maturis aliarum specierum inveniri, asseruerunt jam HERMANNVS de omnibus Cerei speciebus in genere & de nonnullis ligillatim *Parad. Bat. p. 112. seqq. SLOANE Itinerar. Vol. II. p. 155. seqq.* (& secundum hunc RAIUS *Hist. T. III. Dendr. p. 20. seqq.*) DILLENIUS *H. Elth. p. 74. HVGHES l.c. p. 136. & 186.* itemque BOERHAAVIVS *Ind. Alt. P. I. p. 293. LINNAEVS Gen. Pl. edit. I. n. 390. II. n. 466. LVDWILGIVS Def. Gen. Pl. n. 162.* & oīnnes, qui hos sequuti sunt. His ergo observationibus melius eductus luberis meritoque agnoscere hallucinationem meam *Vol. III. p. 405. & 410.*, ubi cavum in fructus rudimento observatum tanquam constans & in fructu maturo quoque permanens indicavi & ex hoc characterem differentiae inter *Cereum & Opuntiam* seu *Tunam* æque ac *Echinomelocactum* seu *Melocactum* deduxi. Licet autem, quoad hanc fructus structuram, inter haec genera nulla omnino adsit differentia; reliqua tamen & potissimum exterior ejus facies satis superque differt. Ut enim fructus figuram ovalem & angulosam (conf. DILLENIUS *I. c. p. 75.*) vel tuberculis inæqualem Cerei, ubique vero æqualem Melocasti atque Opuntiæ, & præterea hujus cono inverso similem, illius vel subrotundam vel fusiformem (*vid. icones*

nes TOVRNEFORTII tab. 122. 425. HERMANNI Parad. Bat. p. 136.) taceam, Melocacti atque Opuntiae fructus manifesto umbili-  
co excavatus est, qui in fructu quorundam Cerei specierum pla-  
ne non (vid. DILL. l. c.) & in reliquis vix ejus vestigium depre-  
henditur. Quousque autem horum generum fructus structura  
inter se conveniat & naturalem affinitatem declaret: præter habi-  
tum totius stirpis, floris conformatio & figura eo usque se distin-  
guit, ut omnem comparationem excludat. Ceterum Cerei fru-  
ctus notam haud genericam, sed specificam, pariter ac in floris tu-  
bo, suppeditat ejus vel lævitas (*in Cereo Surinamensi & Scolopen-  
drii folio, itemque in Cereo erecto fructu rubro non spinoso Herm.  
Par. Bat. p. 114. 115.*) vel ex spinis (*in Cereo erecto maximo fructu  
spinoso rubro Herm. Par. Bat. p. 113. & erecto minori fructu spi-  
noso costarum numero variante Ejusd. ibid. p. 117.*) aut setis rigidis  
(*in Cereo serpente hujus Vol. tab. X. fig. 1. minimo Plantar. select.  
tab. XXX. fig. o.*) aut saltē foliolis (*in Cereo fructu extus luteo  
intus niveo Plant. sel. tab. XIV.*) persistentibus asperitas.

Ex his præmissis nunc demum integer Cerei generis chara-  
cter definiri potest, qui est:

**PERIANTHIVM I.** *Calyx* tubulatus inflexus in plura segmenta di-  
visus, ovario insidens & deciduus.

**PERIANTHIVM II.** *Corolla* ejusdem cum calyce figuræ, quoad  
tubum cum eodem concreta, & cum eodem decidua  
segmentis latioribus & plerumque colore distinctis.

**STAMINA.** *Filamenta* numerosa, longissima, filiformia, corol-  
læ tubo inserta, ejusdem limbo plerumque breviora.  
*Antheræ* oblongæ, biloculares, erectæ.

**PISTILLVM.** *Ovarium* infra calycis & corollæ tubum in medio  
cavum. *Stylus* staminum ferme longitudine, te-  
res, cylindraceus, secundum tubi flexuram curvatus,  
*Extremum* seu *stigma* plerumque multifidum.

**PERICARPIVM.** *Fructus* ovalis vel angulis vel tuberculis inæ-  
qualis, plerumque hispidus aut spinosus aut foliosus,  
non umbilicatus, unilocularis.

**SEMINA** plurima, subrotunda, pârva, splendentia, per integrum  
fructus substantiam pulposam dispersa.

**MEMORIA**  
VIRI EXCELLENTISSIMI ET EXPERIENTISSIMI  
**DOMINI**  
**GVILIELMI BERNARDI**  
**NEBELII**

Medicinæ Doctoris & Professoris Heidelbergensis ordinarii Sereniss. Principis & Electoris Palatini Medici aulici

Academiæ Naturæ Curiosorum

Achillis tertii

die XVIII. April. A. S. R. MDCCXLVIII.  
præmatura morte e vivis erepti  
amica manu delineata.

# HORATIVS.

Multis ille bonis flebilis occidit.



*Gründler sc. Hafca.*

## Quis talia fando Temperet a lachrymis?

**D**e vitæ humanæ diuturnitate aliter plane judicat Christo sacra cohors, ac voluptatibus emancipata multitudo. *Hæc summa felicitatis loco æstimat diu vivere, deliciis hujus vitæ, divitiis & honoribus diu frui, diu mirari alios quo-cunque bonorum genere in his terris beatos.* Illos vero summe infelices judicat, qui ante diem morientes inviti desinunt impuris lassari amoribus, aut regna vini sortiri talis, aut proprio condere horreo, quicquid de Lybicis verritur areis, aut denique tergeminis fulgere honoribus. *Illa contra se diu satis vixisse affirmat, si satis bene vixerit, & perfectam cum SENECA vitam judicat, si bene definias, ubicunque desines.* Gaudet hanc vitam esse

esse ambulatoriam , instare finem peregrinationis , sedis in patria cœlesti quietæ initium. Eo itaque feliores Christianos prædicat, quo breviori itinere ad domum patriam deferuntur, quo breviore stadio vitæ & cursus terminatur molestia, quo citius bene cursu functis affixa metæ corona traditur, æterno decore eorum ornatura verticem, qui, spretō voluptatum cœno, cœlestes solum immortalis animi delicias, purissima gaudia constanti anhelarunt desiderio. Præsertim illa gratiæ divinæ dispensatio , quæ nunc obtinet, quem novi fœderis vel testamenti vocare solemus, non permittit, vel ex brevitate vitæ fervoris divini, vel ex longævitatem favoris, certa colligere indicia. Non enim externa hujus vitæ bona, nec vita corporis longæva , bona manent fœderalia, quæ fuerunt, cum Jacobidis, leges fœderis antiqui & externi servantibus, diuturnam hæreditatis Cananeæ possessionem promitteret Deus sapientissimus. Spiritualia & interna sunt novi fœderis bona, vita spiritualis his in terris inchoanda, consummanda in cœlis. Successit felicissime antitypo typus, fœderi antiquo , privilegiis, beneficiis terrenis & transitoriis successerunt cum fœdere novo privilegia & beneficia cœlestia & æterna. Ideo cum Patriarcharum tam sollicite numerentur anni, & tam accurate definiatur longævitas, in tabulis novi testamenti nusquam descriptus reperitur vitæ terminus, ut quamdiu quis vixerit, satis constet. Jairi quidem Archi-Synagogi filia anno ætatis duodecimo mortua narratur Marci V, 42. Sed tamen vitæ per principem vitæ redditæ fuit, neque quot deinde in his terris exegerit, constat. Longam annorum seriem, non certum esse gratiæ divinæ indicium , nec vitam breviores pœnæ semper loco esse habendam , exemplorum cumulo probat experientia. Optimos enim quosque præmatura morte obire, pessimos vero diuturna frui vita, passim apparet. Horum vitam longiorem æque dignam esse lachrymis, quia diu nocere aliis possunt, qui diu pessime vivunt , ac illorum vitam breviores, quæ Ecclesiæ ac Reipublicæ commodis serviendi

di diutius occasionem eripit, facile largientur æqui rerum arbitri. In horum numero fuit Vir Celeberrimus & Experientissimus, GVILIELMVS BERNARDVS NEBELIVS, Medicinæ Doctor & Professor Publicus in Alma & perantiqua Academia Heidelbergensi, ac Serenissimi & Potentissimi Principis Electoris, Domini CAROLI THEODORI, Medicus aulicus, plus vice simplici Archiatri Electoralis munere functus, quem sero in cœlum redire, diuque interesse musis populoque Palatino, diu succurrere languentibus, optabant omnes, quem præmatura morte terris valelixisse, lugent sine ullo ordinis, ætatis, sexus, locorumve discrimine quicunque raram hujus Viri doctrinam, modestiam, experientiam & pietatem vel proprio, vel aliorum usu cognitam habuere.

Natus enim *Marburgi*, anno superioris seculi penultimo, nono post nonagesimum, pridie Idus Julias, nondum dimidiâ seculi partem vivendo explevit. *Marburgo* igitur, fœundæ illi studiorum & eruditorum matri, inclytæ Musarum in Hassia inferiore sedi, debetur hæc gloria, quod utilissimum rei literariæ & publicæ civem peperit.

Si a soli natalis celebritate aliquid honoris trahunt cœlestes animi, quod negari nequit, sane plus gloriæ & fulgoris ab his in terram effunditur patriam. Neque unquam, quæ NEBELIO utrique, parenti & filio, debet Cattorum Parnassus dissimulabit. Uterque famam *Marburgi* insigniter auxit, ut dubium videri possit, utrum magis Academiam illustraverit patris doctrina, an civitatem filii nativitas? Parens enim fuit Vir Excellentissimus ac Clarissimus DANIEL NEBELIVS, qui per annos complures summa cum laude in Academia Marburgensi docuit, quem deinde jure suo sibi vindicavit patria *Heidelberga*, primum in Academia patria tradentem artes medicas, deinde ad splendidissima aulæ munera Archiatri Electoralis & Consiliarii intimi evectum. Dignus

filio parens, dignus parente filius! Sed nec indigna mater omni  
 virtutum genere exultissima matrona, SARA CATHARINA,  
 consummatissimi illius *Jurium Professoris & Consiliarii Ecclesiasti-  
 ci Archi-Palatini* JOANNIS de SPINA, filia, paternarum virtu-  
 tum ex aſſe hæres. Hæc dupli maritum prole beavit, filia  
 nempe matrem, & filio patrem exacte referente, sed ita referen-  
 te, ut induſulo ſemper nexu, connubio elegantissimo paternis  
 cum maternis cohærerent virtutes. Filium hunc unicum, quem  
 DEO acceptum ferebant, DEO redditum & dicatum unice divi-  
 no honori servire optabant pii parentes. Imprimis huc curæ  
 omnes, vigiliæ, preces optimi patris dirigebantur, ut scopo crea-  
 tionis & redemtionis, id est, creatoris & redemptoris gloriæ cog-  
 noscendæ & celebrandæ aptum cum redderet ſollicita & prudens  
 educatio. Dotes ingenii ad ſtudia tractanda idoneas dederat pro-  
 vidum Numen ſtudiis ergo ſacratus eſt inde a pueritia GVILIEL-  
 MVS parentum voluntate. Ad ſtudia vero Medica & artes Ma-  
 chaonias excitabant ipsum & Patris & Majorum, quos Sereniffi-  
 morum Electorum Principum Palatinorum FRIDERICI III. & V.  
 & CAROLI LVDOVICI Archiatros fuiffe conſtat, consummatiſſi-  
 mum exemplar. Primum igitur in Parnasso *Heidelbergensi* præ-  
 cepta styli & Historiæ, Matheſeos, Physicæ ac Theologiæ natu-  
 ralis ducibus Musagetis Clarissimis *Philippo Ludovico PASTOIR*,  
*Friderico Gerhardo à LEVNENSCHLOSS*, *Joanne Christiano KIRCHMEIER* hausit, ac solidis his fundaminibus cura paterna  
 ſcientiam Medicam ſuperstruxit, Deinde *Argentoratum* conces-  
 fit, ubi imprimis Clarissimum Medicinæ Professorem, *Johannem SALZMANNVM*, audivit, & processibus Chymicis, ſectionibus  
 Anatomicis & demonstrationibus Chirurgicis quotidie interfuit.  
 Pertraxit deinde Basileam famæ *Bernouilliana* & *Mathematum*  
 amor. Ita tamen adhæſit acutissimo *BERNOVLLIO* in abditissi-  
 ma *Matheſeos* ac *Physices* penetralia ducenti, ut non neglexerit  
     Cele-

Celeberrima Theodori ZWINGERI, Nicolai HARSCHERI & Benedicti STEHELINI, qui artem medicam in Rauracorum Academia docuerunt, nomina. Ut publica doctrinæ assiduo labore parata documenta exhibuit *Dissertatio physica de Mercurio in vacuo lucente*, sub Præsidio Johannis BERNOVLLI summo cum aplausu defensa; ita præmia doctarum frontium, lauream Philosophicam, alumno bene merito imposuit mater studiorum, Academia Basileensis. His decorus ornamentis, laurea triumphali potioribus, iter literarium suscepit, Viros in arte medica exercitatisimos, MANGETVM, de FORT, CHENAUD, aliosque, Academia Genevensis & Scholæ Lausannensis præclara lumina, non salutavit tantum, sed & familiari usu, consultatione & imitatione totos in sua ac studiorum commoda convertit. Quem Heidelberga plantaverat Medicinæ studiosum, quem rigaverat *Argentina*, *Basilea*, *Geneva* & *Lausanna*, hunc per gratiam divinam proveatum ad maturitatem perduxit Heidelberga eadem studiorum initium atque finis.

Parens idem, qui studii medici auctor, suasor, inceptor, fuerat, & brabeuta fuit. Hic enim, quæ rara est felicitas, lauream medicam, seu summos Doctoris in arte medica honores, consenteiente inclyto Medicorum ordine, & Dissertationem Botanico-Medicam sine Præside defensam, *de plantis doriferis usualibus*, communī calculo approbante, publice, in numeroſo Academiæ non procerum & civium ſolum, ſed & hospitum confeffu filio optime merenti paterna largitus eft manu. Studiorum hæc meta fuit, at non finis. Non potuit etiam domeſticis parietibus circumſcribi infatiabilis ad ſumma contendendi ardor. Denuo ad *Argentinensem Academiam* pellexit desiderium scientiæ Anatomicæ ad majorem perfectionis gradum evehendæ. Verum non licuit diu intereffe musis *Argentinibus*. Optimum Numen in NEBELIVM larga manu contulerat non ſolum discendi dotes, ſed & do-

& docendi dona. Non satis implet officia hominis & Christiani, nec satisfaciunt creationis & redemptionis scopo, qui discunt ut discant. Hi sibi suæque utilitati consulunt, non aliorum, non Societatis, non Ecclesiæ aut Reipublicæ. Scientia discenda, ut doceas, emenda, ut reddas, imbibenda, ut vivi fontis instar largiter eructes. Scire tuum nihil est, nisi te scire, hoc sciat alter. Maledicere solemus agris, qui semina accipiunt semper, nunquam reddunt. Alia plane mens fuit NEBELII nostri. Primam quamque docendi, & quæ ipse avide hauserat aliis instillandi, occasionem arripuit. In *Academia Basileensi* Mathesin privatim tradidit jam diu ante, quam *Professio extraordinaria Physica experimentalis* ipsi cederetur in *Academia Heidelbergensi*. Cessit igitur *Heidelberga Argentina*, cessit discendi cupido desiderio juvandi aliorum commoda. Accepit lubentissime oblatam Spartam academicam. Cœpit esse *Patris Collega*, sed non desiit esse discipulus. Simul dabatur docendi & discendi occasio. Ita enim comparatum est cum omni vita eorum, qui in litteris tractandis versantur, discunt ut doceant, docent ut discant. Neque solum *Academia Heidelbergensis*, sed & inclyta *Academia CÆSAREA Naturæ Curiosorum* docendi dedit facultatem. Eodem enim tempore utraque dignum judicavit NEBELIVM, qui Collegii sui Sociis adjungeretur. Illa *voce & scriptis*, hæc *scriptis* docendi honorificentissimam dedit occasionem. Facile est judicatu, quantum Nebeliano nomini inde accesserit decus. Titulus *Doctoris* est summus, quem *Respublica literaria* dare potest, honos. Sed tamen & indignis eundem conferri, tristissima docet experientia. Manus *Professoris* academicī à sapientissimis Collatoribus impositum, probat, non vanum sine re nomen jactari. Sed tamen sæpe proh dolor! non titulus & nomen datur rei, sed res titulo. Si vero Collegium toto orbe celebratissimum qualis est *Academia CÆSAREA*, si Collegæ, qui scientiæ Physicæ incrementa, ad-

Creatoris gloriam illustrandam, unice in votis habent, qui non alia, quam huic fini apta adoptant membra Societatis, qui de membrorum donis ad hunc finem idoneis optime judicare possunt, si illi, inquam, quibus non deest recte judicandi aut potestas aut voluntas, publicum eruditionis, sagacitatis & experientiae testimonium exhibeant, quæ superest dubitandi materies, quæ causa, quis prætextus? Sane NEBELIO nostro insigni ornamen-to apud peritos rerum arbitros fuit nomen ACHILLIS tertii in Academia CÆSAREA Naturæ Curiosorum. Crevit occulto velut arbor ævo ipsius fama. Movit hæc Serenissimos Nassavie Principes, Academia Nassavica Nutritores, ut unanimi consensu ad Musas evocarent Herbornenses publice traditum Mathe-seos & Philosophie naturalis præcepta omnibus scientiis insigni cum fructu accommodanda. Accepit hanc conditionem Noster & Professionem extraordinariam deseruit, ut fungeretur ordinaria. Annus fuit hujus seculi XXV, dies V. Kalendas Julias, quo Oratione inaugurali de Creatore Maximo in minimis habita, publicum docendi in Academia Herbornensi munus suscepit. Verum diu Musæ Palatina carere non potuerunt Viro, cuius eruditionem & in docendo perspicuitatem ac diligentiam cum fructu experta fuerat studiosa juventus. Vix igitur consumto inter Musas Nas-savicas sexennio, revocatus in Academiam Heidelbergensem, ut in munere Professoris Medicinae ordinarii magno Parenti viventi adhuc, sed unice saluti Serenissimi Principis Electoris invigilatu-ro, succederet. Paruit haud hæsitanter, & ubique paterna le-gens vestigia, summa cum laude per annos XX. Medicinam pub-lice docuit. Successit quoque parenti rebus humanis non sine publico luctu valedicenti, in munere aulico non quidem Archia-tri, ne Academiæ extorqueretur, sed Medici aulici, in quo ita versatus est, ut non Aulæ tantum, sed & Serenissimorum Princi-pum Electorum, CAROLI PHILIPPI & CAROLI THEODORI,

quorum valetudinem non semel ut fidelissimis, ita & felicissimis consiliis juvit, gratia & favore constantissime dum licuit, & ad extremum usque halitum vitae usus sit.

*Fasces academicos*, unanimi Senatus incliti consensu oblatos, bis summis, semel anno MDCCXXXVIII. iterum anno MDCCXLVI. qui novam Academiæ vitam per nova eaque præclarissima a Serenissimo Principe Electore, CAROLO THEODO- RO, gratosissimo Musarum statore & altore, concessa privilegia dedit, unde dulcis semper omnibus hujus Rectoratus memoria esse debet æternis Academiæ fastis perpetuanda.

Bis in Rectoratus limine Orationem dixit omnium calculo dignam, priorem de vera sapientia eorum, qui legibus obediunt, posteriorem de nexu pietatis & sapientiae induculo. Sæpius in cathedra *Dissertationum* argumenta exquisitissima ita tractavit, ut non tam defendere responderent, quam Auditores erudiret & delectaret.

Quacunque consummatum constituunt Medicum, quæ sparsum in multis; conjunctim in paucis comprehendis, in NEBELIO conspirabant omnia. Scientiis philosophicis non tinctus erat, sed penitus imbutus. Rerum naturalium dimensiones, causas, effe-ctus & fines; vires herbarum; structuram corporis humani, morborum causas, signa & medicamina. Mathematicam, Physicam, Botanicam, Anatomiæ, Physiologiam, Pathologiam, & quæcun-que alia ad artes Machaoniæ feliciter tractandas & accurate tra-dendas faciunt, cognita intime & explorata habuit. Neque sat-sis habuit doctrina medica suam & aliorum pascere mentem, sed usui pratico quam maxime intentus, summis ac imis prodesse, omnium sanitatem læsam restaurare, debilem confirmare, restau-ratam & confirmatam conservare, allaboravit. Quo juvandi alios ardore id effecit, ut simul aliorum amorem beneficiis sibi conciliaret, & suam augeret usum & experientia quotidiana peritiam.

Nocuit:

Nocuit tamen propriæ, dum aliorum consuluit valetudini. Quotidie præsentibus & opem implorantibus domi & foris, in urbe & rure, ad dissitas quoque avocatus oras, voce manuque absentibus succurrere calamo & litteris studuit. Noctis tempora, quæ quieti natura destinavit, ipse scribendis pro ægrotorum salute litteris dicavit. Ita facis instar concussæ & quassatæ latissimam sparshit lucem, sed ita, ut aliis inserviendo ipse consumeretur. Non sufficiebat enim illi dies dividendus inter curam ægrotorum & discipulorum, sciebat vitam mortalium æctioribus circumscriptam esse limitibus, quam ut satis diu votis omnium satisfacere possint periti Medici. Laboravit igitur in educandis & formandis Medicorum filiis, qui post fata Magistri communi hominum saluti servire possent. In medendo cautus, prudens, sagax, patientis, ardens, constans fuit, non opes, sed salutem ægrotorum cupiens. In docendo perspicuitas, ordo, suavitas, acumen, varietas emicuit. Hinc neque in docendo fructus, neque in mendendo successus, si modo medicamina ferret morbus, unquam defuit. Nihil tamen sibi suisque aut viribus, aut meritis, omnia Divinæ gratiæ accepta tulit. Cum sincere in quemcunque hominum, sine ordinis, ætatis, sexus, fortunæ ullo discrimine, amore firmo connubio copulata fuit pietas non fucata. Liberalis in egenos, in miseros misericors, in hostes mansuetus, fidelis erga amicos, in maiores humilis, benignus in minores, lenis in pares. Vir fuit omnium consensu vere bonus, qui id semper egit, ut quibus potuit, prodeisset, noceret nemini. Meruit igitur communem omnium amorem, non civium solum suorum, sed & Palatinæ gentis & finitimarum commune delicium. Rara hæc est felicitas, omnium frui amicitia, cum quibus versaris, nullius odio aperte peti, nullius prosciendi convitiis & calumniis. Hæc si ulli unquam obtigit, sane is est NEBELIVS. Publicam hanc felicitatem auxit privata & domestica. Contigit enim nostro digna Vi-

ro conjux, omnium virtutum choro decoratissima, MARIA  
 ELISABETHA, quæ patrem habuit, Virum amplissimum & me-  
 ritissimum *Johannem Wilhelmum WILHELMI*, Consiliarium  
 Electoralem in rebus ad militiam Palatinam spectantibus, & lega-  
 tionibus in aula Cæsaris obeundis præclare functum, prudentia,  
 pietate, dexteritate, humanitate, fide nulli secundum. Patri si-  
 milis filia non potuit esse dissimilis marito. Hinc suavissimus ani-  
 morum concentus, hinc arctissima amoris mutui colligatio, hiac  
 tam constans concordia, ut nunquam cum uxore in gratiam re-  
 dierit maritus, neque cum marito uxor. Beatum matrimonium!  
 in quo nullæ discordiarum nebulæ solem obfuscant. Nec prole  
 caruit auspicatissimum conjugium. Ex tredecim liberis intra an-  
 norum XXI. spatiū suscep̄tis quatuor supersunt, filius nempe  
 unicus *Daniel Wilhelmus* & filiæ tres, *Maria Catharina*, *Christi-  
 na Friderica*, & *Johanna Christina Wilhelmina*. Ille, in quo  
 cari stetit unica cura parentis, patriæ & avitæ virtutis æmulus,  
 divina favente gratia, in patriæ & illustris familie spem, latus  
 succrescit. Hæ felici, sed tamen vario gressu lectissimæ matris le-  
 gunt vestigia. In omnibus optima fulget spes, omnium stat mes-  
 sis in herba. Nihil ergo ad conjugii conjunctissimi & felicissimi  
 consummata gaudia deesse videbatur, quam diurnitas,  
 quam non conjugum modo & liberorum, sed & communia  
 amicorum optabant vota, non audita tamen. In flore enim  
 ætatis in medio virtutis & famæ curriculo obiit. In ipsa veluti  
 meridie vitæ sol occidit. Hæc unica & ultima fuit optimæ con-  
 jugis querela, eo acerbior, quia sine querela exacta fuerunt conju-  
 gii tempora. Præmaturæ mortis cauſa fuit hydropisias pectoris,  
 quam ante aliquot annos præsagiverat affectus asthmaticus. Ac-  
 cessit sexto fere ante obitum mense, tumor pedum, qui primum  
 ædibus, dein lecto affixit ægrotantem. Non desit tamen domi &  
 in ipso lectulo aliorum curare valetudinem, qui suam in dies de-  
 bili-

bilitari sentiebat. Affulsit etiam subinde aliqua restorationis spes ægroto, quam tamen novi mox morborum insultus obfuscavat. Tandem irruentibus in debile corpusculum aliis aliisque malis, ut hæmorrhagia pectoris, hæmorrhoidibus cœcis & fluentibus, & pleno quasi agmine quod supererat virium oppugnantibus, sub tanto morborum onere succubuit. Præsensit generosus & immortalitati unici intentus spiritus paulatim ultimum mortalis finem vitæ appropinquare. Nihil detinebat, quin prono cursu ad beatam vitæ Christianæ metam avolaret & in Servatoris fidissimi amplexus rueret, præter conjugis dulcissimæ & charissimorum liberorum, imprimis filii unici, quem propria manu formare & Reipublicæ ac orbis litterati commodis aptare vehementissime cupiebat, desiderium & amorem. Fatebatur tamen vota divinæ voluntati contraria minus esse christiana, minus conformia absolutissimo optimi Servatoris exemplo. Solabatur ipsum divinæ Providentiae fides. Agnoscerebat non cœco impetu res volvi humanas, sed pendere omnia nostra, imprimis ultimum vitæ existum, ab arbitrio summi rerum Rectoris, non Domini tantum liberrimi, sed & optimi & amantissimi patris, qui tunc etiam optime consulit nostræ ac familiæ saluti, cum male nobiscum agi judicant imperiti. Cum affectu igitur humanæ debilitatis collustatus victor tandem divina roboratus gratia evasit. Ut dolores ultimis vitæ diebus invalescebant, ita augebatur mirum in modum æternæ quietis cœlestis gloriæ desiderium. Huc omnes gemitus & suspiria dirigebantur. Maturari auxilium divinum, aperi carcerem, solvi corporis vincula, animam JESU sanguine & spiritu purgatam in Canaanem cœlestem, hæreditatem sanctorum in luce purissima dandam, vota omnia precesque flagitabant. Obtinuit quæ ardentiſſime desideravit, impetravit gloriam gratiæ succedentem eamque consummatam ex promissione divina falere nescia, spiritus integerrimus, per angusta præparatus ad au-

gusta. Dies fuit XVIII. Mensis Aprilis, anni hujus MDCCXLVIII. qui vitæ Nebelianæ labores ac dolores felicissime terminavit, qui cœlestis gloriæ, (ad quam occupandam per sinceram mundi & sui ipsius abnegationem, per pœnitentiam continuatam, per vi-  
vam fidem JESU CHRISTI merita & vulnera & mortem sibi jugi-  
ter applicantem, per indefessum sanctificationis studium sese ac-  
cinxerat,) consummatam possessionem, qui, pro labore quietem,  
pro doloribus gaudia, pro peregrinatione patriam, pro certami-  
ne coronam, pro vita corporis fluxa & eyanida, immortalita-  
tem concessit, qui pro conjugis, liberorum & amicorum consor-  
tio, sponsi cœlestis, patris æterni, cœlitum omnium, tam ange-  
lorum, quam hominum dedit commercia, qui corporis vitam  
quidem finivit ad tempus aliquod, animæ autem vitam novo &  
nunquam pœnitendo exordio, novis donavit natalibus.

Desine ergo lugere conjux mœstissima, ponite modum la-  
chrymis tristes liberi, abrumpite fletum cognati & cognatis pa-  
res in amore amici! Vivit per Christum NEBELIUS, vivit in  
Christo, vivit cum Christo. Vos exspectat serius in cœlum itu-  
ros. Breve est intervallum. Manet amoris vinculum, cessat pau-  
lum usus. Interruptus hic est non abruptus. Redintegranda  
erunt in cœli sedibus vincula amoris, & dulcissima consortia per  
omnem æternitatem summis cum deliciis perpetuanda. Vivit  
etiam in liberis faciem non solum, sed amores ac animum patris  
referentibus, beatus NEBELIUS. Hæc sunt caræ matris solatia.  
Vivit idem in filio, optima quæque Reipublicæ & Academiæ pa-  
triae promittente. Hæc sunt Parnassi lugentis solamina. Vivit  
denique in scriptis, quæ sunt Reipublicæ litterariæ, optimi civis  
obitum præmaturum dolentis, levamina. Nam præter binas Dis-  
sertationes inaugurales pro summis honoribus philosophicis, de  
*Mercurio in vacuo lucente*, Basileæ MDCCXIX. alteram pro sum-  
mis in Medicina honoribus obtinendis de *Plantis dorsiferis usua-*  
*libus.*

libus. Heidelbergæ MDCCXIII. editam & defensam, sequentes quoque luci publicæ exposuit:

De Insitione variolarum. MDCCXXIX.

— Angina. MDCCXXX.

— Abusu purgantium imprimis drasticorum. eod.

— Partu tredecimestri legitimo. MDCCXXXI.

— Curis morborum sympatheticis. MDCCXXXIII.

— Lepide nephritico novo. eod.

— Signis intoxicationis. eod.

— Purpura militari rubra, chronica, scorbutica. MDCCXXXVII.

— Spasmo. MDCCXXXVIII.

— Cardialagia haemorrhoidali. MDCCXXXIX.

— Acmella Palatina. eod.

— Lethalitate vulneris pericardii. eod.

— Corticis Peruviani modo operandi. MDCCXL.

— Sudoribus particularibus consuetis. eod.

— Synovia ejusque remediis specificis. MDCCXLI.

— Pedarthrocace. MDCCXLV.

Scripta alia & majoris quidem momenti latent in scriniis, affecta, sed non perfecta, ut *Opus medico-practicum* & similia. In primis *Lexicon Botanicum* nova arte compositum molitus est Vir sagacissimus, ita adornandum, ut imperitissimus quisque, si modo attente herbarum folia, caules, flores & reliqua observaverit, nomina plantarum, ope numerorum in Indice evolvere & reperire potuisset. Opus sane utilissimum, quod Medicorum filii & reliquis naturæ ruspatoribus non potest non esse gratissimum. Jam multum temporis & operæ in elaborando & perficiendo hoc invento posuerat Auctor, ut ultimam solum manum desiderare videretur. Eo magis dolenda est Viri optimi & ad commoda Societatis humanæ natu jactura.

Non invidehimus tamen brevioribus laboribus suprema præmia, qui quo breviores, eo fuerunt intensiores. Gratulamur potius summos in Academia cœlesti honores, gratulamur ea nunc perfecte discenti & profitenti, quæ in terris imperfete disci & doceri experiuntur omnes.

Deinde offib⁹ sepultis beatam in die resurrectionis ultimæ, cum mente immortali conjunctionem, conjugi moestæ, orbis libe-  
ris, abundantissima Sancti Spiritus solatia, Reipublicæ litteraria  
jacturam parentis in filio compensandam, Academie plures ex  
ordine successores antecessore dignos, Serenissimo Principi Electo-  
ri, Patri patriæ optimo similes NEBELIO Medicos, vitam popu-  
lo Palatino carissimam ad canos vegeti & virentis senii annos, ita  
jubente Supremo vitæ arbitro, provectentes, optamus & pre-  
camur.

## Elogium sepulchrale.

*Luge Viator!*

GVILIELMI BERN. NEBELII  
MEDICINÆ DOCTORIS PROFESSORIS  
AC MEDICI AVLICI

*Sepulchrum flebile cunctis vides.*

*Luget aula Electoralis*

*Medicum doctrina, experientia, fide eximum.*

*Lugent*

Lugent Musæ Palatinæ

Professorem clare docentem, præclare scribentem  
Doctorem officio, animo patrem.

Luget Academia Cæsarea Naturæ Curiosorum  
Socium Societatis leges exacte servantem,  
In minimis maxima magni  
Opificis opera  
Solicite eruentem, solide tradentem.

Luget uxor conjugem conjugii solatia  
Solo discessu turbantem.

Lugent liberi parentem sola morte desolantem  
familiæ felicitatem.

Lugent omnes, divites æque ac pauperes  
Virum bonum

Sine spe commodi, imo & cum suo incommodo,  
omnium commoda pro virili  
promoventem.

Luge Viator aulæ delicium, Academiæ Ornamen-  
tum, familiæ fulcrum,  
Amicorum decus, ægrorum  
Asylum.

Luge  
*Medio die nebulæ instar disparentem*  
**NEBELIVM.**

*Mirare hujus nebulæ , dum conspectui parebat ,  
 fulgorem ,  
 Non mirare discessum ,  
 Nebula est ,  
 Quæ dum humectat & fœcundat subito  
 evanescit.*

*Abi Viator !  
 Memento te quoque nebulam esse mox  
 evanituram.*

*Ita vive ut appareas cum luce ,  
 Ut dispareas cum desiderio multorum , ut  
 Denuo compareas cum gloria  
 In die JESU Christi gloriojo.*

*Composuit  
 Lugente animo , trepidante calamo , maden-  
 tibus oculis*

**CHRISTIANVS BRYNINGS**  
 Th. D. & P. P.

MEMO-


# MEMORIA VIRI ILLVSTRIS, EXCELLENTISSIMI, EXPERIENTISSIMI ATQVE DOCTISSIMI DOMINI D. GEORGII DETHARDINGII

Augustiss. Danorum Regis Consiliar. Justitiæ,  
Consistor. Reg. Adsestoris, Façult. Med. in Acad. Hafniensi  
Profess. Primar. ejusdemque Facult. & Collegii Medici De-  
candi perpetui ac Senioris, & Imperialis Academ. Naturæ  
Curiosorum Collegæ,

*Ann. MDCCXLVII, d. XXIII. Octobr.*  
*pie defuncti,*

ex funebri Rectoris Academiæ Rostochiensis  
Programmate  
decerpta.

АЛГОМЕНИ  
ДОМІНІ  
СЕНОРІ  
ДІАНІ



Grindler del et sc. Hala.

**A**rtis salutaris præstantiam plane eximiam esse, ipsa testatur experientia. Modo enim valetudinem adflictam restituit, modo turbatam restituit, modo malum oculis expositum tollit, modo latens in corpore vitium elicit, modo hominem, morti jam proximum, morbo liberat & ad vitam naturalem quasi reducit. Hæc omnia autem, quæ Medicorum scientia ad fert, commoda non pharmacis tribui posse, sed a benedictione divina pendere, dubio carere existimo. Hinc arti medicæ justum omnino statuendum est pretium. Absit autem, ut minimam spem in ea ponamus. Quod si hic recte posuerimus calculum, id debemus agere, quod in navigantibus, Deum vere timentibus, observamus. Hi quippé, exorta tempestate, clavum  
ff 3 gubern-

gubernatori permittunt, & quæ tempestatis ratio postulat, sollicite faciunt; a summo tamen rerum omnium moderatore, Deo, omnibus precibus petunt atque contendunt, ut ex alto in portum serventur. Sic etiam ægroti Medici quidem opera uti debent; omnis tamen de recuperanda valetudine spes ipsis in DEO est collocanda. Quæ cum ita sint, præcipua quadam laude nobis quoque digni videntur illi morborum debellatores, qui in arte salutari eximia quadam scientia gaudent plurimisque eruditæ sunt experimentis: interim tamen arti suæ non fidant nimium, sed potius rem suam ex artis suæ præscripto diligentissime tractantes, primam, immo omnem de recuperanda ægrorum sanitatem spem in auxilio divino reponunt, & valetudine ægris restituta, soli nominis divino laudem tribuunt atque gloriam. Hæc nobiscum agitamus, dum nobis renovanda est memoria Viri magni nominis & inter principes litterarum neutiquam reticendi, Medici vere experientissimi, Christiani vera & haud fucata in Deum pietate prædicti, Hoc autem nomine nobis jam est compellandus *Vir quondam Illustris, Excellentissimus atque doctissimus, Dominus GEORGIVS DETHARDINGIVS, Potentissimi Danorum Regis Consiliarius Justitia dexterinus, Consistorii Regii Adsestor gravissimus, Artis salutaris Doctor celeberrimus, Facultatis Medicae in Academia Hafniensi Professor Primarius meritissimus, ejusdem Facultatis & Collegii Medici Decanus perpetuus & Senior venerabilis, Academia Natura Curiosorum Collega per longam annorum seriem famigeratus.* Quemadmodum vero pia & pridem inveterata consuetudine receptum est, Virorum, de orbe litterato & publica re insigniter meritorum, memoriam atque laudes conservare & æternitati consecrare: ita quoque nostrarum partium erit, vitæ curriculum, summam eruditionem, egregia merita, raram pietatem reliquasque virtutes DETHARDINGII nostri paullo diligentius considerare & in exemplum aliis imitandum propone. Vitam autem DETHARDINGII memoria repetenti, pri-

num se offerunt ea, quæ ad ejus ingressum in hunc mundum pertinent. *Stralsunda*, urbs Pomeraniæ citerioris celeberrima, eum nascentem gremio & sinu suo prima excepit, anno post  $\text{ησάρχωσις τοῦ ἀρχοντοῦ MDCLXXI}$ . die 13. Maji. Vix hoc cœli depositum exosculati erant parentes optimi, dum prima eorum cura eo pertinuit, ut hic ipsorum filius salutari baptismatis aqua ablueretur. *Patrem* veneratus est Noster Virum Prænobilissimum, Excellētissimum atque Experientissimum Dn. *Georgium DETHARDIN-GIVM*, qui primum apud Stralsundenses Medici ac Physici urbici officio per decennium magna cum laude præfuit. Deinceps a *GVSTAVO ADOLPHO*, Duce Megapolitano, immortalis memoriæ Principe, Medicus Aulicus ac Archiater electus, ab Amplissimo Gustrovienium Magistratu etiam Physici urbici sparta ornatus est. Silentio non est prætermittendum, hunc DETHARDINGIVM, civitatis Stralsundensis adhuc Physicum atque Medicum, aliquando gravissima vi morbi ita fuisse oppressum, ut omnes ipsum jam moriturum existimaverint. Sed precibus quorundam, præsertim D. *Bernhardi GOSMANNI*, Superintendētis, & *Henrici PIPERI*, heroica prorsus virtute & præclaro fidei specimine ad Deum fusis, mirum in modum a mortuis quasi revocatum, & suis divino redditum fuisse beneficio. Exemplum hoc *Christianus SCRIVERVS*, immortalis nominis Theologus, ostensurus, quid preces adhuc hodie valeant, & oratio efficiat, si sit *inscriptus*, nominibus tam precantium, quam ægrotantis plane suppressis, in aureo libro, cui titulus: *Seelen-Schatz Part. IV. Homilia XVII. §. 24. p. m. 637.* adducit. Mater Nostro extitit *Anna Catharina NESEN*, vidua Dn. *Conradi SCHVCKMANNI*, J. U. Doctoris & Antecessoris quondam in hac Alma celeberrimi, sexus feminei decus & ornamentum.

In linea paterna *Avus* ipsi fuit Dn. *Georgius DETHARDIN-GIVS*, Pharmacopœus aulicus Sedinensis & Amplissimi Sedinen-sium Scabinatus Adfessor, scriptis chemicis clarus, qui præsertim

ex scriptis polemicis, de auri aliorumque metallorum solutionibus haud spuriis, cum D. AGRICOLA & HAVPTMANNO sociatis, magam consecutus est nominis celebritatem. *Avia* stirpis paternæ Nostro contigit *Dorotbea REISIGS*, *Andrea REISIGS*, Pharmacopœi Sedinensis, & *Elisabetha MARSILIÆ* filia, matrona omni virtutis laude ornatissima. *Proavus* stemmatis paterni fuit Dn. Michael DETHARDINGIVS, Medicinæ Doctor & Physicus apud Stralsundenses felicissimus, ob egregiam græcæ ac latinæ linguae notitiam longe famigeratissimus. *Proaviam* in linea paterna habuit *Elisabetham PETZENERS*, feminam lectissimam. His adhuc jungimus Nostri *Abavum*, Dn. Bartholdum DETHARDINGIVM, Philosophiæ Magistrum & Rostochii ad ædem Mariæ Ecclesiasten vigilantissimum, cuius passim mentionem fecit celeberrimus quondam in hac Alma Theologus, Dn. Zacarias GRAPIVS in Rostochio Evangelico. In primis p. 386. segg. exhibet responsum theologicum, quod, in quibusdam de Magistratu Politico controversiis, tres verbi divini ministri, qui tunc temporis cœtu Mariano præfuerunt, *Lucas BACKMEISTERVS*, *Lucas RANDOVIVS* & *Bartholdus DETHARDINGIVS*, a Visitatoribus Ducalibus jussi, anno 1566. die 20. Februarii dederunt. Silentio quoque prætermittendus non est Nostri *Atavus*, Dn. *Jodocus DETHARDINGIVS*, Presbyter Herfordiensis, qui inter primos renati Evangelii præcones in Westphalia magna nominis celebritate notus est; cuius etiam merita Dn. *Hermannus HAMELMANNVS*, in *Operibus Genealogico-Historicis* p. m. 1037. & alibi passim exponit. Ex hac familia majorum gloria & multis alijs ornamenti insigni ut sanguinem duxit Noster ὁ μακαρικός, ita etiam statim ab ipso ætatis suæ principio eam vitæ rationem ingressus est, ut virtute sua conniteretur majorum suorum splendori incrementum addere & perpetuitatem. Indoles studiorum capacissima è jucundis puerilis prudentiæ præludiis mature in eo cognoscetur. Hinc amantissimi

tissimi parentes & alii non immerito augurabantur, ex ista her-  
bescantis adhuc seque paullatim exserentis ingenii bonitate mag-  
nas aliquando virtutis & sapientiae fruges esse exstireras. Qua  
spe incensus DETHARDINGII nostri Pater (mater enim huic fi-  
lio suo, vix septem annos nato, morte erepta est præmatura),  
provide circumspexit Præceptores, quorum fidei hunc filium  
suum concrederet. Primum quidem *Stralsundæ* litterarum rudi-  
menta posuit. Deinde in Gymnasio, quod *Gustrovii* floret, litte-  
ris, quas humaniores vocant, est imbutus, præceptore impri-  
mis *Thoma Ramsey*, Cantore ibidem bene merito. Parens, nul-  
lis parcens sumtibus, filium etiam peregre alere constituit. Hinc  
ipsum misit *Rostochium*, ubi in ædibus Dn. *Johannis SIBRANDI*,  
Decretal. Prof. Ducalis celeberr. hospitio usus est optimo. Hoc  
enim receptus domicilio, non solum ad studiorum incrementa,  
verum etiam ad vitæ morumque integritatem una cum laudati  
*SIBRANDI* filio, natu majore, *Joachimo Henrico SIBRANDO*, in  
Academia Varno-Balthica primum Moralis Philosophiæ, deinceps  
Institutionum Professore Publ. Ordin. & tandem Regii Tribunalis  
*Wismariensis* Adsessore gravissimo, formatus est quam diligentis-  
sime. Uterque tunc concreditus est præceptorи domesticо com-  
muni, primum quidem *Nicolao Sprengero*, in Holsatia ad munus  
Ecclesiasticum vocato; & deinde *Matthæo Kleinio*, qui postea  
apud Regiomontanos Advocatus dexterimus exstitit. Quo au-  
tem DETHARDINGIVS noster in litteris humanioribus eo lima-  
tior redderetur, & prima caperet sanioris Philosophiæ elementa,  
Parenti ipsius placuit illum revocare *Gustrovium*, ubi per aliquod  
temporis spatum M. *Johannes Matthæus POLEMANN*, Gymna-  
sii Gustroviensis Con-Rector meritissimus, in illo perpoliendo  
omnem navavit operam. Eos in elegantiorum litterarum studiis  
cum fecisset progressus, ut cum fructu posset majora auspicari,  
annuente Patre optimo *Academia Rostochiensi* nomen dedit

A. R. S. MDCLXXXVIII. Excitatus exemplo majorum suorum, quorum plurimi in arte medica magnam nominis celebritatem consecuti sunt, ad artem salutarem omnes cogitationes suas omniaque studia contulit.

Jam domi ipsius Patris institutione tirociniis hujus scientiæ feliciter positis, in Academia Rostochiensi duces nactus est egregios, Dn. Bernhardum BARNSTORFIVM, & Dn. Johannem GERDESIVM, Facultatis Medicæ Professores quondam excellentissimos, qui in perpoliendo illo honestissima æmulatione concertarunt. His doctoribus dum Noster operam dedit assiduam, etiam Philosophorum, tunc in hac Alma docentium, præcepta avide imbibit, prælusit eruditioni, quam litteratorum orbis deinceps est admiratus. Hac in musarum sede cum per anni & sex mensium spatum in studia strenue incubuisset, & variis locupletatus esset eruditionis opibus, noluit in patria diutius hærere, sed peregrinandi impetum cepit. Primum Batavos adiens Academiam salutavit Lugdunensem, in qua Viri clarissimi Carolus DRE LINCOVRT, Jacobus le MORT, Burchardus VOLDERVS, Antonius NVCKIVS, Paulus HERMANNVS, SENGVERDIUS, & alii eruditionis copias ipsi suffecerunt. Hic Noster in omnibus scientiæ medicæ partibus egregios fecit progressus. Profuit ipsi indefessa Professorum, ibi docentium, industria, splendidis maximeque certis salariis excitata, quæ discentium ardorem mirum in modum inflammare solet. Ad sunt etiam in hoc eruditissimorum hominum seminario, alia subsidia & incitamenta, quæ Medicorum studiis egregie consulunt. Adest hortus Botanicus, herbis & floribus undique refertus. Adest Laboratorium chymicum, operationibus chymicis egregie aptum. Adest Nosocomium, magno ægrotorum numero repletum. Ad sunt sectiones anatomicae publicæ & quotidianæ. Hinc Noster ea, quæ ad Anatomiam pertinent, hic præsertim audivit, perspexit, cognovit intenteque obser-

observavit. Et multa ut paucis complectamur, in Academia Lugdunensi DETHARDINGIVS noster tempus suum ita collocavit, ut ipsi licuerit fructum ad conscientiam referre uberrimum. Sed alias etiam *Belgii confederatirregiones* peragravit, favorem celeberrimorum Virorum undique sibi conciliaturus. Inprimis *Ultrajectum* sibi putavit adeundum, ubi VALLANI & MÜNNINGERKII humanitatem varie est expertus. Horum enim benevolentia nactus est occasionem instructissimas perlustrandi bibliothecas, & alia, quæ Ultrajecti sua raritate se satis commendant, spectandi. At enim vero ex voluntate Parentis, litteris ipsi declarata, in Belgio non diutius commorari, sed iter etiam in alias Europæ regiones instituere debebat. Hinc anno MDCXCI, in *Gallicam* se recepit, & nonsolum *Lutetia Parisiorum*, verum etiam in quibusdam aliis amplissimi hujus regni urbibus celeribus ea, quæ observatu digna sunt, observavit, & ubique viros salutavit famigeratissimos. Digna ipsi quoque videbatur *Britannia*, quam adnavigaret. Quidquid *Londinum* artis unquam ac elegantiæ ostentat, quidquid *Oxonenses Athenæ* exteris in exemplum vix imitabile proponunt, hoc vidit & ex consuetudine eruditorum peregrinantium memoriæ prodidit. In hoc itinere adiit tot viros omnis eruditionis atque elegantiæ principes, quorum sermonibus, studiis ac moribus animum intendit. Vedit tot bibliothecas locupletissimas, ex quibus varia pro sua discendi cupiditate in usus suos convertit. His mercibus transmarinis jam locupletatus, ex Anglia solvit, & mense Septembri ejusdem anni MDCXCI, secundo ventorum flatu *Hamburgum* adpulit. Hoc quippe optimo Parenti erat in votis, ut filius Germaniæ redderetur & patrios etiam lares repeteret. *Gustrovium* itaque fausto sidere reversus, suo adventu venerandum Genitorem maxime exhilaravit. Ea etiam jam instructus erat doctrinæ copia, ut Amplissimus Gustrovienum Magistratus Nostro officium Physici urbici ultro offerret

At DETHARDINGIVS, jucundas peregrinationis utilitates jam expertus, denuo in exteris terris & Academiis adhuc majora in arte salutari incrementa capere maluit, ut deinceps eo magis patriæ prodesse posset. Hinc ultra sex menses Gustrovii detineri non potuit, sed itineri iterum accingebatur.

Faustis itaque adclamationibus optimi Parentis & cognatorum suavissimorum, Deo duce, in viam se dedit. Primum quidem Lipsiam petiit, fœcundum eruditissimorum hominum seminarium. Hic per annum & quod excurrit, commoratus, eruditio-ne & morum suavitate doctissimorum virorum sibi amorem conciliavit & existimationem. Præsertim vero cum Joanne BOH-NIO, Augusto Quirino RIVINO, Joanne Christiano SCHAMBER-GIO aliisque Medicis celeberrimis magna ipsi familiaritas atque consuetudo fuit. Hospitio exceptus Pharmacopœi & Chymici Lipsiensis peritissimi, Dn. LINCKII, adfinis sui, occasionem quo-que nactus est rerum pharmaceuticarum notitiam sibi comparandi. Musis valedicens Lipsiensibus & visis in itinere aliis Academiis vicinis & circumiacentibus, ex voluntate parentis anno MDCXCIII. Academiam adiit Altorfinam, a D. Mauricio HOFF-MANNO, D. Jacobo Pancratio BRVNONE & D. Joanne Mauricio HOFFMANNO humanissime receptus. In hac musarum sede DETHARDINGIVS noster invenit campum, in quo ejus eruditio excurreret & parta tot vigiliis Scientia, ceu in publico quodam theatro, spectaretur. Viri in Academia tunc temporis Altorfina celeberrimi, in intimam Nostri familiaritatem pervenientes, facile intellexerunt, DETHARDINGIVM veræ & solidæ eruditio-nis copia ac varietate jam præstare. Hinc gratiola Facultas Me-dica ipsum non solum ad *examen*, quod *rigorosum* vocari solet, libentissime admisit, verum etiam ipsi, ceu *Candidato eruditissi-mo atque dignissimo*, facultatem concessit, e disputantium cathe-dra disputationem defendendi inaugurem. Quo itaque in pub-lico

lico eruditorum cœtu ostenderet, se summis in arte salutari honoribus dignissimum esse, anno MDCXCIII. die 1. Decembris *Disputationem inauguralement de calculis Microcosmi* absque Præside (quæ istius Academiæ consuetudo est) successu felicissimo ventilavit. Absens pater filio, tale specimen publicum tunc edenti, gratulatus est scripto quodam, in quo *de Officio veri Medici* præcepit. Facultatem summos in arte salutari honores capessendi sibi hoc modo pepererat Noster. Antequam vero illis ornaretur; in *Austriam, Hungariam & Italiam* iter suscepit. Quapropter relictæ Academia Altorfina anno MDCXCIV. Noribergam profectus est; & ulterius *Augustam Vindelicorum* adiit, ubi ex frequentiore aditu, quem celebratissimus Dn. *Lucas SCHROECKIVS*, Reipublicæ ejusdem Archiater, Comes Palatinus Cæsareus, & S. Rom. Imperii Nobilis, nec non Academiæ Naturæ Curiosor. Leopoldino-Carolinæ Præses, ipsi concessit, fructus cepit uberrimos. Hic vero ultra tres mentes commorari haud potuit, quoniam tempus visendi jam dictas regiones instabat. In itinere itaque progressus *Donauvertam* salutavit, ubi mox rapidis Danubii flaminibus se committens primum *Ratisbonam* venit, & ulterius in Hungariam descendit. Ea cum hic observavit, quæ scientiæ medicæ emolumento esse possunt, redditum maturans, *Viennam*, sedem Imperatoris Romano-Germanici nobilissimam, petiit, ubi multa observatu digna, quæ peregrinantium curiosorum animos admiratione complere solent, conspexit. Nactus in hac urbe comites exoptatos, mense Augusto anni jam dicti, iter in Italiam suscepit, primum *Venetias* opulentas adiens, & ulterius progressus per integrum hiemem in celeberrima Venetorum Academia, quæ *Patavu* est, subsistens. Hic noster non sine insigni studiorum suorum incremento Medicos eximios, *Pompeium SACCIVM*, *BORRONÆVM*, *SPOLETVM*, *MARCHETTVM* & alios diligentissime consuluit, & suetas ibi sectiones anatomicas magno cum fructu

adspexit. Iisdem autem finitis comites gente Germanos invenit, & his sibi junctis alia Italiæ loca, videlicet *Vincentiam, Veronam, Mediolanum, Florentiam, Sienam* & ipsam Pontificis Romani sedem, *Romam*, iustravit. Tantum aberat, ut peregrinationum satietas eum caperet, ut potius inferiorem quoque Italiæ partem quodammodo peragrare sibi jucundum existimaret. Adiit itaque *Neapolin* nobilissimam, & visitavit montem *Vesuvium*, ignium eruptione clarum. Iter autem reflectens salutavit *Lauretam*, multis fabulis inclutum, & *Anconam*, portu celebri notissimam. Et sic DEO duce, iterum *Venetias* pervenit.

Jam aderat tempus, ut DETHARDINGIVS Italos relinquens, Germaniæ provinciis redderetur. In reditu itaque *Tridentum*, Concilio clarum, & *Monachium*, Electoris Bavariæ sedem, visens *Augustam Vindelicorum* redibat. Hinc *Noribergam* profectus, tandem *Altorfum* repetiit, ubi anno MDCXCV, die 17, Novembris summis in arte salutari honoribus & privilegiis condecoratus est; cum jam ante biennium, exantlato examine & disputatione inaugurali, publicæ eruditorum *quæstiones* exposita, solemnia præstiterat. Ornatus itaque, quem naestus erat, gradum, in hac Academia Altorfina, die 4. Decembris ejusdem anni Præsidis munere fungens, Disputationem Anatomico-Physiologicam de *Fon-tanella infantum*, Respondente *Ulrico Sigismundo NIMPSCH*, publice & magno cum aplausu ventilavit.

Tandem post tot annorum peregrinationem DETHARDIN-GIVS noster tendit in patriam, in qua ipsius ingenium, multa exercitatione subactum, & insignes eruditionis dotes diu haud delitescere potuerunt. Tales animi & doctrinæ opes etiam innotuerent Medico celebrissimo Dn. *Joanni WOLFIO*, tunc iter in Daniam meditanti, qui, cum A. O. R. MDCXCVI, tres hebdomades Gustrovii degeret, ab utroque DETHARDINGIO, Patre & Filio, humanissime est exceptus. Edebat quippe DETHARDINGIVS noster

noster Gustrovii ea eruditionis specimina, præsertim in operatio-  
nibus ad Anatomiam pertinentibus, ut de ipsius doctrina atque dex-  
teritate per terras Megapolitanas rumor facile increbesceret.  
Præclarum & fide dignissimum hac de re testimonium adfert Ce-  
leb. Dn. Andreas Daniel HABICHORST, qui in *Rostochio littera-*  
*to* vitam DETHARDINGII nostri describens Part. I. p. 157. seq.  
hæc exhibet verba: *Denique anno 1696. mense Januario in pa-*  
*triā redux, quam sedulo hactenus apud exterōs officio esset fun-*  
*ctus, adeo demonstratum ivit luculenter, ut publica statim speci-*  
*mīna ederet. Suarum etiam partium esse ratus, quæ ipse, neg-*  
*lecta studiorum ergo patria, e Germanorum eruditione, & sedili-*  
*tate Batavorum, Italorumque experientia acceperat, mente illi-*  
*nita, propria manus industria rimari, Anatomiam singulis men-*  
*sibus eodem anni 1696. Gustrovii, in praesentia Ducalium Consi-*  
*liariorum Ecclesiæque Ministrorum & aliorum, præviis program-*  
*matibus invitoriis, ita instituit, ut primo sub initium mensis*  
*Aprilis cerebri anatomiam; deinde sub ejusdem mensis finem ocu-*  
*lorum sectionem, celebrare; porro mense Majo auditus structuram*  
*mense Julio linguam, mense Augusto pulmones, mense Septembri*  
*Cor, mense Octobri epār, mense Novembri ventriculum cum inte-*  
*stīnis, mense Decembri renes; tandemque mense Januario sequen-*  
*tis anni 1697. arterias & venas evolvere non gravaretur. Sed &*  
*ulterius ad sectiones integumentorum corporis humani itemque os-*  
*sium processisset, nisi superioris ipsum hinc avocantis auctoritas in-*  
*tervenisset.*

Nondum ad finem perductæ erant operationes, quas adplau-  
dentibus spectatoribus instituebat, anatomicæ, cum fama de DE-  
THARDINGII dexteritate ac sedilitate ad aulam perferretur sveri-  
nensēm, in qua Serenissimus Princeps, tunc temporis Dux regnans  
Megapolitanus, Dn. FRIDERICVS WILHELMVS, nostro Anatomicæ  
ac Botanices, nec non Mathematum superiorum Professionem in hac

*Alma Rostochiensis* clementissime demandavit. Visum enim est Serenissimo Principi, alte memorato, ex bono publico & ex Academiæ dignitate fore, si DETHARDINGIVS repararet damnum, quod *Alma nostra* tunc, ex Dn. *Joannis GERDESI* abitu ad Gryphiswaldenses acceperat. Honorifice jam arcessitus Noster, Anatomiae artibus & Medicinæ laudibus ornatissimus, in clarissimo Professorum Rostochiensium ordine elucere cœpit. Spartam sibi demandatam *Rectore Academia*, Dn. D. Bernhardo BARNSTORFIO anno MDCXCVII. die 18. Februarii auspicatus est *Oratione solemni*, in qua de *idea veri Anatomici* verba fecit,

Officio jam publico ornatus, DETHARDINGIVS etiam in eo erat, ut rebus suis domesticis consuleret. Hinc eodem MDCXCVII. die 13. Octobris matrimonium init, tori sociam sibi eligens Virginem prænobilissimam & omni virtutum genere ornatissimam, *Mariam REVSCHEN*, Illustris Dn. *Christophori REVSCHII*, Serenissimi Ducis Megapolitani, Dn. GVSTAVI ADOLPHI, Consiliarii Ecclesiastici dexterimi, & *Dorotheæ Grundgreifferie* filiam dilectissimam. Hoc conjugium uti vera in Deum pietate & numquam interrupta animorum conjunctione Deo gratum fuit, & in exemplum aliis imitandum potuit proponi, ita etiam multis cumulatum est divinis beneficiis. Adnumeramus his merito liberos, quos, Deo clementissime benedicente, DETHARDINGIVS Noster ex Conjugе sua dulcissima procreavit.

I. Filius primogenitus est Vir Prænobilissimus, Excellentissimus atque Experientissimus, Dn. *Georgius Christophorus DETHARDINGIVS*, Philosophiæ ac Medicinæ Doctor, nec non Anatomiae & Botanices, ut & Mathematum Superiorum Professor in Alma Rostochiensi Ducalis Publicus Ordinarius longe celeberrimus: qui quemadmodum optimo Parenti in officio hic successit, ita etiam ipsi Patris felicitatem & benedictionem precamur uberrimam. Hic vero in hujus vitæ lucem prodiit anno post natum Christum

MDCXCIX.

MDCXCIX. die 10. Aprilis, & ea usus est fortunæ indulgentia, ut à Parente Medico solidissimo nonsolum in doctrina ac praxi fuerit institutus & perpolitus, verum etiam exteris Academiis salutatis, itineribus confessis & eruditionis speciminibus editis, gradu doctoris sit condecoratus.

II. Filius secundo - genitus Vir Prænobilissimus, & Consultissimus, D. *Georgius Wilhelmus DETHARDINGVS*, anno MDCCI. die 18. Januarii suavissimam hujus vitæ lucem primum adspexit, & jam est J. U. Doctor famigeratissimus & caussarum Patronus apud Lubecenses dexterimus.

III. Tertium in ordine locum tenet filia *Anna Dorothea*, anno MDCCIII. die 20. Junii nata, quam formæ elegantia & virtutum ornamentis commendatissimam anno MDCCXX. in matrimonium duxit Vir Prænobilissimus, Excellentissimus atque Experientissimus, Dn. *Joannes Christophorus HEINZE*, Medicinæ Doctor & Practicus apud Gustrovienses felicissimus, & Serenissimi Ducis Megapolitani Consiliarius Aulicus dexterimus, qui vero omni exspectatione citius catarrho suffocativo lethali correptus, d. III. Septembr. MDCCXLVII. diem obiit supremum.

IV. *Georgius Fridericus* anno MDCCVI. die 15. Augusti natus, naturæ debitum reddidit anno MDCCVII. die 5. Septembr.

V. *Georgius Fridericus*, beati fratri nomine insignitus, anno MDCCIX. die 12. Septembr. in hujus mundi theatrum productus est; nondum autem quatuor annos natu fabulæ vitæ suæ catastrophen addidit, anno videlicet MDCCXIII. die 27. Febr.

VI. *Maria Louisa* anno MDCCXII. die 10. Februarii felici partu exclusa est. Hæc omnibus, quæ sexum femineum condecorare solent, virtutibus ac ornamentis conspicua, a. MDCCXXXI. die 22. Junii nuptiis juncta est Dn. *Johanni Henrico Roggenbau*, Senatori Rostochiensi prudentissimo & mercatori primario atque florentissimo.

VII. Ultimo genitus, Vir Prænobilissimus & Consultissimus, Dn. *Georgius Augustus DETHARDINGIVS*, anno MDCCXVII. die 9. Februar. hujus vitæ lucem adspexit. Huic uti ab ineunte ætate fuit ingenium ad omnes honestas disciplinas docile, & ad eas percipiendas ita factum, ut non tam accipere a magistris, quam ipse ex se parere, & earum quodammodo reminisci, ex illa *Platonis* sententia, videretur; ita ipse quoque jam egregia eruditio-  
nis specimina litteratorum orbi exhibuit. Anno MDCCXXXIX. in hac Academia Rostochiensi summis in Philosophia honoribus ornatus est. Jam vero Potentissimi Danorum Regis Adseffor Can-  
cellariæ dexterinus, & in Gymnasio academico, quod *Christianai* nomine *Altonavie* floret, Juris Publici & Historiarum Professor  
meritissimus existit.

Jam recensum agam tam *Disputationum*, quam aliorum *Scriptorum*, quæ DETHARDINGIVS Noster, Rostochii in officio constitutus, in lucem emisit publicam.

Anno MDCCIII. Disput. de ingressu aëris per poros cutis.

Anno MDCCV. Disput. de salubritate aëris Rostochiensis.

Anno MDCCVI. Disput. de vano ecclipsium metu. *Quastio-  
nem* sisens: *An expediatur peste mori? Specimen Anatomia jucunda  
& utilis.*

Anno MDCCXIII. Disp. de Operatione medicamentorum eva-  
cuantium.

Ann. MDCCXIV. Scrutinium Commercii anima & corporis,  
ac, qui inde fluunt, adfectuum animi, methodo mathematica fa-  
ctum. Dissert. epistolar. ad Lucam SCHROECKIVM, de methodo  
subveniendi submersis per Laryngotomiam.

Ann. MDCCXV. Disp. de Operatione medicamentorum ad-  
stringentium.

Ann. MDCCXVII. Disp. de subactione alimentorum in ven-  
triculo

triculo. *Oratio secularis, de meritis LUTHERI in artem medicam*, die 3. Novembr. in Auditorio maximo publice recitata.

Ann. MDCCXVII. Disp. de *Carminatione sanguinis in pulmonibus. De differentia ingenii & judicii in Medico Clinico. De Anesthesia.*

Progr. de *connubio Theoria & Praxeos.*

Ann. MDCCXIX. Disput. de *necessitate Medicina ex natura termini vita. De Erotomania.*

Progr. de *Ethica & Medicina connubio.*

Ann. MDCCXX. *Palaestra medica, exhibens themata physiologica, in alma Rostochiensi XXX. Dispp. publice ventilata.*

Ann. MDCCXXI. *Quastio problematica: An homo adultus, ceteroquin, citra cibum & potum per quadraginta dies & quadraginta noctes, solius naturae viribus, vitam trahere possit? occasione jejunii quadragesimalis Generosi Viri de Bernhard. Disp. de Obsessione eademque spuria.*

Ann. MDCCXXII. Disput. de *Ethica dolentium.*

Ann. MDCCXXIII. *Scrutinium physico-medicum, quo indoles intellectus anima insiti, ab adventu probe discernendi, eruiuntur, & ad ulteriore indaginem omnibus Philosophis, Theologis, Jureconsultis, in primis vero Medicis, sedulo commendatur. Disp. de Cynanche. Disp. de cura mortis. Resp. Georgio Christoph. Dethardingio. Hoc ipso anno haec disp. formiam tractatus induens, prodiit sub titulo: Georgii Christophori DETHARDINGII, Philosophia Magistri & Medicina Licentiatii; Meditatio academica de Morte. Progr. de prastantia Medicorum a parentibus Medicis pregnatorum.*

Ann. MDCCXXIV. *Manuductio ad vitam longam, tradens regulas dieteticas sub regimine circa aerem, cibum & potum, motum & quietem, somnum & vigilias, superfluirum exclusionem, animi affectus, Medicum & medicamenta hominibus facile observandas, subnexis monitis Ethico-Medicis.*

Ann. MDCCXXV. Disp. exhibens Specimen Ethica dolentium sub doloribus partus.

Ann. MDCCXXVI. Disp. de Hamoptysi ex infesta consolida-  
tione ulcerum pedum. Progr. de natura sollicitudinibus sub sche-  
matismo morborum.

Ann. MDCCXXIX. Disput. adstruens, voluntatem Medici ha-  
bendam esse pro effectu. Disp. de Calculo vesica friabili. Progr.  
de calculi genesis recte cognoscenda. Disp. de morbis a spectrorum  
adparitione oriundis. Progr. de medicamentis tempori accommo-  
datis. Disp. de Colica sanguineo - spasmodica & venesectione in il-  
la pro specifico habenda. Progr. de Venesectionis utilitate.

Ann. MDCCXXXI. Disp. de morbo Regis Forami. Progr.  
de concordia, inter studium Theologicum & Medicum stabilienda.  
Disp. de tribus impostoribus I. potu Thée & Coffée; II. commoda  
vita; III. de officinis domesticis.

Ann. MDCCXXXII. Quæstio problematica: An sub depressio-  
ne cranii, hujus elevatio per manualem operationem chirurgicam  
sit necessaria?

Ex scriptis, quæ jam commemoravimus, facile colligi po-  
tent, DETHARDINGIVM nostrum in scientiis, ad artem medicam  
& reliquam eruditionis supellectilem pertinentibus, tantam adhi-  
buisse industriam, quanta illa esse, cum summa est, solet. Ad or-  
nandas reliquas officii demandati partes, omnes quoque cogita-  
tiones omniaque studia contulit. Ex quo publicum docendi mu-  
nus in Academia Varno-Balthica ipsi demandatum est, statim le-  
ctionibus tam publicis, quibus experimenta anatomico- physiolog-  
ica in numerosiori spectatorum corona proposuit; quam pri-  
vatis, quibus humanæ generationis ac formationis negotium ex-  
pliuit, officium suum ornare cœpit. In eodem stadio postea  
cursum continuavit, & totus in eo fuit, ut eruditionis thesauros  
exponeret, & docendo disputandoque juvenes quotidie redderet

doctio.

doctiores. Hoc modo de Academia præclare meritus est, orbique litterato magna nominis celebritate innotuit. Hinc quoque jam anno MDCCXIV. Collegis *Academia Naturæ Curiosorum* celeberrimis ANDRONICI nomine adscriptus est. Varias itaque observationes medico-physicas, ab Ipso profectas, Ephemeridibus Academiæ Natur. Curiosor. passim insertas legimus, e.g. de *anatomia tympanitici*; de *arthritide a lumbricis terrestribus remissiori*; de *equo docili*; de *methodo Timaano curandi febrem quartanam*; de *fascinatione*; de *lesione rami in carpo manus dextræ*. Ut alias ipsius lucubrationes, in his Ephemeridibus exhibitas, jam silentii peplo involvamus. Hoc autem sileri nullo modo potest, DETHARDINGIVM nostrum, Decani, Procancellarii, aut Rectoris Academici munere fungentem, sæpen numero in celeberrima Panegyri animos audientium Orationibus exquisiti argumenti demulsiſſe. Hic Rostochii in splendido templo, Virgini Dei- paræ sacro, ipsum audivimus publice, memoriter & suavissime dicentem de quæſtione: *Quare balbutientes omnium lubentissime confabulentur?* Alia occasione acroateria nostra candidissima illius voce ita personarunt, ut Orationum istarum non sine oblectatione recordemur. Modo ipsi de multitudine Medicorum in Republica, modo de vi & efficacia amoris sui ipsius, modo de prolixitate in studio medico, quatenus ea vel laudanda vel taxanda, modo de methodo regiminis academici, ad methodum medendi inflexa, peroranti aures attentas præbuimus, magna perfusi voluptate.

Rectoris Academici officio in hac alma functus, id semper egit, ut animo pro salute ac dignitate Academiæ excubaret. In ultimo, quem hic Rostochii, anno MDCCXXXII. gessit, Rectoratu academico, DETHARDINGII præfertim consiliis atque auspiciis factum est, ut Bibliotheca ex pristino loco satis obscurò in ædem transportata fuerit Jacobæam, in qua ipsi locus est concessus

ad gloriam & incrementum ejus valde commodus. Inter nota-  
tu digna hoc ultimum est, quod B. Noster sua manu matriculæ  
academicæ inseruit.

Annos triginta quinque DETHARDINGIVS in Academia Ro-  
stochiensi spartam Professoris Publici & Ordinarii egregie orna-  
verat. Spes etiam erat, fore, ut reliquum vitæ spatum hic quo-  
que consumeret. Sed providentia divinæ aliter visum est. Au-  
spiciis enim Augustissimi Danorum Regis CHRISTIANI VI. No-  
ster vocatus est in Academiam Hafnensem, ut celeberrimo Dn.  
FRANKENAU in officio succederet. Provida Dei cura in hac  
vocatione signis plane admirandis se manifestavit. Hinc vocanti  
Regi clementissimo morem gessit DETHARDINGIUS, & anno  
MDCCXXXIII. annum ætatis sexagesimum tertium agens, relicto  
Rostochio, Hafniam se contulit. Demandati officii partes cum  
in se recepit, auspicatus est spartam sibi concreditam publica Dis-  
putatione de facie divina Medicorum. Jam regno præsidens Po-  
tentissimus Rex FRIDERICUS V. tunc Princeps in spem regnige-  
nitus, præsentia sua gloria hunc actum solemnem ornavit quam  
clementissime. Quemadmodum vero DETHARDINGIUS, no-  
vum in Academia Hafnensi officium auspicatus, eruditionis & di-  
ligentiæ suæ specimina edidit; ita etiam in reliquo vitæ spatio sui  
fuit quam simillimus, hoc est exemplar virtutis, pietatis, diligen-  
tiæ & eruditionis perfectissimum. Primum quidem ea, quæ di-  
lignantiam & eruditionem ejus commendare possunt, perpende-  
mus. Quapropter nobis præsertim commemoranda sunt publi-  
ca doctrinæ specimina, quibus in Academia Hafnensi nominis  
sui celebritati incrementum addidit & perpetuatatem. Præter Dis-  
putationem jam laudatam in ista celeberrima Musarum sede DE-  
THARDINGIUM auctorem adgnoscunt scripta, quæ jam sequun-  
tur:

Anno MDCCXXXIII. *Oratio Jubilæa de morbis Ecclesiae redi-*  
*vivis,*

vivis, more majorum in Regia Academia Hafniensi in Auditorio majori die 31. Octobris habita.

Anno MDCCXXXIV. Disput. de hemorrhagiis ventriculi. Specimen fatorum Medicinae, in morbo sanabili, medicabili quidem, sed vix tollendo, Podagra. Disp. de casibus fortuitis funestis in praxi clinica. Elementa dietae, sive Regula Physico-medica ad auro cariorem sanitatem conservandam, vacillantem fulciendam, deperditam vero cito, tuto & jucunde recuperandam; in usum eruditorum Daniae & Norvegiae. Questio problematica: Utrum studiosus, in primis Medicina, citra vivam Doctoris vocem propria industria sufficientem sibi comparare possit scientiam? Disput. de methodis medendi in Medicina & Chirurgia suspectis.

Anno MDCCXXXV. Disp. de febribus, Eiderostadenses corripientibus, vulgo Stoppel-Fiebern. Fundamenta scientiae naturalis, quibus in rebus naturalibus & ad oblectamentum & ad utilitatem hactenus delecta brevibus Aphorismis exponuntur. Fundamenta Physiologica, sive Positiones hominis statum sanum, ad officia, sibi in hoc mundo expediunda, necessarium delineantes; in usum auditorum. Disp. de Operationibus medicamentorum refici-entium & adjuvantium.

Anno MDCCXXXVI. Disput. de prerogativis sanitatis infantum plебiorum praesanitate infantum nobilium. Progr. qui fiat, quod natorum paucissimi etatem attingant; plurimi e contrario mundum vix ingressi huic iterum valedicendum habeant. Progr. de conjugio dietae & pharmacia, ut maris vices dieta, pharmacia autem feminæ expleat. Decas Theorematum ad Diatologiam Biblicam spectantium. Scrutinium causæ materialis Podagra, quæ abstrusissima habetur.

Anno MDCCXXXVIII. Enodatio questionum quarundam spinosarum, ad historiam medicam pertinentium, de missione sanguinis artificialibus. Disput. exhibens Centuriam th̄. sium mis-  
cella-

cellanearum que dubia vexata ex omnibus partibus Medicina proponunt. Disput. de novo specifico in quartana.

Anno MDCCXXXIX. Disp. de Peste variolosa in Grænlandia, & Decas porismatum, ad historiam Variolarum medico-clinicam spectantium. Fundamenta Pathologica sive Positiones, hominis statum morbidum, officia sibi in hoc mundo expediunda impediens, delineantes. Disput. de necessaria motus & potus combinatione.

Anno MDCCXL. Nova scrutatio negotii Physico-medici, per virgulam vacillantem detegendi occulta. Disp. exhibens Centuriam thesum ex medicina morali, clinica & forensi. Disp. de medicamentis Norvegia sufficientibus, una cum methodo medendi. Fundamenta Semiologia Medica, sive Axiomata fida pro informando Medico de morbis praesentibus & futuris.

Anno MDCCXLI. Disput. de præsidii sanitatis & vita longa e Decalogo.

Anno MDCCXLII. Decas Aphorismorum Hippocratis novaluece illustrata. Disquisitio physica vermium in Norvegia, qui novi visi, una cum tabulis aeneis.

Anno MDCCXLIII. Fundamenta methodi medendi, sive manuductio generalis & fida ad praxin clinicam tuto, cito & jucunde, quantum datur, exercendam, in usum Auditorum. Decem & septem Aphorismi Hippocratis è Sect. I. de promti & nova luce illustrati. Continuatio Aphorismorum Hippocratis ad finem Sect. I.

Anno MDCCXLIV. Aphorismi Hippocratis XI. è Sect. II. de promti, nova luce illustrati.

Anno MDCCXLV. Nova luce illustrati XV. Aphorismi Hippocratis ex horum Sect. II. de promti. Disput. exhibens Observations de morbis, advenas in America vexantibus, speciatim in Insulis S. Thoma & S. Crucis. Resp. Carolo Adolpho Mallerbach. Operæ pretium est hic adjicere, modo memoratum Dn. Malerba-

terbachium sex annos in *Insulis S. Thomae & S. Crucis* vitam degisse. Hinc observationibus, ab ipso hic exhibitis, eo majorem habendam esse fidem, merito existimamus.

Disput. de *Specifico prophylactico oculorum.*

Anno MDCCXLVII. *Epitome Erotematica Physices.* Continuatio I. Aphorismorum Hippocratis enucleatorum, ex horum Sect. II. desumptorum. Continuatio II. Aphorismorum Hippocratis enucleatorum ad finem Sect. II. Nolo silentio præterire, ad finem perductum esse laborem, quem DETHARDINGIUS Noster in Hippocratis Aphorismos enixus est. Quæ adhuc in manuscripto sunt in *Hippocratem* lucubrations, dum ad hæredes doctos veniunt, primo quoque tempore lucem adspicient publicam, ut ejusmodi opus edecumatum, dum absolutum est, arti salutari operam navantibus eo majorem adferre queat utilitatem. Taceo jam alios partus ingenii numerosos. Paucis ut me expediam. DETHARDINGII merita ipsum immortalem præstabunt, & nunquam interitura sunt incomparabilis doctrinæ ipsius monumenta. Quot Viri, eruditionis & artis salutaris jam cumulatissimi, ipso duce ad solidam cognitionem pervenerunt, tot viva ac spirantia gloriae suæ simulacra sibi consecravit. Ipse etiam in vita ex documentis multis & apertissimis cognoscere potuit, magnum suis meritis atque virtutibus statui pretium. Missis jam aliis, unum tantummodo adducam. Inter ea, quibus de Academia Hafniensi præclare meritus est Noster, hoc in primis in censum venit, quod ipsius cura atque auspiciis theatrum anatomicum & Musæum naturæ, incendio quondam deletum, denuo exstructum est. Hoc ipsum indicat inscriptio, quæ in honorem Nostrri perennem vergit & prope ingressum in hoc ædificium his exhibetur verbis.

*En**Phænicen**Ex cineribus repullulantem,**In quos vorax flamma cum cœteris**Universitatis ornamentiſ**Quarto Calend. Novembr. An. MDCCXXVIII.**Redegeſat**Hic**Auspice Regum optimo***CHRISTIANO SEXTO***in**Musæo naturæ & Theatro Anatomico**Lætus & nitidior**Resurgit**Opera & Cura**Aetate Phænicis, Arte Chironis,**Facult. Med. & Collegii Medici**Hafniensis**Decani Perpetui***GEORGII DETHARDINGII***A. P. C. N. MDCCXXX.*

Hactenus ea potissimum adtigi, quæ DETHARDINGII nomen orbi erudito inprimis commendarunt. Nunc etiam mentio injicienda est eorum, quæ ad privatam vitæ rationem magis pertinent. Silentio præterire non possum diligentiam ipsius nunquam delassatam. Licet enim in praxi clinica multorum ægrotorum valetudini consuleret; nihil tamen secius quatuor minimum horas lectionibus, in usum auditorum institutis, quotidie destinavit. Ad restituendam ægrotantium salutem cum iter ipsi erat faciendum, nonnulli libri semper Ei comites fuerunt, ex quibus pro suo discendi ardore optima quæque notavit & in usus suos convertit. Quoties libraria suppellex, quam sibi magno studio magnisque comparaverat sumtibus, ipsum possidebat, toties totus in eo fuit, ut eruditionis suæ opes augeret. Hinc in arte medica quanta quanta est insignes scientiæ thesauros sibi collegerat. Ipsum in primis in historia litteraria medica plane eximium fuisse, non solum ejus scripta docent, sed etiam Collectanea, quæ reliquit, testantur. Dicendum etiam hic est de vera in DEUM pietate, quam domi & in publico cœtu ecclesiastico exercuit. Primam utique laudem hominis Christiani in vera & DEO placente pietate sitam esse, ex vero judicabat; hinc prima ipsi & antiquissima cura erat, Christo Salvatore suo frui, illius meritis sordes peccatorum expiare, efficacissima Spiritus Sancti gratia emendare animum, pie DEUM colere, puras & sanctas preces ad ipsum fundere, & ita vitæ suæ rationem componere, ut DEO placaret, & in statu gratiæ perstaret. Hinc etiam familiæ exemplo suo æque ac præceptis ad pietatem profuit. Nec desunt publica documenta, quibus DETHARDINIUS Noster indicavit, veræ pietatis studium sibi maxime cordi esse. Jam an. MDCCXII. quædam Megalandri nostri LVTHERI scripta, eaque rariora collegit, & Gustrovii typis exprimi curavit. Deinceps etiam libellum, cui

titulus: *Kennzeichen eines wiedergebohrnen Menschen, consente  
nte & adprobante summe Rev. Facultate Theologica Rosto  
chiensi, in lucem emisit publicam.* Hic liber jam quatuor  
vicibus in lingua germanica typis exscriptus est, cum præ  
fatione Theologi etiam post fata celeberimi, Dn. Joannis  
Francisci BUDDEI, qui in præfatione, editioni A. R. S.  
MDCCXXXIV. præmissa, istum ceu exiguæ quidem molis, in  
gentis tamen pretii librum his commendat verbis: *Man hat  
gegenwärtige kleine Schrift abermahl zum Druck befördert,  
damit selbige mehrern mächtig bekannt werden; veil in der  
selben die Lehre von der Wiedergeburth so deutlich, kräftig und  
gründlich, zugleich aber mit aller gehörigen Behutsamkeit vor  
getragen werden, dass man wohl wenig dergleichen antref  
fen wird.* In Danicam quoque linguam anno MDCCXXXVIII.  
hic libellus est translatus. Mitto jam collectiones precum ardentissi  
marum & meditationum sacrarum, nec non varia in N. Testam.  
adnotamenta, quæ in manuscripto reliquit: ut itaque celeberi  
mus Dn. Jo. Henricus a SEELEN in *Meditat. Exeget. P. II.*  
*Exercit. XXII. de Medicorum meritis in sacram Scripturam*  
agens §. XXI. pag. 742. seq. DETHARDINGIUM nostrum il  
lis merito adnumeret Medicis, qui in explicatione Scripturæ sa  
ceræ locorum operam & industriam suam collocarunt.

Restat, ut ea adjiciam, quæ ad DETHARDINGII nostri  
beatum ē vita discessum pertinent. De prodromo mortis si di  
cendum, provoco ad ea, quæ filius B. Nostri primogenitus,  
Vir Prænobilissimus, Excellentissimus atque Experientissimus,  
Dn. Georgus Christophorus DETHARDINGIUS, Medicinæ Do  
ctor & Professor famigeratissimus, Fautor atque Collega noster  
honoratissimus, ex litteris, Hafnia ad ipsum prescriptis, cognovit,  
& his exhibet verbis:

, Utī-

„ Utinam debitum hocce pietatis filialis officium quam diu-  
„ tissime adhuc fuisset prorogatum ! Utinam spes, quam de-  
„ longævitate desideratissimi nunc Parentis mei, non absque  
„ insigni oblectamento, mihi conceperam, haud ex improviso  
„ me fecellisset ! Sane, vivida & animi & corporis indoles,  
„ qua summum Numen eundem donaverat, quamque debito  
„ circa diætam regimine, ad senium usque tantum non sem-  
„ per conservaverat inconcussam, ut imbecillitates, ætatem se-  
„ nilem presso pede ceteroquin concomitantes, vix ac ne vix  
„ quidem senserit, certissimum mihi, aliisque extitit argu-  
„ mentum, fore, ut annos ultimos a DÉO mortalibus conces-  
„ sos, sit emetiturus.

„ Expleverat, raro satis exemplo, jamiam anium quin-  
„ quagesimum in matrimonio cum Matrè mea suavissima; hinc  
„ Jubilaum gamicum cum liberis suis, nepotibus, neptibus, &  
„ pronepote, Rostochii celebrasset, nisi sonica impedimenta  
„ Eundem Hafniæ detinuissent, hocce propositum in futurum  
„ annum, si DÉO ita placuisset, sibi reservantem. Disposuit  
„ vero pie veneranda providentia divina de hocce instituto,  
„ illum Jubilæis coelestibus, iisdemque æternis destinando. En-  
„ ergo modum, quo finem istum est assecuta.

„ Ex Auditorio, in quo ab hora undecimia ad duodecimam  
„ lectiones haud interrupta serie, pro officii ratione, habue-  
„ rat, redux factus mensæque accumbens, cibum capturus,  
„ subito affectu hemiplectico correptus impotentiam quandam  
„ sinistrum latus movendi sensit, ne terrorem adsidentibus in-  
„ cuteret, brevi illam terminaturam pollicitus. Ingravescen-  
„ te vero per momenta morbi vehementia, in lectum se de-  
„ portandum, & venam sibi tundendam jussit. Voti quidem

„ compos, ea, qua fieri potuit, promptitudine redditus, ad-  
 „ ceritus simul in coadjutorium Illustris Dn. D. LAUB, Regiae  
 „ Majestati Daniæ & Norvægiaæ a Consilis Status & Archiater  
 „ primarius, qui ex amore, quo beatum meum parentem sem-  
 „ per prosecutus est, singulari, promptissimum se exhibuit,  
 „ omnem lapidem movendo, ut auxiliatrices ægrotanti ad-  
 „ ferret manus; ast sævitia morbi hujus, qui senibus utpluri-  
 „ mum feralis esse solet, quantacunque illusit adhibita reme-  
 „ dia, maritus potius supervenienti catarrho suffocativo,  
 „ siveque conjuncta gravitate, corpus viresque penitus frangen-  
 „ do, auctor extitit, ut tertio post invasionem morbi die  
 „ adamantissimus Parens animum non fractum, sed ccelitus  
 „ potius evectum, & quod singulari clementiae divinæ tribu-  
 „ endum, ad ultimam aeris usuram admodum lætabundum,  
 „ Creatori suo placide reddiderit. Memoria ejus maneat in  
 „ benedictione!

Cognoscimus ex hoc testimonio, fide dignissimo, quod-  
 nam morbi genus desideratissimo Nostro DETHARDINGIO fi-  
 nem vitæ adtulerit. Nunc etiam, quo animo Noster <sup>in eis agitur</sup>,  
 imminentem mortem exspectaverit, perpendemus. Quemad-  
 modum DETHARDINGIUS in perpoliendis iuvenum ingenii  
 quotidie laboravit, ita etiam hoc ipsi fuit negotium, cum ad-  
 propinquavit vitæ terminus. Lectione ultima, quam suis ha-  
 buit auditoribus, considerationem *linguae* instituit, eosdem  
 omni, quo potuit, modo cohortatus, ne lingua peccarent.  
 sed nobilissimo hoc instrumento ad deprædicandam DEI glo-  
 riā uterentur quam diligentissime. Vix interjecto horæ spa-  
 tio, insultu correptus hemiplectico, usu linguae libero privatus  
 est. Ex morbi hujus pertinacia B. Noster præsagiit, non longe  
 ab fore decretorium tempus, quod animam, exviis corporis  
 erep-

ereptam , Christo Salvatori esset adducturum. Hinc , posthabetis omnibus cogitationibus terrenis , id tantum egit , ut animam suam DEO amatam , Deoque devotam cœlo , unde accepferat , redderet. Inprimis explicata fronte & hilari mente , quamvis motu linguae voluntario ex parte impedito , innumera DEI beneficia in se collata deprædicavit , & omnes , qui adfuerunt , ad easdem laudes , DEO decantandas , excitavit. Qui defuncto per id tempus , quo insultus iste hemiplecticus eum lecto adfixum tenuit , adfuerunt , testantur , eumdem maximum cepisse lætitiam ex illo , quo per integrum vitæ spatium etiam maxime delectabatur , cantico sacro : *Solt ich meinem GOT nicht singen , &c.* Ad excitandam & corroborandam fidem à Confessionario suo , Summe Reverendo , Religiosissimo atque Doctissimo Dn. ROHNIO , sacram cœnam sibi porrigit desideravit. Hoc salutari animæ epulo confortatus , Conjugi suæ amantissimæ & integræ Familiae dilectissimæ benedictionem a DEO expetiit uberrimam , & omne , quod adhuc reliquum erat vitæ tempus ardentissimis precibus , ad DEUM fusis , & sacris cantionibus consumisit , magna que fidei πληθυσπία ac περιποτε animam suam in manus Domini commendavit. Accepimus etiam , Viros , munerum dignitate & meritorum gloria celebratissimos , Dn. BLUHMIUM , Dn. REUSSIUM , Dn. BLOCKIUM & Dn. HAUBERUM alternis vicibus B. Nostro frequenter adfuisse & sacras suggestissime meditationes. Sic DE THARDINGIUS Noster , in vestibulo , ut Ebræi ajunt , se præparavit , ut comitus atque ornatus in triclinium intrare potuerit. Quem autem tantopere efflagitaverat vitæ finem , hunc anno superiori MDCCXLVII. die 23. Octobr. circa horam matutinam quintam , benedictione sacerdotali , moribundis impertiri solita , a Confessionario suo venerabili accepta , inter sanguis

gultus & lacrumas exoptatissimæ Conjugis, cognatorum & amicorum adstantium in vulneribus dulcissimi Salvatoris beatum obtinuit. Gratulamur Tibi desideratissime DETHARDINGI, qui certamen bonum certasti, cursum confecisti & fidem servasti. Reposita Tibi nunc in cœlo est corona justitiae. Triumphas  
jam inter spiritus beatissimos ineffabili lætitia sum-  
maque ac sempiterna perfrueris  
beatitudine.



MEMO-

**MEMORIA**  
VIRI ILLVSTRIS ET EXPERIENTISSIMI  
DOMINI  
D. ERNESTI GOTTHOLD  
**STRUVII**

Cæsareæ Celsitudinjs, Magni Ducis Russiæ, &  
Principis regnantis Slesvici & Holsatiæ Consiliarij  
Status atque Archiatri

in Academia Kiloniensi Medicinæ Professoris ordinarii  
& Imperialis Leopoldino - Carolinæ Academiæ Naturæ  
Curiosorum Collegæ

qui Petropoli d. XXI. Novembr. st. v. An. MDCCXLIII.  
vita confecit cursum

ex funebri Pro - Rectoris & Senatus Academiæ  
Kilonensis

Programmate  
decerpta.

TACITUS *Annal. Lib. XVI. Cap. XVI.*

**D**etur hoc illustrium virorum posteritati, ut  
quemadmodum exsequiis a promiscua sepultura  
separantur; ita in traditione supremorum  
accipiant habeantque propriam  
memoriam.



**A**RAS, primus Septemtrionum Historicus, qui sibi multisci, sive Polyhistoris nomen induit, in libello, quem de Islandia composuit, cum majoribus suis populis aquilonaribus veterissimis superstitiose opinatur, aut temere sustinet, rem esse defunctis longe gratissimam, eorumque manes maxima voluptate perfundi, quoties superstites amici vitae ipsorum quod confecere curriculum, & varios, quos experti sunt casus, commemorando renovant, & in memoriam reducunt.

Nos quidem ad hanc opinionem haudquaquam abimus. Non possumus tamen, quin vitae cursum pie demortui Viri Illustris, ERNESTI GOTTHOLDI STRUVII, Cesar. Celsitud. Magni Ducis Russorum, & Principis regnantis Slesv. & Holst. Consilia-

rii Status atque Archijatri, & in Academia nostra Professoris Medicinæ ordinarii, Collegæ quondam nostri multum conjunctissimi, cuius peracerbus interitus animos nostros habet sollicitos, & magnum nobis omnibus dolorem commovet, reminiscendo quodammodo recognoscamus. Non possumus quin modum & rationem, qua viam sibi ad virtutis & doctrinæ perfectionem munit summatim exponere admittamus. Quidni nos habeat STRUVIUS si non amplificatores decoris sui, conservatores tamen & propagatores? Neque enim cum vitæ tempore est dimittenda commemorationis nominis tam insignis. Etsi non ejus, sed nostra interest, litteris ut exquisita merita custodiantur, post fata etiam STRUVIANA eruditæ juventuti, & nobis, eives nobilissimi, præter cæteros profutura. Ad virtutem & doctrinam plurimum utique confert, in vitam Viri præcipua quadam & hujus & illius gloria commemorabilis, tamquam in speculum acri & intento animo intueri. Hujusmodi exemplum egregiam indolem allicit, & generosos animos ad imitationem invitat. Hujusmodi documenti ad æmulationem propositi major est efficacitas, quam regularum & præceptionum. Nostra igitur ratio est ea circumscripte persequi, quæ ad animi & ingenii decora, ad virtutem atque eruditionem adjumenta importare, & consulere commodis vestris, salutique servire possunt. Nostrum officium est, quomodo STRUVIUS noster, laude, honore & imitatione vestra dignissimus, viam virtutis & doctrinæ in Marchia Ukerana Brandenburgica celeriter ingressus, in Saxonia & Cimbria strenue persecutus, & in Ingria feliciter emensus sit, verbis minimum tribus recensere.

In hanc vitam Primislaviæ ingressus est STRUVIUS Anno post natum Christum MOCCXIV. III. Id. Aprilis. Pater illius ejusdem nominis est adhuc superstes Amplissimus & Experientissimus Vir, ERNESTUS GOTTHOLDUS STRUVIUS, qui filii gloria

gloria suaque floret Primislaviae, Doctor inibique Medicinæ & Augustæ Borussiæ Regis Physicus provincialis territorii Marchiæ Ukeranæ & Stolpiricæ genitore prognatus Viro Illustri GEORGIO ADAMO STRUVIO, Consiliario intimo Saxonico, Regiminis & Consistorii Præside, Judicij Aulici Assessore, & Facultatis Jurid. Jenens. Ordinario. *Mater* STRUVII nostri egregiis sexus sui laudibus atque ornamentis cumulata Matrona, *Dorothea Elisabetha* BERCHELMANNIA, filia est Juris consultissimi *Conradi* *Fulii* BERCHELMANNI, Consulis quondam urbis Brandenburgi, & Adsefforis Scabinatus longe dignissimi. Hi parentes, quibus meliores non poterat optare, & pietatis initia, & optimarum artium rudimenta infanti suo mature ipsi instillarunt, ab iisque tenellus ejus animus ad virtutem & doctrinam rectis studiis credibili celerius præcultus & præparatus est. Utque merita majorum suorum in tempore posset referre, optimæ spei puero magister domesticus, sed etiam publici exhibiti sunt, qui scholam patriam, Viris eruditis & disciplina optima id temporis florentem, præcipue ornabant. In iis erat DOEBBELINVS, nunc Orator sacer disertissimus, quem gratus disciplinæ alumnus præ reliquis prædicavit mirifice. Inprimis cito se prodebat indoles STRUVII incredibilis & prope singularis, qua puerulus in Poëticam ferebatur. Veteres Poëtas, ut cum iis loquamus, non modo diurna sed etiam nocturna versabat manu. Carmina *Virgilii* pastoralia memoriter poterat recitare. Item *Odas* nonnullas *Horatianas*, & libros *Tristium Nasonis*, germanicis versibus vertit. Quocirca valde adolescentulus non modo magistrorum suorum studium, sed etiam Virorum maximæ existimationis promeruit admiracionem. Ex illis LANGIVS sanctissimarum litterarum Doctor Primislaviensis, & sermonibus suis litteratis, & supellectile sua eruditæ non parum auxit doctrinam STRUVII nostri, & locupletavit.

Eiusdem inclinatior ad Medicas artes animus in prima etiam aetatula sese exseruit. Quae quidem propensio, quantum anni, crescebat quotidie magis, exemplo patrio accidente illam & inflammante. Prius enim quam peteret urbes litteratas, filiolum pater usum plantarum herbarumque & corporis humani fabricationem accuratissima edocuit diligentia. Filius etiam praesto erat, quoties pater Physicus provincialis corpora incidebat demortua, & viscera scrutabatur atque intestina. Qui domum redux ex hoc viæ comite sciscitabatur, an omnia satis percepisset, & fideliter retineret memoria? Bene multi cives in patriam relictæ Academia revertuntur, quum minus sunt docti, quam STRUVIUS erat anno aetatis suæ quinto & decimo, quo in rempublicam aliquam eruditam se poterat recipere. Pater autem, Vir prudentissimus, praestare utique judicabat, ut & aetas & studia litterarum, etsi illotis manibus haud tractabat, majorem prius adsequerentur maturitatem, quam in urbes litteratas concederet.

Idcirco filium in ludum Halensem misit, ut ad morem & instituta Glaucha usitata academicis inibi disciplinis aptaretur. Hic anno in prima classe exacto, in eam quam dicunt selectam, receptus, ex institutione scholæ id temporis Inspectoris, nunc sanctissimarum litterarum Professoris celebratissimi, Sigismundi Jacobi BAVMGARTENI, fructum maximum cepit. Hunc & in disciplinis philosophicis & theologicis secutus est ducem, atque ex docto illius ore potissimum pependit. Pulverem tamen eruditum Mathematicorum etiam attigit, & Doctoribus antiquitates, aut historiam litteratam profitentibus toto animo adhæsit. Neque negligebat solutæ & vincitæ orationis ornatus, sed eruditio & patrio sermone & Orationes, & Poëmata horis subsecivis elaborabat. Hujusmodi enim exercitationes animi, quas homines habentes, & politioris humanitatis expertes impedimenta vocant aliorum disciplinarum, ingenii cotes facesque dicebat. Sine illis, & sine

& sine philosophicis studiis nemo ad ullam rem illustriorem satis ornatus potest accedere. Ab his instructus præsidiis atque instrumentis, cathedram relicta subselliis poterat concendere STRUVIUS noster. Qui, duce eruditu certaminis BAUMGARTENO, complures disputationes, omnibus auditoribus plaudentibus & acclamantibus propalam tutatus est. Quæ quidem concertationes pereruditæ inter scriptiones pie defuncti manu exaratas adservantur. Habita deinde Oratione, *de veritate reditus Christi in vitam*, Iudo Halensi valedicente, ad quam invitarat BAVM GARTENVS, non sine laudatione alumnū dimissuris, urbi literatae Halensi auspicato adscriptus est anno MDCCXXXI. ætatis suæ septimo & decimo.

Quæ Medicinæ se tum ex voto parentum, tum ex animi consecrasset sententia, bina illius fulcra, Anatomen & Physicam, præeunte CASSEBOHMIO & LANGIO, Viris fama meritisque suspiciendis, intentissima cura excolebat. Præter hos ALBERTVM, JVNCERVM, SCHVLZIVM & BASSIVM, magni nominis Professores, frequenter convenit, politissimasque eorum prælectiones capaci pectore complexus est. Quumque doctore mathematum LANGIO viam docendi demonstrativam sibi reddidisset familiarem, hac ratione non unas commentationes & medicas contexuit & philosophicas. Genus hoc scribendi demonstrativum STRUVIUM nostrum perfecte calluisse, in primis documento est liber, præcocis ejus ingenii præcipiis fructus, quem inscripsit: *Ideam Medici & Medicinæ*. Quæ exercitatio omnibus adfluit eruditioñis & scientiæ demonstrativæ laudibus. Itaque non solum optimi parentis, cui diligentia suæ academicæ rationem redditurus, eam dicavit, sed lectorum omnium plausus tulit. Suasores illi & impulsores & patri & filio fuere, ut divulgaret meditationem luce dignissimam. Sed non defuere rationes scriptori, cur eam foras emittere noluerit. Idem industriam suam academ.

academicam alio declaravit modo, dum suasione doctorum, quibus aliis etiam civis litteratus præsto fuerat, eidem domi exponeret dilucidius audita atque explanaret. Occasio igitur STRUVIO aperiebatur recognoscendi recitationes istas, meditationibusque indulgendi, & cogitatis suis ordine propositis eodem prope tempore officia & studia discipuli exequendi & magistri.

Diu latere non poterant tam præclaræ dotes virtutesque STRUVIANÆ omnium Halensium sermone celebratae. Quocirca Consiliarius intimus *Fridericus HOFFMANNVS*, Medicus Principum & princeps Medicorum sui temporis, STRUVIO de hospitio accommodavit. Neque solum supellestili suæ eruditæ illum præfecit, sed commercium etiam litterarum suarum ejus potissimum concredidit fidei. Quis nescit primarios & principes viros medica HOFFMANNI responsa consuluisse ut oracula? Is STRUVIO, quem habuit operum suorum consortem, & per complures annos adjutorem, curam hanc delegebatur, ut nodos expedire prope inexplicabiles, & in perarduis, qui haud raro incidebant, casibus, ægrotis ferre disceret adjumentum. Idem, quum natum jam grandis, eos qui in morbo erant convenire semper & inviseré non posset; remediorum STRUVIO copiam faciebat, quibus omnis generis pelleret morbos. Num poterat STRUVIUS modum invenire aptiorem & magis convenientem ad fores amicitiarum præcipuarum splendidissimarumque familiarum sibi aperiendas? Nonne omnes medendi vias hac didicit ratione? Quo pacto animalium præcipui doctoris sui sibi quotidie magis & magis poterat conciliare? Idcirco quemadmodum HOFFMANNI institutioni & privatæ & publicæ præter ceteras perfectam artis medicæ cognitionem; sic ejusdem commendationi & privatæ, & publicæ salutem & fortunam suam potissimum retulit acceptam. Domesticum certe hujus Æsculapii sui usum, & quotidianam consuetudinem sibi peropportunam fuisse, ex eaque fructum se uberrimum cepisse,

cepisse, grato animo atque beneficiorum memore non solum ingenue confessus est, sed & semper & prædicavit libenter.

Etsi autem STRUVIUS in Academia Halensi & HOFFMANNO & aliis, quos nominavi, Professoribus diurnas horas; nocturnas tamen demortuis doctoribus, & apparatui litterato Galeni sui tribuit. Neque solum aperta occasione vernacula, sed latina etiam publicavit poëmata. Quibus Viro clariss. LANGIO juniori, Societatis germanicæ, quæ Halæ floret, Præsidi ita se probavit, ut anno MDCCXXXIII. illius evaserit membrum, habita Oratione germanica, qua *perspicuitatem & soliditatem proprias Orationis & præcipuas virtutes esse* arte tenuit. Quum emitteret illam, & Regis Borussiæ intimo status Ministro de ARNIM consecraret, auctorem non solum eloquentiæ, sed etiam philosophiæ consultum esse docti & intelligentes existimatores judicarunt.

Eruditas etiam concertationes id temporis minime neglexit. Et refellere sine pertinacia, & refelli sine iracundia, nec contentionis cupidior erat, quam veritatis. Non autem solum medicis, sed philosophicis etiam disputationibus animum exercuit, nec modo fortis oppugnatoris, verum etiam strenui defensoris officio frequenter functus est. Proinde duorum magnæ existimationis Virorum, qui ad Doctoris medici honores adspirabant, solempnes disputationes ita elaboravit, ut duci eruditii illius certaminis HOFFMANNO satisfaceret cumulate. Nec minus eidem probavit indicem librorum *Hoffmannianorum* omnium, cum observationibus suis divulgatum. Quo quidem thesauro litterato auro contra non caro ita doctrinam suam locupletarat, ut omnibus præsidiis instructus, & omnibus virtutibus, quæ in quoque Medico laudantur, instructus esset.

Disquisitionem igitur ex more in Academiis recepto pro obtinenda Doctoris medici dignitate, de *Convalescentia statu ejusque impedimentis atque præsidiis*, anno MDCCXXXV. laudabili

consilio elucubravit, & absente id temporis Decano HOFFMANO, sine moderatore felici successu solus tutatus est. Commendationem hanc rerum novarum illius anni indices litterati prædicarunt honorificentissime. Et nos eandem scriptionem & longe doctissimam & multo fructuosissimam omnibus iis, quibus bonitas valetudinis, integritas corporis, & vitæ salus curæ cordique est, diligentissime commendamus.

Vix dum Doctor artis salutaris sollempni ritu renuntiatus erat STRUVIUS, Decani partes suscipiente JUNCKERO, dignitatis STRUVIANÆ amplificatore, quum S. R. Imperii Comes TRUCHSES de WALDBURG, qui secundum locum Imperii bellici Regis Borussiae tenebat, HOFFMANNUM Medicum aliquem itineris sui socium posceret. Is non modo Illustriss. Comiti, sed etiam matronæ generosissimæ & in summa familia natæ, Thermas petitoris Carolinas, profectionis istius comitem STRUVIUM suum adjunxit. Qui quum in itinere res raras & visu dignas Dresdæ oculis subjecisset, in Bohemia complures offendit fontium Carolinorum hospites, qui HOFFMANNI remedii & consiliis adsueti, ex illius suasione STRUVIUM in consilium adhibuerent. Eodem tempore & loco janua illi patefacta est ad amicitiam & congresus doctissimorum Medicorum, qui istas aquas hospitibus propinabant.

Halam redux, a fautoribus suis proposita sibi virtutis & doctrinæ præmia, meritorumque ornamenta detrectavit, nec, nisi optimi parentis sui consensione, honoribus voluit adfici. Qua de cauſa, ut Primislaviæ venerandum suum genitorem conveniret, & ejus sententiam coram sciscitaretur, Berolinum se contulit. Inibi supellex litteraria regia, hortus medicus, theatrum anatomicum, & aliae res notabiles oculos ejus moratae sunt. Medicis etiam regalibus, Consiliario intimo HORCHIO, & Consiliario auleo ELLERO, commendatrices, quibus cum abeuntem HOFF-

MAN-

MANNVS comitabatur, coram reddidit. Qua benevolentia & humanitate ab iis & ab aliis Berolinensibus Consiliariis & Medicis acceptus, habitus & dimissus sit, haud potuit STRUVIUS dicendo satis celebrare.

Primislaviæ apud parentes quum moraretur, quod animo intenderat, nequuit perficere. Quod venit in deliberationem respuit, & vitam academicam reliquis vitæ generibus longe antecellere dijudicavit. Qua de cauſa, retro ad Academiam Halensem se retulit, ex confensione & consilio Ordinis medici scholas inibi medicas aperturus. Prius autem quam his recitationibus operam dare cœpit, ad urbem eruditam Erfurtensem iter continuavit, & in doctorum ejus familiaritatem venit. Inprimis ad Professoris medici JUCHII, & ad Præsidis Academiæ Naturæ Curiosorum, Professoris celebratissimi BüCHNERI se adgregavit amicitiam in eamque penitus intravit.

Erfurto redux prælectiones suas diæteticas inchoavit, & disciplinam de conservanda valetudine tradidit. Quas quidem scholas eruditæ cives ex omni ordine magno frequentabant numero. Potiorem tamen temporis & curarum suarum partem aut legendis doctorum meditationibus, aut visitandis ægrotis utiliter impedit. In iis Eques, qui urbis hujus litteratæ Holsaticæ quondam fuerat civis, auctor STRUVIO & impulsor erat, ut *Kilonium* se conferret, atque in Holstia in artis suæ incumberet exercitationem. Retinebant autem ad hanc mutationem propensum & ægrorum, quorum saluti Halæ prospiciebat, & auditorum, quos ibi instruebat, multitudo. Uterque numerus, ut virtute & doctrina parta STRUVII existimatio, crescebat in dies. Idcirco non tantum solitas prælectiones magna animi contentionе continuavit, sed doctas etiam proposuit contentiones, & certaminis illius moderator conqueritis rationibus disputavit.

Quas quidem exercitationes Regis Borussiae Consiliarius intimus *de ARNIM* interrupit. Cujus persuasu & inductu STRUVIUS, ad itinera facienda promptus & paratus, ad Aquisgranenses aquas se præbuit comitem. Interea dum abest STRUVIUS, ad Virum Illustr. HOFFMANNUM Onolsbacenses litteræ comiment, & ex eo sciscitantur, an Virum probe affectum ad munus Medici principalis Principibus commendare queat? Non poterat HOFFMANNO non in mentem venire STRUVII sui. Illum sibi laudatum Aula Onolsbacensis clementissimo vocatu, præmio amplissimo oblato, sibi vindicatura erat.

Cœlestibus autem auspiciis usū venit, ut litteræ *Kilonio* Ha-  
Iam missæ ad Medicorum Principem HOFFMANNUM, de eo ex-  
quirant, an laudare huic Academiæ velit multa doctrina, & plu-  
rimo usū rerum doctorem, qui hic ad ductum *Hoffmannianum* ar-  
tem salutarem publice profiteatur. HOFFMANNUS arbiter, si  
quis alius, intelligens ac prudens, STRUVIUM ad medicas artes,  
& ad vitam academicam natum factumque de meliori nota com-  
mendat. Adsciscebatur igitur Academiæ suæ STRUVIUM venerandæ  
æternum memoriarum Princeps CAROLUS FRIDERICUS, & an.  
MDCCXXXVI. ætatis suæ tertio & vicesimo ad partes medicinæ  
Professoris extra ordinem suscipiendas auspicato evocabatur.  
Quod munus feliciter adgressus est, habita Oratione solemni, *de*  
*vario vita genere summo sanitatis præsidio*, ad illuminandum CEL-  
SI locum, quem legas libro & capite primo. Non ita multo post,  
*de spasmo pharyngis cum lingue nigredine, ex passione hypochondriaca* propalam disputavit. Quam scriptiōnem suam Viro Per-  
illustri & generosissimo *de WESTPHALEN*, Equiti, Cancellario  
aulæ & Senatus intimi, hujusque Consiliario, supremi Consist. eccl.  
Præsidi, & Academiæ Kiloniensis Curatori, sermone nume-  
ris latinis illigato despondit. His aliisque ingenii monumentis  
ani-

animos Patronorum suorum in se convertit, atque anno MDCCXXXVII. Professor Medicinæ ordinarius, & anno sequenti Adseffor Collegii medici, auspiciis Patriæ Patris clementissime dedicati, præclaris in rem academicam meritis suffragantibus, auspicato evasit.

Eodem anno, ætatis suæ quarto & vicesimo, de matrimonio cogitare cœpit. Delegit vitæ sociam & fortunarum participem omnium, Viri magnifici, illustris & consultissimi D. *Friderici Gottl. STRUVII*, Consiliarii Justitiæ, & Ordinis sui Professoris primarii, & id temporis Academiæ Proreectoris filiam *Charlottam Magdalenam STRUVIAM*, matronam exquisitis & sexum suum superantibus ornamentis dotatissimam. Amore illi & studio incredibili se complexi sunt semper, & quem sibi promiserant uterque vitæ ceperunt fructum. Hæc erant vota ab eloquentiæ consulta Societate, quæ Halæ & latina floret & germanica, atque ab aliis fautoribus & amicis publice nuncupata, quum nuptiis atque fœdere amicitiæ omnium arctissimæ undecimo Aprilis die, Sponsi natali, feliciter hic jungerentur. Hi conjuges quinque liberos, tres filios & filias duas suscepere. Unum filiolum, filiolamque unam fata terris tantum ostenderunt, turbatoque illi mortalitatis ordine demortuum patrem præcessere. Altera vero filiola vix vita functum genitorem suum secuta est. Supersunt beneficio cœlesti optimi moris & optimæ spei filii *Ernestus Fridericus & Fridericus Gottholdus*, quorum ille MDCCXXXIX. hic MDCCXLII. uterque primo mense Januarii in hanc vitam ingressi suat.

Kilonii vix in eam introierat major natu filius, quum STRUVIUS pater, Cancellariæ, quam vocant, Consiliarius Principis nostri clementissimi declaratus est. Eodem anno sceptræ academica præsidi huic & moderatori urbis nostræ litteratæ delata sunt, & vicem suam Rector Academiæ Magnificentissimus ei demandavit. Quod magnificentum munus habita Oratione sollemni, *de rara Medi-*

*Medicorum practicorum concordia*, suscepit. Paulo post Ordinis sui Decanus anno MDCCXXXI. Virum clariss. *Joan. Gasparum Schræderum*, Medicum Hamburgensem, qui de *Idea mali hypochondriaci ejusque cura præservatoria*, publice disputarat, artis salutaris Doctorem ex more in Academiis recepto renuntiavit.

Ex voto fluere id temporis omnia videbantur, nec loci mutationem, aut meliorem sortem animo circumspiciebat STRUVIUS noster. Neque enim tantum litteratus, sed ordo etiam equester illi studebat mirifice. Uterque scientiam ejus artis medicæ, virtutesque valetudini suæ salutares suspiciebat. Ex iis vir illustriss. & Excellentiss. S.R.I. *Comes de BRUMMER*, summus aulæ præfectus sive supremus Marschallus Cæsarei Principis nostri, Eques Cæsar. Russici Ordinis S. Andreæ & Alexandri, & Ordinis aurati Slesvic. Holsat. plane singularis suæ de STRUVIO existimationis significationem idemtidem luculenter dedit.

Dum ita gratia sua prope inusitata valetudinis suæ custodem hunc fidelissimum complectitur, fato singulari accidit, ut ELISABETHA, sexus, ordinis & sæculi sui facile Princeps, Imperium Russicum dudum natalibus & meritis suis debitum, suffragante prudentia & virtute sua heroica, facto omnibus sæculis commemorando, sibi vindicaret. Augustissima hæc Matertera Principis nostri, hunc sororis suæ filium unicum arcessit, & ad sedem suam Imperatoriam Petropolitanam litteris manu sua scriptis invitat. Itaque generosissimus BRUMMERUS STRUVIUM ex jussu Serenissimi Principis sui adducit, ut hujus itineris se velit dare comitem, & valetudinis Principis habere rationem. STRUVIUS clementissimum Ducem & Dominum suum ad Imperatoriam sedem Petropolin nulla interposita mora comitatur. Petropoli in arce cæsarea, quoties Imperatricem convenit Princeps, convenit autem quotidie, toties inibi apparet, & obsequium suum Imperatrici præstat longe demississime. Hæc Principum heroinarum omnium

omnium nunc Princeps anno MDCCXXXXII. quo cum Principe nostro, PETRI *Magni* nepote, in alteram Imperii splendidissimam sedem se recipiebat, perspecta indole & vi mentis STRUVII, ex omnibus aulæ suæ Cæsareæ Medicis, non alium præter unum hunc itineris Moscovitici comitem multo clementissime deligit. In ista profectione imperatoriis epulis accumbebat STRUVIUS, & quum leviter ægrotaret, consiliis ejus & remediis Imperatrix utebatur. Moscoviæ, ubi, perinde ut Petropoli, in Imperatorio palatio STRUVIUS commoratus est, diadema cæsareum Imperatrici sollemini ritu & pompa imponi spectavit, & in maxima illa celebritate osculis imperatoriam dextram appetit subjicitissime.

Fidem suam Cæsareo Principi nostro STRUVIUS obstrinxerat, itineris Moscovitici se comitem futurum. Quum igitur illo feliciter confecto, instaret demississime, ut Academiam Kilonensem sibi liceret repetere; Imperatrix juxta ac Magnus Dux Russiæ, quorum gratiam permagnam sibi STRUVIUS collegerat, ut ejus petitioni concederent haud poterant induci. Ut igitur hunc valetudinis suæ custodem retinerent diutius, commoda illi minime contempnenda obtulere. *Archiater Cæsarei Principis* declaratus, & annuo atque invidendo emolumento ac præmio auctus est, munere, quod Kilonii suscepérat, professorio servato. Principis etiam permisso in Helsatiā revertit, ut & adducere familiam suam in Russiam, & negotia sua domestica ibi ordinare posset. Ante discessum facilis illi aditus ad Imperatricem patebat; quæ clementiam suam Cæsaream STRUVIO, in patriam ad brevissimum tempus abituro, muneribus magnæ pecuniæ munifice & large declaravit.

Credi vix potest quanta celeritate Primislaviam, & ad Kilonensem se retulerit Academiam. Quum fautoribus & amicis suis vale hic dixisset, privatis rebus suis dispositis, promissi memor, cum familia sua Ruliam, unde venerat, repetiit quam citissime.

Prius

Prius tamen quam illud ingressus est iter, Reverendissimo & Serenissimo Episcopo & Administratori, Regio Principi ADOLPHO FRIDERICO, Regni Sueciæ nunc Hæredi, reverentiæ suæ cultus Utini coram adhibuit demississime. Principum hic mansuetissimus STRUVIUM & *Archiatrum principalem*, & *Medicinae Professorem secundum Academiæ Kiloniensi* constituit. Quid præterea? diploma, quo *Consilium Status* eum declaraverat, principali, qua subscripterat, manu ipse eidem tradidit clementissime. Novis hisce honorum auctus incrementis, Primislaviæ parentes suos optimos, & fratres carissimos salvere jussit & valere. Patria relicta, per Gedanum, Regium Montem & Petropolin in Mœscoviam citatis passibus iter suum direxit. In Curenia quum ageret, illud navi vectoria sive pontone continuaturus, in discriminum extreum cum tota familia sua vocabatur. Cui, singulari summi Numinis providentia, magno negotio denique ereptus est.

Moscoviæ STRUVIO tam fortunato esse licuit, ut & ab Augustissima Imperatrice ELISABETHA, & a Magno Duce & Hærede Imperii Russici, PETRO FOEDEROWITZ, multo clementissime haberetur. Quos Principes suos, Moscovia relicta alteram Imperii sedem repetentes, fecutus est. Præter istos Dominos suos, alios etiam Principes, e quibus hic tantum nominamus *Landgravium Hasso-Homburgicum*, Petropoli sibi habuit faventes STRUVIUS, eorumque gratiam anno sequenti MDCCXLIII. summo studio sibi conciliavit. Eodem nondum vertente duas filias gemellas, parentis amores & delicias, Petropoli suscepit. Quas quum primis Christianorum sacris Orator divinus iniciaret, & Augustissima Imperatrix, & Magnus Dux Imperii Russici præsto erant sponsores.

Sed, quæ est humana sors & mortalium conditio, fortuna ab inconstantia sejungi non potest. Gaudia illa afflictio, & spes timor

mor improviso exceptit, & STRUVIVS post serenitatem fortunæ, illius fulmina nec opinato expertus est. Singulari enim fato accidit, ut, quum vix dum secunda mater, quæ puerperio per menstruum cubarat spatium, ædem sacram rursus adiret; auctus hisce liberis gemellis & hac insolita lætitia genitor, gravissimo morbo æstuque jactaretur. Sanguinis ille missione, vena ter seccata, aliorumque usu remediorum valetudini & saluti suæ consulere adnitezatur. Sed irrito conatu. Non semper integris est sensibus & integra mente. Archiatri quidem Cæfarei & aulici SANCHEZIUS & BOERHAAVIUS, quibus ipsa Imperatrix valitudinis suæ curam committit, & qui fraterno amore ægrotum prosequuntur, & omnes medendi vias perspectas habent, experiuntur omnia, & nihil relinquunt intentatum. Vi autem morbi incrementa in dies sumente, nono ægroatationis & decimo mensis Novembbris die, post horam octavam matutinam, quum novem & viginti annos tantummodo natus esset, extremo respicavit.

Etsi igitur vitæ STRUVII nostri brevis fuit cursus; gloriae tamen sempiternus est. Nunc si non spiritu, at præcocis pietatis & doctrinæ laude vivit, & vivere non desinet. Vivit non solum in duobus, quos reliquit, in optima spe repositis filiis, sed etiam in fratribus fratri haud infitiandis, quorum unus in Kilonensi Academia præsto est clarissimus & experientissimus Medicinæ Doctor, qui ad fraternæ laudis decus magnis passibus contendit, & in apertum lucemque, ut speramus, propediem proferet librum, multo eruditissimum fraterna manu scriptum, & quum removere se poterat a negotiis publicis, dedita opera absolutum \*). Qui

\*) Titulus Libri est: *Diaologia, sive de vita & sanitate conservanda per rebus rerum non-naturalium usum scientia, ex principiis philosophicis, physicis, chemicis atque medicis erata, & methodo demonstrativa adornata.*

vivus voce sua profuit vivis, hac scriptione post fatalem diem prodesse poterit posteris. Commentatio hæc eruditos morabitur oculos, eamque litteratis versabunt manibus Medicinæ cultores, & pleno ore laudabunt, & in utilitatis suæ materiam convertent. In hoc, & in aliis ingenii & gloriæ suæ monumentis, quæ non numero & mole, sed instar gemmarum pretio & splendore suo æstimamus, superstes erit STRUVIUS noster. Hæc scripta auctorem suum prædicabunt mirifice, & solidis honestissimisque laudibus ferent. Quibus omnibus enumerandis nos modo non insumimus operam, sed hoc tantum subjicimus: Omnes, quotquot ab amore virtutis, & eruditionis observantia censi volunt, lecta hac vitæ recensione brevissima, merito dubitare, utrum animi & ingenii ornamenta minime vulgaria, & virtutis atque doctrinæ insignia præmia STRUVIO nostro nulla fere interposita mora cumulate delata, plus laudare & admirari, an vitæ illius brevem cursum, & repentinum ex ea excessum lugere nos oporteat & lamentari.



MEMO-

**MEMORIA**  
**VIRI**  
PRAENOBIILLISSIMI atque CELEBERRIMI  
**D O M I N I**  
**GEORGII FRIDERICI**  
**RICHTERI**

in Academ. Lipsiensi Moral. & Polit. Prof. Publ.  
Ordinar. Mathemat. Extraord. Minor. Princip Collegii  
Collegiat. & Academ. Bibliothecar. Illustr. Acad. Cæf.  
Naturæ Curiosor.

*N I C E T A E,*  
conscripta

A

**JOANNE HENRICO ZOPFFIO,**  
Med. Doct. & Practico Greizensi.

**D**uplex esse solet ad exstruenda, viris de re publica literaria bene meritis, monumenta publica, incitamentum : Vel enim veremur, ne laudes illorum ex ingratae posteritatis memoria sensim sensimque excidant, tandemque tetræ oblivionis tenebris prorsus immegerantur; Vel si jam adeo bene ipsi famæ prospexerint suæ, ut pari confidentia de utilissimis æque ac doctissimis ingenii sui fœtibus in publicam lucem emissis, ad exemplum suavissimi NASONIS, justissime sperare possint, quod illos.

nec Jovis ira, nec ignis,

Nec possit ferrum, nec edax abolere vetustas.

Si inquam suis sustentata meritis late floreat tam clarorum viorum fama, ut nulla unquam oblivio sit metuenda ; nihilo tamen minus grati animi leges, quas erga tam egregios viros ipsa nobis dictitat cognitionis & amicitiae ratio, hoc nobis interdum imperrant, imo inculcant, ut & nos, plurimis, quibus iam immortale illorum nomen splendet affixum, columnis, unam alteramve memoris devinctique animi tesseram addamus. Non unam tantummodo, sed plures interdum statuas heroibus olim suis & aliis bene meritis civibus ponere consueverant Athenæ, quarum numerum interdum pro re nata insigniter augebant. Sic *Demetrio Phalereo* unico plebiscito ultra trecentas decreverunt. Quid igitur impediat, quo minus & nos multis illis perquam honorificis monumentis, quæ ipi sibi constituerunt tam clari viti, unicum adhuc apponere studeamus, cui præcipua vitæ illorum laudabiliter gestæ momenta inscribantur, ut sera olim sciat posteritas, quis fuerit? quæ fata is habuerit? quem ob tot solida eruditione plena scripta admiretur. An superfluum suscipere laborem videamur? Minime. Raro enim permittit autorum modestia, ut simil cum operibus suis etiam vitæ curricula tradantur perenni-

tati

tati. Magis adhuc ad ejusmodi monumenta excitamur confi-  
cienda, quando occasionem nanciscimur illa in loco paulo emi-  
nentiori splendidiorique collocandi, atque sic illorum quasi æter-  
nitati prospiciendi. Insigni jam honori sibi duebant Romani he-  
roes, quando statuæ, ipsorum nominibus, rebus gestis, & ima-  
ginibus etiam, ornatæ, publice ponebantur; sed accessio quædam  
erat gloriæ, illis in palatio positis. Chartacea quoque literato-  
rum hominum monumenta, quæ tamen durabilitate vel marmo-  
ra superant, longe majorem nanciscuntur splendorem, quando in  
opere aliquo celebriori conservantur ab injuria temporum. Quis ve-  
ro locus ad inserenda clarorum virorum vitæ curricula honoratior  
facile, & ab edaci vetustate tutior esse possit, quam Ephemerides  
Illustris Academiæ Cæsareæ Naturæ Curiosorum? Nemini hiclo-  
eus conceditur, quam membris Academiæ insigniter meritis.  
Hæc fere sunt præcipua argumentorum pondera, quæ & mihi in  
præsenti scribendi consilium inspirant conformantque. Postula-  
re enim ejusmodi officium a me videtur reverentia illa, qua cine-  
res adhuc prosequor *Avunculi* mei, Viri Celeberrimi nunc in-  
ter cœlites versantis.

### GEORGII FRIDERICI RICHTERI

*in Acad. Lipsiensi Moral. & Polit. P. P. Ordinar. Mathemat. Ex-  
traord. Minor. Princip. Colleg. Collegiat. & Acad. Biblioth. Acad.  
Cæsar. Nat Curios. Nicete.*

Integri jam quinque præterlapsi sunt anni, a quibus ex hac  
vita migravit & a republica literaria cœpit desiderari. Per omne  
hoc tempus anceps hætitavi, arriperemne calamam ad ejus vitam  
conscriptandam, nec ne? Causæ quidem superiorius adductæ eo va-  
lentius id a me exigebant, quo propius illi conjunctus eram pro-  
pinquitate. Altera tamen ex parte cavillatorum dentem metui,  
qui consueta sua dicacitate objicere mihi fortassis potuissent, me  
laudandæ familiæ causa, cum qua mihi vinculum intercedit, ad-

argumentum illud descendisse. Sed contemsi hoc maledicentia<sup>e</sup> genus, & cum subiret animum, etiam inter Academ. Cæsar. Nat. Cur. membra splendere beatum *Avunculum*, & non solum lege cautum esse in ejusdem Illustris Societatis statutis, ut Collegæ statim a primo in illam ingressu præcipua vitæ suæ momenta ad Scrinia Academiæ transmittant, imo hortari quoque Academiam propinquos defunctorum Collegarum optime meritorum, ut illorum vidas paulo accuratius curent concinnandas, quo Actis academicis sub calcem adjungi possint; ambabus manibus arripuit honorificum locum ad conservandam beati *Avunculi* memoriam, atque sic insigniter in proposito confirmatus, animum tandem ad scribendum lætus applicavi. Hæc præfaminis loco monere necessarium duxi. In sequentibus, benevole Lector, non præconem, sed merum audies historicum.

In montanis Misniæ regionibus, qua versus Bohemiam atque Varisciam spectant, situm est oppidum, ex metalli fodinis suis, quibus Saxoniam ditavit olim, celebre. *Schneberga* illi nomen est, procul dubio quoniā ibi locorum nivibus raro liberantur montes. Ibi RICHTERUS Noster, anno reparatæ Salutis millesimo sexcentesimo nonagesimo primo, septimo Calend. Novembr. stili veteris, primum duxit spiritum. Pater, quem ibi venerabatur, GEORGIUS RICHTERUS tunc temporis Pastor primarius Ecclesiæ Schnebergensi præserat, successu temporis non solum Doctoris S. S. Theologiæ dignitate auctus, sed etiam Ecclesiis Ricobacensibus, hinc Ossitiensibus Antistes datus est. Hic illum ex JOANNA MARIA, GEORGI PINCKERT armamentarii Eleitoralis Saxonici custodiarum Præfecti (Zeug-Lieutenant) filia, sustulit. Actum agerem si tum paternæ, tum maternæ gentis longævam enumerare vellem gloriam, quippe quæ celeberrimis Saxonæ urbibus, Dresdæ, Lipsiæ, Misniæ, utilissimos meritissimosque dederunt cives. Sed missis hisce omnibus, ad *Georgium Fride-*

*Fridericum Nostrum revertor. In hoc optime educando beati parentes insigniter laborarunt, hinc tenellam ejus ætatem exquisitæ probitatis præceptoribus inter privatos parietes dederunt instituendam, præ ceteris Hoffmanno, qui postea scholæ Schnebergensis Rector est constitutus, M. Feistio deinde Pastori primo & Inspector Lichtensteiniensi, & M. Behmio, variis etiam ecclesiasticis muneribus successu temporis ornato, aliisque. Cum paululum adolesceret, vel privati subinde Magistri deficerent, scholam publicam Schnebergensem frequentavit, tunc Rectore Urbano Godofredo SIBERO, postremum Theol. Doctore, antiquitatum sacrarum Professore Lipsiensi, & Pastore Templi Thomani. In hac ducibus maxime usus est M. Behrio, Unlauf, & Hoffmanno. Accidit vero ut Anno 1703. sedem fortunarum & familiæ Ricobacum transferret Pater, & Nostrum ibidem cum reliqua sobole M. Behmii institutioni, ut antea Schnebergæ, committeret. Verum anno 1704. cum annum ætatis decimum tertium attigisset Noster, Pater summe Reverendus, docile, quod in Georgio Friderico suo animadvertebat, ingenium, lætiores profectus in extera quadam incluta literarum sede facturum esse judicabat. Splendebat illo tempore præ multis Plaviense Lycæum præstantissimis eruditione, fide, industria, præceptoribus. Hinc nullus dubitavit optimus Pater, quin hoc potissimum Lycæum filii sui ingenio foret quam maxime accommodatum. Quapropter statim dicto anno Rector Raviensis scholæ ECKHARDUS Nostrum in domum suam mensamque recepit, & ad annum usque 1706. quo obiit, in capacissimi hujus ingenii agellum large sparsit doctrinarum semina. Ex eo autem tempore hospitem Noster habuit Joannem AVENARIUM, S. S. Theol. Doct. & Ecclesiarum Plaviensis diœcæeos Antistitem longe meritissimum, ex cuius etiam ore atque doctrina affatim hausit quæ ejus ingenium ulterius perficerent. Inter communia mensæ jura etiam ex salomone DEYLINGIO*

pro-

profecit, tunc Archidiacono Ecclesiæ Plaviensis, hodie Theol. Doctore, Professore, Pastore ad ædem S. Nicolai & Antistite apud Lipsienses celeberrimo. Speciatim vero *J. G. Birckhanii*, Rectoris Scholæ, post mortem *Eckhardi*, ut & *Wendleri* Con-Rectoris, in se collatos labores, grato animo sæpenumero solebat commemorare. Tam clarorum virorum institutionibus ita per integrum lustrum usus est, ut non solum omnia, quæ vulgo ad Scholastica referri solent studia, cito apprehenderet, sed & varias scientias, quæ Academiis utplurimum reservantur, ita prægustaverit Plaviæ, ut non literarum & Philosophiæ tantum, sed & docentibus AVENARIO, & BIRCKHANIO, Theologiæ & linguae in primis sanctæ egregiam notitiam secum afferret in Academiam.

Ann. Chr. 1708. Summe Reverendus Pater, ad insignia & privilegia Doctoris Theologiæ accipienda Lipsiam proficiscebatur, ibique Nostrum, quem simul secum adduxerat, in numerum Studiosorum recipi curabat, Rectore *Jo. CYPRIANO*, Theologiæ Doctore & Professore. Cum Patre redux Plaviam reversus est, ibique anno demum 1709. die 11. Martii, Præceptoribus & scholæ publice valedixit, habita solenni oratione, *de Richterorum seu Pratoriorum familia*. Ineunte igitur vere Lipsiam petuit totusque in studiis fuit. Quam strenuus & attentus interfuerit doctissimum Academiæ Philureæ luminum prælectionibus, nominatim *D. Joannis SCHMIDII*, hospitis sui, *Dr. Joannis & Godofredi OLEARIORUM*, *Dr. Jo. Georg. ABICHTI*, LEHMANNI, JUNII, JENICHENI, FUNCKII, STARKII, aliorumque, vel exinde intelligere est, quod sub finem ejusdem anni, cum academia tertium solenne Jubilæum celebraret, inter illos apparere non metueret, qui solidæ eruditioñis præmium, lauream nempe philosophicam, petere poterant confidenter. Nec dubitavit ordo Philosophorum honoribus suis condecorare Nostrum, rigorosa quippe examina cum laude sustinentem. Tunc *L. Christ. LUDOVICI*

Decani

Decani officium administrabat, & die VI. Decembris Anni 1709. dignissimo capiti violaceum imponebat ornamentum. Neque vero hac gloria *reportata* desidiæ sese dedit, sed incepto tramiti insistens, indefesso studio quotidie multivariorum suam amplificare studebat eruditionem. Mox etiam publica industriæ suæ testimonia edere incipiebat. Cathedram nempe philosophicam a. 1710. prima vice Praeses concendit atque de "נִירָמָן" disputans, non mediocrem linguæ sanctæ notitiam prodidit. Neque ita multe post amoenissimam studiorum matrem Lipsiam ad unicum annum reliquit, & exteram quandam invisurus Academiam, Altorfium se contulit. Docebat ibi isto tempore *Dr. SONTAGIVS, ZELTNERUS*, & uterque *BAIERUS*, quorum prælectionibus solertissime interfuit. Discessurus iterum ab illa Norica Academia, Anno 1711. die X. Martii Praeside *Dr. SONTAGIO*, Præceptore ac hospite suo, *de concursu Dei ad pravos hominum actus*, disputavit.

Præter vulgares infantum morbos, variolas scilicet atque morbillos, a morborum insultibus satis immunis hactenus fuerat Noster, sed Altorfio in patriam revertentem vehemens tertiana invasit, & satis ferociter tractavit, nec nisi aliquo tempore post redditum plenarie iterum reliquit. Qua liberatus, sine mora suavisimam denuo petuit Lipsiam, atque Anno 1712. die 23. Martii, Praeside consummatissimo illo Theologo, *Dr. Godofr. OLEARIO* hujus *Observationes philologico-Theologicas in Cap. XXIV. Evang. Matth. Comm. 3.* in Cathedra Theologica suscepit defendendas, Præ ceteris incredibile delectamentum ex rebus physicis & mathematicis sentire illo tempore incipiebat, quod brevi ita crevit, ut totum se ipsis studiis dare decerneret, ac dies noctesque mathematicis perscrutationibus consumeret. Hinc eodem anno, die XI. Maji, *de Sectionibus in infinitum alternatis* pro loco in ordine Philosophorum obtinendo, disputavit, & subsequente anno 1713. die XI. Julii *de vera cogitandi ratione alteram* pro loco App. Act. Med. Ph. Vol. IX.

dissertationem habuit, atque sic locum in Facultate more consueto laudabiliter promeruit. Eo enim factum est, ut An. 1714. inter Adjunctos facultatis reciperetur, a quo tempore eo alacrius in collegiis, quæ in Commilitonum usum hactenus habuerat, perrexit, atque etiam honesto semper incitatus est applausu. Cum dicto anno iter in Varisciam fecisset, ibique de calore solis illum inter & *Fo. Frid. ACKERMANNUM* affinem, quæstio incidisset variis argumentis agitata, Lipsiam redux rem penitus enodaturus sub initium anni 1715. edidit *Commentationem epistolarem ad Fo. Frid. ACKERMANNUM Pastorem ecclesie Walakirchensis, de Sole, quod causa caloris vulgo tributi non sit*, illique strenæ loco transmisit. Paradoxa fateor, primo intuitu videri potest hæc sententia, sed argumentis mathematico- physicis eam ita communivit, ut meo quidem judicio in illius partes cedere difficile non sit. Verbulo attingam quomodo illis occurrat, qui caloris æstivi atque frigoris hiberni causam a solis radiis, vel ad perpendicularum, vel oblique incidentibus, deducere solent. Tria potissimum contra illos monet: 1) Etiam si radius obliquus in se reflectitur, alios tamen in illum reflecti, & ipsum in alios: cum vero radii omnes æqualem secum ferant calorem, non satis patere, cur illi potius calefaciant, qui in se reflexi duplicantur, quam qui aliis æque cælidis roborantur. 2) Radios a terra reflexos vel omnino non, vel faltem debilissime calefacere, quod probat Oceanus: Omnes optici fatentur, aquam plurimos radios transmittere, paucissimos repercutere, attamen calorem manere eundem. 3) Si etiam reflexio radiorum valeret, valitram esse tunc demum, quando terra figura gauderet exacte sphærica; cum vero tam inæquale & asperum sit corpus, radios confuse reflecti & dissipari &c.

Circa idem tempus varias observationes in Miscellanea Lipsiensia curavit inserendas. Huc referendæ sunt 1) Observations de *Phoronomia Herrmanniana*, quæ extant in Tom. II. 2) Observ.

*seru. de Atomis*, in Tom. III. 3) *de geometricis & mechanicis constructionibus*, in Tom. V. 4) *de Maclesi nova methodo Grammatica hebraica*, in Tom. VI. & alia.

Attingenda nunc etiam sunt illa scripta, quæ in celebri illa controversia, quæ illum inter & subtilem Philosophum Andr. RÜDGERUM, orta est, mox cum insigni gloria RICHTERI Nostræ terminata. Nec opus est multa de illa controversia facere verba, si hoc tantum dixero, quod Physicam RÜDGERI, quæ tunc admirationi erat, hodie vero a plerisque ingeniosis commentis adnumeratur, impugnaverit. Initium fecerunt RICHTERI Nostræ objectiones contra RÜDGERI Physicam, quas Lipsiæ 1717. sub nomine R. G. F. S. edidit. Quarum statim editioni RÜDGERUS notas suas adspersit, fassus tamen simul, quamvis acerbius dicta convelleret, se vim ingenii & dictionis in adversario agnosce-re. Nec cunctatus Clar. RICHTERUS in *Vindictiis objectionum suarum* 1718. in 4. editis expresso jam nomine respondit RÜDGERO, qui non nisi in præfatione ad editionem alteram *de sensu veri & falsi* A. 1722. pauca regessit & arrosit. Imo in pretio habere coepit solidam adversarii & masculam eruditionem, ejus-que amicitiam, prima quæ se obtulit occasione, ambire. Nempe collegium philosophico-mathematicum offerens Studiosis, induxit RICHTERUM nostrum, ut in auditorio RÜDGERIANO Ma-thesin ad ductum Elementorum Illustris WOLFFII docendam sus-ciperet. Extat programma Rüdigerianum, quo ad conjunctos utriusque labores invitat Anno 1723. Lipsiæ typis impressum, unde patet, quanti fecerit mathematicarum rerum scientiam in RICHTERO Nostro deprehensam. Sed alia, cui non ita multo post implicabatur, controversia nunc sibi poscit locum, quapropter a Rüdigeriana est recedendum.

Per varios jam annos inter illos fuerat Noster, qui in conscri-bendis *Actis Eruditorum Lipsiensibus Latinis* fuerant occupati.

Hac occasione aliquoties cum celeberrimo Italo RIZZETTI de principiis Optices Newtoni subtiliter disputavit. Inferuit enim in Tom. VIII. Supplementorum ad Acta Eruditorum, primum, *disquisitionem de iis, quæ Optica Newtoniana opposuerat RIZZETTUS*, & cum disquisitioni respondisset ille, Noster Anno 1725. in ipsa Acta Eruditorum *defensionem disquisitionis sua contra RIZZETTUM* curavit imprimendam, nec ita multo post novum adhuc *monitum de Schediasmate RIZZETTI* in Tom. VIII. Suppl. ad Act. Erud. publicavit. Pertæsus tandem longarum controversiarum RIZZETTUS omnem rem Societati Regiæ Londinensi decidendam tradidit, quæ vero ejus experimenta non satis accurata judicavit, ut Newtonianis opponi possent. Itaque etiam hæc lis in non mediocrem Nostri gloriæ cessit:

Nova inter hæc literaria latina Lipsiensia per aliquot annos insertis suis doctissime elaboratis locupletavit. Sic in iis multa ab ejus manu & curatius scripta reperiuntur:

- 1) Anno 1720. *de motu & velocitate liquorum fluentium.*
- 2) Anno 1721. *de motu hydrargyri in barometro.*
- 3) Eodem Anno, *descriptio luminis borealis &*
- 4) *supplementum ad luminis borealis descriptionem.*
- 5) Anno 1723. *de Placitis Gravesandii & patrum Trivoltinorum circa perpetuum motum mechanicum, &*
- 6) *de aestimatione virium Leibnitiana contra Louvillium, omnes certe insigni rerum mathematicarum & physicarum notitia exornatae disquisitiones.*

Post id tempus inclauruit celebrato a pluriinis libello physico, quem de *natalibus fulminum* Anno 1725. in 8. prodire jussit.

Famigeratissimus ille rerum physicarum in Italia perscrutator, illustrissimus Marchio Scipio MAFFEI, primus ex rariss & accuratis observationibus de tonitruum & fulgurum ortu, agendi que modo, hanc stabilivit sententiam, quam ulterius explanavit,

confirmavit, & Germaniae nostrae per novas demonstrationes & experientias exploratiorem reddere, dicto libello studuit Clariss. RICHTERUS. Rarissima felicitate contigerat MAFFEO, ut fulminum natales ex propinquo potuerit illæsus adspicere. Orta enim in pavimento conclavis, ubi confederat, flammula coerulea, prope humerum ejus transierat, ante quam in sublime raperetur, quo facto horrendum audivit fragorem & varias in domo læsiones vidit, quæ non dubitare siverunt, verum se vidisse fulgur.

Ex tam periculo, at egregio experimento nova nascebatur fulgurum theoria, quam Clar. RICHTERUS hoc opusculo nobis ob oculos sistit. Confert etiam cum MAFFEI experimento, alia ejusdem fere generis. Inprimis adducit Abbatem LIONIUM, qui cum strenue assensum negaret, & MAFFEO contradicere decrevisset, ipsis suis convictus est oculis; sed vidit paulo aliter. Flammam enim, quam MAFFEUS terræ infilientem viderat, ille duos circiter pedes supra terram emicantem, atque statim cum fragore in altum abientem, vidit. Hinc fere apparet fulgura certe pleraque, quæ feriunt, non intra nubes, ut vulgo creditur, sed vel in terra, vel prope terram nasci, nec a superioribus regionibus deorsum agi, sed ab inferioribus ad superiora eniti. Terræ enim aptissimum ad accendenda fulgura pabulum continens, sulphuris, nitri, chalcanti effluvia affatim exhalat, quorum graviora non relinquunt terræ confinia, paucissima paulo altius feruntur. Quando igitur causa accendens, quæcunque sit, adveniat, facile comprehendi potest, illas regiones, ubi illa effluvia cumulatius hærent, omnia primas, sub majori attritu, in ignes abituras, atque deinde superiores, ubi parcius illa sunt dispersa, pulveris pyrii in modum, sed sensim languidius, accensuras. Ideo exhibet Cl. RICHTERUS antiquam Cereris imaginem Jaspide expressam, in qua sedens Ceres sive Terra, fulmen manu tenet. Ex qua imagine suspicio oriri possit, Veteres jam hujus sententiae aliquam

habuisse notitiam. Sed diutius jam justo per illos tonitruum sedes vagatus sum, quapropter abrumpo, & multa egregia argumenta, quibus fulcire novam sententiam studet Noster, ex ipsis fontibus suis petenda Lectoribus relinquo. Age! igitur ad alia progrediar.

LEIBNITZIUM in plerisque suis placitis secutus est, præcipue quod istius methodum vires corporum dimetriendi attinet, quam aliquoties, & in Actis Eruditorum, & in Novis litterariis Lipsiensibus latinis, contra aggressores ejus strenue defendit. Laudabiliter etiam de LEIBNITZIO meruit, quod germanicam *Theodicea* suæ editionem, valde mutilam, denuo correxit, atque prorsus immutatam, emendatam, notisque selectissimis ditatam, An. 1726. 8. Hanoveræ edidit.

Eodem anno incepit tandem ad munera academica admoveiri. Clementissime enim delatam sibi mathemata extra ordinem docendi provinciam die 14. Junii, habita solenni Oratione inaugurali, *de magnitudinis apparentis mensura dogmatica & empirica*, & præmisso consueto programmate, *de magnitudine & figura telluris*, feliciter auspicatus est. Varia circa hoc tempus in exteris Academiis munera illi offerebantur professoria, quæ tam accipere dubitavit, satiusque duxit patriæ servire, atque Lipsiæ, quæ illum per tot annos aluerat, etiam in posterum ingenii vires, sua studia atque officia devovere.

Edidit paulo ante ingressum dicti muneris P. M. Salvat. RUFIFI descriptionem historicam horrendi terra motus, qui contigit Panormi in Sicilia, ex Itala in latinam linguam translatam, adjecta tabula ænea & præfatione, Lips. in 4to. Nec ita multo post cundem libellum typis linguae vernaculae curavit exscribendum.

Præterea quoque anno dicto mortuus erat Clar. JUNIUS, qui hactenus in conficiendis Calendariis quæ Regio jussu & privilegio quotannis prodeunt Lipsiæ, desudaverat. Novum igitur signum

signum RICHTERO Nostro datura Aula Dresdensis, quam commendata sibi sit illius in ejusmodi rebus accurata notitia, etiam hanc illi provinciam benigniter demandavit, cui etiam se abunde parem esse successu temporis egregie comprobavit.

Neque inter tot labores, totque controversias exercitia aca- demica intermisit. Disputavit enim An. 1728. d. 25. Sept. de li- berte & causarum nexu. Quam dissertationem germanus Fra- ter Ge. Gottfr. RICHTER, qui nunc Pastor primarius de Ec- clesia Zerbingensi optime meretur, sub ejus præsidio defendit. Anno 1730. cathedram iterum concendit de machina & spiritu disputans. Respondebat Frider. Ackermannus, illius Joannis Friderici, ad quem superius allegatam *Commentationem epistola- rem de sole quod causa caloris vulgo tributi non sit*, scripsérat, fi- lius natu major.

*Hübnerianum quoque Lexicon Naturæ & Artis* egregie au- etum atque repurgatum bis prelo commisit Anno 1727. & 1731. 8. maj.

Illustris Academia Cæsarea Naturæ Curiosorum in numerum Collegarum An. 1730. sub nomine NICETÆ recepit Nostrum. Extat quoque in Vol. III. Actorum inclytæ hujus Societatis obser- vatio Nicetæ Nostri, *de lapide in trunco betula reperto*. Sed de- lendum certe est, quod cumulati nimis labores impediverunt Nostrum, quo minus desiderio suo potuerit facere satis, & cre- briores observationes physicas, in Acta Academiæ inserendas, communicare. Incumbebat enim humeris ejus magna laborum pars circa Acta Eruditorum Lipsiensia exaranda. Accedebant controversiæ cum Viris spectatissimis subinde ortæ, quarum ple- rasque in Actis Eruditorum expedire solebat. Non enim erat ex illis, quibus moris est tumultuariis recensionibus Auctorum vix e limine inspectorum defungi, de nullo libro recensionem inserere solebat, nisi quem accurate perlegere ac pertentare li- cuerat.

cuerat. Nemini publice contradicebat , nisi penitus evoluta , & in toto suo , ut ita dicam , ambitu perspecta ejus sententia. Quo factum est , ut illi labores , quos Acta Eruditorum ei imponebant , pene totum poscerent. Inseruit in illa , præter innumeratas librorum recensiones , multa proprio labore enucleata , inter quæ refiero.

- 1) *Methodum novam computandi series figuratas.* In Supplementis ad Acta Erudit. Tom. IX,
- 2) *de errore in estimando motu composito,* ibid.
- 3) *Observat. Meteorolog. ad An. 1728.* In Act. Erud. 1729.
- 4) *de estimandis viribus corporum juxta quadrata celeritatum,* ibid.
- 5) *Obs. meteor. ad ann. 1729.* In Act. Erud. 1730.
- 6) — — — — — 1730. — — — 1731.
- 7) *Additamentum ad Schediasma KUHNII de numeris polygonis.* In Act. Erud. 1731.
- 8) *Additamentum ad Schediasma de motu composito.* In Act. Erud. 1732.
- 9) *de Methodo intercalandi Leopoldi PILATI & Clar. HAMBERGERI,* ibid. 1735.
- 10) *Diarium meteorol. ad ann. 1731.* In Suppl. Act. Erud. Tom. X.
- 11) *De demonstratione JURINI Virium mensura Leibniziana operosa.* In Act. Erud. 1735.
- 12) *De proportionibus harmonicis.*
- 13) *De vera virium corporearum natura & varietate.*

Anno 1732. ex Natione Misnica in Saxoniam transiit , ut faciliorem sibi ad munera academica faceret accessum. Superius jam annotavi , maluisse nostrum honores atque emolumenta Ordinarii Professoris in academia Lipsiensi expectare , quam in exteris Academiis (ut Göttingæ 1734.) oblatos , paulo citius capessere.

pessere. Adfuit tandem fortuna votis, licet paulo cunctantior. Cum enim per integros viginti annos solidam eruditionem, assida studia, indefessos labores, abunde satis ostendisset Proceribus academiæ, laudes ejus etiam ad *Augustissimi Regis* aures ad-volarunt. Nosse bonos Viros clementiæ Potentissimi FRIDERICI AUGUSTI sufficit, ut illis gratiæ suæ documenta exhibeat lu-culentissima. Noster etiam hanc optimi Principis benignitatem largiter expertus est.

Non solum enim anno 1734. cum munus Professoris Metaphysics Ordinarii in alium æque celebrem Virum esset translatum, Regio jussu Salarium Nostri insigniter auctum, sed etiam anno subsequenti, cum mortuo L. JENICHEN ordo Philosophorum Celeberrimi hujus Viri jacturam idoneo rursus successore sarcire cuperet, Sapientissimus Rex neminem Candidatorum a Facultate commendatorum RICHTERO Nostro judicavit dignorem, propterea que munus Professoris Moralium & Politices Ordinarii clementissime illi demandavit. Provinciam hancce diu promeritam Noster more majorum, habita solenni oratione, *de vera virtutis indole & præstantia*, (quæ paulo post etiam typis exscripta fuit) auspicatus est. Ad audiendam vero hanc inauguralem Orationem evulgato Programmate, quod *de virtute hominum morali* conscripsérat, decenter, & ex more academico, invitavit.

Sed recedamus paulisper ab historia literaria Nostri, ut rem domesticam ejusdem breviter recensere possimus. Vitam hactenus per annos XLVI. cælebs duxerat, & animum literarum pascere studiis, non alias in illum amores admittere consueverat. Sed sensit tandem sociæ vitæ opportunitates, nec tam morosam esse moralēm philosophiam, ut honesti conjugii delicias fastidiat, sed has potius inter vitæ solatia & cararum levamina ponat. Virtutum admiratores eo lubentius sumus, quo amabilius splendent illæ in pulchriori sexu. Accidit idem RICHTERO No-

stro. Eminebat tunc præ ceteris omni virtutum genere, quibus pulchrior sexus exornari solet, lectissima Virgo, *Joanna Sophia Bærneria*, Viri summe Venerabilis Christiani Friderici BOERNERI, S. S. Theol. D. atque Professoris primarii in Academia Lipsiensi, totius Academia Senioris, Capituli Misenensis Custodis, Consistorii Professoris, & Academia Decemviri Filia, natu major, ex priori conjugio, quæ primam lucem adspexerat Lipsiæ anno 1721. die 24. Junii. Nil certe amabilius dare potuisset Nostro divina clementia, quam cum Magnum Parentem, & dignam eo prolem moveret, ut flagitationibus RICHTERI Nostri annuerent, & ille generum, ista maritum, in familiares amplexus prompta volantate admitterent, quo factum est, ut anno 1737. die 30. Septembris, felicissimis auspiciis sacra conjugalia celebrarentur. Quo animorum consensu hunc & in sequentem annum transegerint, cogitatione facilius, quam descriptione adsequi licet.

Anno 1738. augebatur numerus munerum RICHTERI Nostri, summe enim Venerabilis Socer, tot munerum amplitudine gravis, partim in levamentum oneris, partim ex favore in generum, curam Bibliothecæ Academicæ, quam antea gesserat, contentientibus reliquis Academiæ Proceribus, ei tradidit, quam ille non solum libenter in se suscepit, sed etiam ad mortem usque ornavit. Hoc etiam anno additamenta ad nova literaria Lipsiensia exaravit.

Initio anni sequentis 1739. optima conjux Nostri die 25. Januarii filiolam partu edidit, *Fridericam Sophiam*. Sed o carum pignus! nimis magno pretio redemptum! Visum ita divinæ prævidentiae, ut, dum filiolam Noster acciperet, conjugem amitteret. Die quinto enim Februarii, qui vix duodecimus a partu erat, purpura invasit pueroram & sustulit e viventium numero! Filiolæ teneræ, matre in vitæ primordio carentis adspectus, quid nisi luctus crebro renovati causa esse potuit? Hic prima vice

vice constans RICHTERI Nostri animus vacillare cœpit. Diffuentem enim lacrymis viduum nec cognatorum, nec amicorum omnis generis, blanda & consolationis plena alloquia sopire poterant, donec tandem prima eaque acerbissima doloris levititia tempore & ratione mitigata, ad nutum divinæ providentiae, etiam inter vulnera salutaris, obmutuit, & venerabundus agnovit, illam non nisi bene ac sapienter nobiscum agere posse.

Dicto anno 1739. ad fastigium honorum academicorum Rektoris nempe dignitatem, collectis consuetis Nationum suffragiis, evectus est. Illustre hoc magnificumque munus more consueto solenni oratione suscepit, quam *de vi legum obligante*, argumento ad talem occasionem quam maxime accommodato, habuit.

Initio anni 1740. invenit tandem luctibus, quibus conjugem defunctam haetenus prosecutus erat, congruentissimam medicinam. Monstrabat illi fortunæ favor ornatissimam virginem *Augustam Gertrudam*, Viri Illustris atque Excellentissimi *Augusti LEIDENFROSTII*, Reg. Polon. & Elect. Sax. Confiliarii Aulici Filiam natu maximam. De qua ut paucis multa prædicem, sufficit dixisse, fuisse illam dotibus virtutum amissæ conjugi simillimam. Arbitrabatur igitur Noster nullam opportunius in locum ereptæ successuram esse. Postquam, quid optaret, ingenue declarasset Noster, lubenter se se illi despöndit, consentiente Optima Matre tunc sola superstite, quæ cum Nostro ut sanguinis, ita amoris vinculo dudum juncta erat, cum matres utriusque germanæ sorores essent. Celebrarunt etiam non multo post die 2. Februar. 1740. sacra conjugalia Martisburgi in domo paterna, atque hinc Lipsiam reversi, duos integros annos conjunctissime dulcissimeque exegerunt. Nec poterat non gratulari sibi de ejusmodi conjuge RICHTERUS Noster, quæ formæ & morum venustate tanquam perpetuis illecebris irretitum tenebat, & non

solum flagrantissimo illum amore complectebatur, sed etiam literarum elegantiorum dulcedine ita delectabatur, ut, quidquid temporis a domesticis negotiis superesset, vel exquisitorum librorum lectioni, vel poematum compositioni, qua arte insigniter excellebat, cum successu & laude ingenii impenderet. Luculentissime hujus rei testimonio fuerunt multæ epistolæ, vel gratulatoriæ, vel alias argumenti, poetice ad maritum scriptæ, tenerrimum ubique amoris & virtutis sensum spirantes, quas perlegere a beato *Avunculo* mihi interdum concessum est: Suscepit ex hac dulcissima conjugе Anno 1741. optatissimum filium *Georgium Augustum*, qui vero post flebilem utriusque parentis mortem, in domo aviæ maternæ Martisburgi variolis iterum occubuit anno 1744. velut soror in ædibus Avi Lipsiæ, eodem morbo, ita ut nullam ex utroque conjugio prolem nostra ætas superstitem habeat.

Anno 1741. Pro-Cancellarii Facultatis philosophicæ spartam nactus est Noster, cui provinciæ ut faceret satis, die illo solenni, quo Ordo Philosophorum honores Magisterii exploratis ingeniis distribueré solet, ante consuetum proclamationis ritum orationem habuit, *de pænarum & præmiorum usu*. Nec omittendum, quod eodem anno locum inter minoris Principum collegii collegiatos nactus sit.

Anno subsequenti etiam Decani ordinis sui dignitas munusque ipsi conferebatur, & cum tempus creandis Magistris destinatum rediret, hæcce solemnia indicavit programmate Decanalij, in quo *de loco PLATONIS in Protagora: Cur voluptates quadam mala sint?* varias doctorum virorum sententias dijudicavit. Prodidiit hoc Lipsiæ 1742. 4. 2. plag. At ipsam operam die constituto, qui erat octavus Februarii, XIII. dignissimis candidatis insignia, honores privilegiaque Magistrorum consueto ritu conferendi,

rendi, transtulit in Collegam Cel. *Kappium*, quippe recentissimo luctu domestico oppressus.

Nam dulcis vitæ & curarum socia *Leidenfrostia*, gravi & len-  
to morbo, qui omnia in corpore coctionum præsidia subvertisse  
visus est, extabescens, spem etiam novæ graviditatis abortu effudit.  
A quo cum virium aliquot colligere videretur & post dies quos-  
dam e pacato somno evigilans, pituitæ aliquid, quod in trachea  
sensit, extrudere vellet, subito cum stupore adstantium, & in au-  
xilium inani molimine advolantium, suffocatur, sive quod crassior  
moles vias aëris interciperet, sive vires partium expellentes pa-  
ralysis corriperet. Ita die 27. Januarii extincta miserum maritum  
quasi Jovis fulmine istum in novum luctuum labyrinthum præ-  
cipitavit. Percussus tanta calamitate, latentem morbum suum,  
quocum jam ante conficitatus fuerat, immaniter augeri sensit, cuius  
initia, progressum, lugubrem denique finem breviter recensebi-  
mus.

Per multos jam jam annos ad dirum illum Mathematicorum  
morbus, quem hypochondriacum dicunt Medici, proclivis fue-  
rat Noster, qui fere semper, sed hieme præcipue, & quidem quot-  
annis gravius, illum solebat infestare. Tussis equidem molesta  
cum sputo tenaci tetroque præcesserant; sed anno 1737. copiolí,  
iisque graveolentes nocturni sudores jungabantur, atque merbi  
genium magis adhuc declarabant. Initio anni 1738. dictus affe-  
ctus tam atrociter invadebat Nostrum, ut actum de illo quidam  
crederent, superveniente in primis vehementi febre catarrhalí.  
Propulsavit tamen Natura tam periculosí hostis aggressiones, & ab  
hoc tempore ad annum usque 1741. se satis fortiter contra novos  
illius insultus defendit. At nihil tamen minus lente serpens con-  
sumtio nimis proh dolor! accurate a reruſi peritis notari poterat.  
Maculae quoque hepaticæ, iuccessu temporis semper majores co-  
piosioresque, non optimam suggerebant prognosin. Hisce omni-

bus æstate 1741. nova quædam, at prioribus affinia, & ex eodem malorum fonte emergentia symptomata accedebant. Molestissima nempe molimina hæmorrhoidalia, paulo post etiam sanguinis mictio, ut & insignis dolor tumorque partium adjacentium morbum exacerbabant. Attamen adhibitis medicaminibus ita adspiravit Numen, ut ex tetris hisce symptomatibus præter iniucissimam inveteratamque tussim, paulo post nihil superesset. Siluit hinc inde morbus, donec initio anni 1742. mors præmatura dilectissimæ Conjugis ita vires naturæ opprimeret, morbi vero restaueret, ut invincibili prorsus fævitia in jam debilitatum fractumque corpus, novum impetum faceret, & acerbissimis doloribus dorsi, & hypochondriorum inprimis, intolerabilibus anxietibus, colliquativis sudoribus, insanabili abdominis duritie, alvo pertinacissime clausa, cedemate pedum indies aucto, & denique, ut eo perfectior fiat idea, *Morbi nigri Hippocratis*, colore nigricante, aliisque quibus bilis atra terribilis est, symptomatis, ita excruciaverit miserum, ut tandem inter summos dolores, quos tamen constantia, non Stoica, sed philosophum Christianismi præceptis imbutum decente, perferebat, die 23. Junii hora secunda post meridiem spiritum Deo ter optimo maximo commendatum redderet. Vixit in hac terrarum miseria annos L.

Menses VII. dies XXIX.



MEMORIA  
VIRI  
EXCELLENTISSIMI, EXPERIENTISSIMI  
atque DOCTISSIMI  
DOMINI  
JOANNIS ADAMI  
KULMI,

Artis salutaris Doctoris, Physici civitatis Gedanensis ordinarii, Medicinæ ac Physices in Athenæo ibidem Profess. Publ. ordinar. Academ. Imperial. Nat. Curiosor. Collegæ, & Regiæ Berolinens. Societat. Scientiar. Sodalis,

Die XXII. Kal. Julias A.S.R. MDCCXLV.

*placida morte extincti,*

ex funebri Rectoris Athenæi Gedanensis

Programmate  
depromta.

**Q**uo conjunctius atque amantius cum *Jo. Adamo KULMO* nostro viximus, eo dolentius festinata ejus, nuper extinti, morte afficimur. Multa cum eo uno amisimus, amicum fidelem, communem Medicum, Collegam concordiae appetitissimum, in consiliis sapientem, in communi vita jucundum, in exsequendis munerum officiis perindustum, virum denique eruditum, qui collegio nostro ornamento & erat, & esse existimabatur. Multis profecto iisque illustribus eminuit virtutibus, de quibus cum *Vobis* notæ sint, *Cives*, nihil adderemus, nisi easdem, elogio nostro commendatas, etiam posteritati notas esse expediret.

Nihil ei deerat eorum, quæ in bono Medico requiruntur. Non artis peritia, non patientia, sive in visendis ægris, sive in vincendis pertinacissimis morbis. Non prudens sagacitas, qua non præsentes modo, sed futuros etiam morbos depulit. Non circumspectio in ancipitibus ambiguisque malis. Non usus, quippe tot annorum exercitatione acquisitus. Non denique fortuna, quæ præcipua Medici dos est, quamque Noster in curatione quorūlibet morborum adeo habuit fautricem, ut non dubitemus, suffragante tota civitate, felicissimum Medicum nuncupare. In tuendis munerum suorum partibus & omni re administranda ita versatus est, ut dubium sit, magisne fides an industria ejus laudari debeat. Erat quidem in ea adhuc viriditate ætatis, quæ laboribus subeundis apta videretur, tantis tamen quotidie urgebatur negotiis, ut valentissimus quilibet aliis videri potuisset impar eis sustinendis. Ipse sustinuit incredibili diligentia. Quodvis munus obibat ut solerter, ita alacriter, nunquam remissus, aut modici etiam otii, nunquam suscepti negotii pertæsus, nunquam labore fractus.

Ad industriæ artisque gloriam accedebat morum integritas, facilitas, suavitas, qua cunctos ad sui amorem allexit, ut non minus

minus apud principes civitatis gratus esset, quam infimis carus. Fortuna sua aut doctrina, licet potuisset, nunquam se efferebat, nunquam eum sensimus inani aut insolenti gloriacione vanum. Inter familiares sic se gerebat, ut consuetudine sua æque prodeisset ac delectaret. Adamabat sermones aut eruditos, aut de publicis rebus, in quibus, cum multarum rerum haberet usum, multa solebat memoriter & jucunde narrare. In colloquijs erat urbanus ac facetus, animo semper a morositate & asperitate averso, nulli tamen molestus aut illiberali joco, aut aculeato. Quid memoremus liberalitatem ejus in pauperes, quos non solum juvit arte sua sine præmio, sed etiam suis fortunis. Quid dicamus de bonitate in suos, maxime de pietate in fratrem natum majorem, quem semper parentis loco reveritus est, & a quo recepta beneficia tam immortali retinuit memoria, ut perpetuo gratus esset, gratiamque, quam fratri non poterat, liberis fratris abunde rependeret. Longum esset ire per cætera, multa eaque spectata Viri decora. Id dixisse sufficiat, fuisse & clarum virum & bonum.

Tali igitur Collega nunc carentes, non possumus non commoveri, neque id est nostræ humanitatis. Vestra quoque causa angimur, O Cives, qui, qualem doctorem amiseritis, novimus, & quam graviter feratis dolorem, quem accepistis cum summi Viri tum Vestrum amantissimi decessu. Cum igitur medicina & consolatione egeatis, non profecto refricaremus vulnus Vestrum longiore commemoratione, nisi eandem & ad Vestros usus pertinere, & nonnihil quoque solaminis secum ferre crederemus. Dedit enim Noster vita sua exempli documentum, unde Vobis capiatis, quod in vita studiisque vestris imitemini. Quare digna nobis res tum omnium cognitione, tum nostra necessitudine videtur, imaginem vitæ ejus, quantum ejus ad nostram notitiam pervenit, exprimere.

Natus est *Wratislavia* VII. Kal. Aprileis anni MDCLXXXIX. ex *Adamo KULMO*, & *Maria FLEHELIA*, civibus Wratislaviensibus, qui pueri animum, a natura jam bene informatum, cum in ludo privato, tum in Gymnasio Mariæ Magdalenaæ primis litterarum disciplinarumque ac virtutum rudimentis alendum curarunt. Patrem mature amisit, cum vix decem annos haberet, matrem paulo serius, qua similiter orbatus, alterum parentem reperit in fratre natu majore, *JOANNE GEORGIO*, artis Apollineæ Doctore quondam inclyto. Hic juvenem, parentibus facultatibusque carentem, ad se Gedanum accivit anno MDCCVI. & per liberaliter institutione, consiliis, domicilio, convictu, libris opibusque suis adjuvit, cunctaque fecit, quæ ab homine benevolentissimo in juvenem bonæ frugis proficiisci possunt. Hujus suasu Noster dedit se in disciplinam eorum, qui tum in Athenæo nostro docebant. Audivit *SCHELGUIGUM*, *WILLEMBERGIUM*, quo postea Collega usus est familiarissime, *GLOSEMEIERUM*, *GRODDECKIUM*, *SARTORIUM*, *REUSSIUM* & *PAULUM PATREM*. Ab his magistris animus ejus, discendi cupidissimus, quavis doctrina liberali fideliter expolitus est. Maxime tamen se, hortatu fratris, ad salutaris artis disciplinam accommodavit, cumque ea, ut par erat, conjunxit physieen ac mathesin. Attigit quoque poëticen, ad quam cum natura aptissimus esset, propter ingenii jucunditatem, in ea sic profecit, ut probabilis Poëta cuilibet videretur.

Sic institutus spei præclaræ juvenis flagrat jam cupiditate majoris doctrinæ aliis in locis hauriendæ. Adit primo *Halas Magdeburgicas*, (anno hujus seculi undecimo) novam tum, sed florentissimam Academiam, ibique pendet ab ore optimorum Medicorum, *Frid. HOFFMANNI*, *STAHLII*, & *Michaelis ALBERTI*. Adebat quoque *Christ. WOLFFIO*, illustrissimo viro, in scholis mathematicis & physicis, ab eoque cultum amoenissimæ

scien-

scientiæ accipit. Hic tres annos moratus cogitat *Francofurtum ad Viadrum*, eoque proficiscitur. Sed mutato justam ob causam consilio, confert se *Lipsiam*, ad emporium bonorum artium in Germania facile princeps. Hic doctores nactus fama meritisque clarissimos, *Io. BOHNUM & Aug. Quir. RIVINUM*, facile perficit, quod adhuc in studiis litterarum perfectionem desiderare videbatur. Inde peragrata magna Germaniæ parte, lustratisque in itinere *Fenensibus & Alterfinis Athenis*, venit *Argentoratum*, & non modo anatomicas atque chirurgicas auditiones *Io. SALZMANNI & HENNINGERI* frequentat, sed etiam his ducibus ipse in nosocomiis periculum artis suæ facit. Neque Germaniæ finibus ardorem discendi concludi passus, excurrit *Basileam* ad Helvetios, ibique multum non sine fructu utitur institutione & consuetudine *ZWINGERORUM & Eman. KOENIGII*, Medicorum celeberrimorum, itemque *Io. BERNOULLII*, Mathematicorum suæ ætatis primarii. Horum sententia Noster dignus summis in arte medica honoribus judicatus, *Basilea* anno quindecimo hujus seculi laurea Apollinea condecoratur, ejusque potiundæ causa solus publice de *harmonia morum atque morborum* disputat. His ornamentiis condecoratus, statuit in *Batavos* peregrinari, tum cognoscendæ gratia regionis, amplissimis urbibus constitæ, tum fama excitus virorum summorum *RUYSCHII, RAVII, BOERHAAVII*, quorum illis temporibus maxima erat admiratio. Quos omnes ille observantia & consuetudine sic sibi devinxit, ut eis perpetuo carus esset, & nonnunquam eorum epistolis cohonestaretur. Ab iisdem, haud invitis, in adyta reconditionum artium, quæ tum primum proferebantur, intromissus, sic postea illorum doctrinam & virtutes sibi proposuit æmulandas, sic vestigia eorum persequenda, ut, feliciter assecutus, mortuos illos eruditiori orbi reddidisse videatur. Quicquid denique in Batavia ab audiundis alloquendisque eruditis viris ac salutandis amicis temporis

superest, id omne dat hortis medicis perlustrandis ac xenodochiis nosocomiisque visitandis. Quæ res quanto usui fuerit, postea expertus est, cum in urbe nostra ejus opera in ejusmodi domibus desideraretur.

Hac ratione cum magnarum rerum atque artium scientia instructus esset, omnibus cum naturalis philosophiæ, tum medicæ sapientiæ spatiis feliciter confectis, cum satis honoribas ditatus & voluptate tot visarum urbium satiatus esset, ad suos redire parat. Iter facit per *Westphalos & Saxones inferiores*, apud eosque contemplatus locupletissimam Guelpherbytanam bibliothecam ac Salinarum vallem. Redux Gedanum factus, fratris impulsu, qui eadem in eum voluntate semper fuit, hic potius, quam in patria, sedem ac domicilium sibi collocat, eodemque autore recitationes anatomicas & chirurgicas privatim facit, & nonnullis scriptis industriam æque ac doctrinam declarat.

Tulit laborum suorum fructum. Namque anno vigesimo quinto Magnificus Senatus munus medicinam & physicen publice docendi, quod olim ab EICHSTADIIS, SEGERIS, HEYSEIS, GLOSEMEIERIS ornatum huicdum vacaverat, communi decreto ei detulit. Quod cum ille, habita solemni Oratione, *de connubio philosophiæ naturalis cum reliquis scientiis*, auspicato adiisset, exspectationem Patrum non tam explet, quam superat. Neque enim mandatas modo partes pro virili exsequitur, commentando ac disputando frequenter, sed insuper mathematicis & astronomicis præceptionibus juventutem nostram sua sponte instituit. Quanta autem industria, quanta dexteritate in Vobis erudiendis usus fuerit, nostis. Docet enim, delectat, afficit. Gravissimam disciplinam rerum, quas ex naturæ sinu depromit, tanta facilitate Vobis aperit, ut nemo sit, utique attentus, quin fiat arcanorum naturæ intelligentior. Si aciem intendit in arduarum ac retrusarum rerum, quas natura occultat, cognitionem, nunquam in genio

genio deest aut lumen exempli, quo illustret, aut experientia, qua confirmet. Neve difficultas abstrusæ & interdum incertissimæ scientiæ discentium laborem frangat, semper gratiæ quid ac suavitatis inspergit. Industriæ autem ejus nullum majus proferre possumus testimonium, quam quod per paucis ante mortem diebus, cum jam a morbo tentari se sentiret, vos docuerit. Non enim ab officio isto, quod semper, cum valeret, libentissime usurpavit, abduci aut incommodo suo aut præsensione morbi potuit. Sæpe alias iustam habere potuit excusationem subterfugiendi laboris, propter infinitas occupationes suas, quæ vix idoneum tempus relinquebant, quantum voluisse, studiis obsequendi suis, nunquam tamen officium suum intermisit, ratus, ægrotorum causa inique negligi sanos.

Neque solum audientes docuit, sed legentes quoque, plurimis, quæ ætatem ferent, editis conscriptionibus, in quibus ingenium Viri, doctrina varia, exquisitissima artis medicæ peritia & observationum novarum elegantia clarissime exsplendescunt. Earum hæc singularis dos est, quod a tironibus æque ac doctis cum fructu legi possunt: nam quicquid ab eo scriptum est aut traditum, non cincinnis expolitum & calamistris, sed distincte, plane ac dilucide scriptum esse miramur. Operæ pretium faciemus recensendo ea, quæ concinnavit atque emisit, non omnia tamen, sed, omissis minutioribus scripturis, præcipua. Primo loco nominemus *Tabulas anatomicas*, aureolum atque utilissimum libellum, in quo cum notitiam dat autorum, qui vel de Anatome, vel corporis totius fabrica, vel singulis membris scripsierunt, tum ipsum corporis humani mirifice a Deo fabrefacti sistema succincte describit, omniumque ejus partium naturam, compositionem, formam, usum sigillatim explicat, tam facile methodo, quam absoluta enarratione, ut vix credendum sit, tantas res tam breviter potuisse declarari. Adjunxit, quod per-

cesserium videbatur, figuræ eleganter in æs incisæ, quas sua delineaverat manu. Erat enim picturæ scientissimus. His quantum pretium fuerit ab eruditis habitum, ex eo judicari potest, quod non modo octies jam sunt prelo excusæ, Gedani, Lipsiæ, Augustæ Vindelicorum, Norimbergæ, Amstelædami typis nitidissimis, quinquies ab ipso, ter invito eo atque indignante, sed etiam in gallicam linguam translatæ; ipse enim germanice primum anno XXII. scriptas post latine edidit. Non nescit Gedanum nostrum, quanto iste Vir sibi fuerit decori, qui celebritate famæ non suis solum civibus, sed disjunctissimarum quoque terrarum eruditis notus, tanti æstimatur, ut ejus libros ter & quater recudendos putent. Idem *libros fastorum annuos conficit* inde ab obitu PAULI PATRIS, qui ex privilegio Regio eos ante scriperat, i. e. anno seculi præsentis XXVI. usque ad annum XXXIII. Idem dedit *descriptionem aurora borealis anno XXI. conspectæ, descriptionem anatomico-physiologicam fætus monstrati, cui adducitur observatio de viro in aqua suffocato. Elementa philosophia naturalis, cum figuris æneis. Fasciculum exercitationum physicarum.* Jam laudavimus supra Dissertationem ejus inauguralem, *de harmonia morum & morborum.* Reliquæ, quibus ipse publice præsedidit, hæ fere sunt. *De tendine Achillis disrupto & arteriis in osseam substantiam degeneratis. De litteris in ligno fagi repertis.* Hanc cum eo defendit Jo. Ern. KULMUS, Vir experientissimus, fratri filius, qui & medicæ artis scientiam, & virtutum morumque præstantiam a patre & patruo velut hæreditate relictam sic tuetur, ut ipse superstes tam amissi utriusque jacturam magna ex parte resarciat, quam acerbissimum dolorem nostrum leniat. Denique disputavit noster *de præjudiciis quibusdam medicis. De uteri delapsu suppressionis urina & subsecuta mortis causa. De exostosi (teatomatode claviculae ejusque felici sectione. De accessu aëris per pulmones in sanguinem.*

sanguinem valde dubio. An sol aquam attrahat. An magnes ferrum attrahat. An astra gaudeant influxu. An obscuratio Solis tempore passionis Christi fuerit eclipsis naturalis. An iris non apparuerit ante diluvium. An in dentibus dentur vermiculi dolorum causa. An vena sectio prima instantem mortem præveritat. An ignes fatui sint spectra. An monstra humana necare liceat. De partu infantis post matris obitum. De circulatione sanguinis medicina universali. Præterimus illas Dissertationes, quas auditores, tali magistro digni, suo Marce elaboratas, in cathedra publica a dissentientibus vindicarunt, eo moderante. Qualis est illa, *de religione Medici*, scripta a Christ. SENDELIO, viro medicinæ & elegantiorum litterarum consultissimo. Programmata elucubravit tria, unum aditiale de *vera felicitate, mentis eruditione & corporis sanitate*; alterum *in memoriam secularem inventæ circulationis sanguinis ab Harveo, anno XXVII. tertium funebre, ad exequias Gottl. SCHELGUIGII.* Tacemus observationes ejus, tum *Ephemeridibus Academia Nat. Curiosorum*, tum D. KANOLDI Collectionibus Wratislaviensibus *historia naturalis* insertas. Redeamus ad vitam ejus, & utinam ad vitam solum.

Facta posthac est Nostro non unius honoris accessio. Namque Cæsarea Academia Naturæ Curiosorum, fama meritisque Viri permota, & Societas Regia Berolinensis Scientiarum, præclaras ingenii ejus facultates suspiciens, eum sponte in Collegia sua cooptaverunt, illa quidem anno XXII. hæc A. XXXV. Magnificus autem urbis nostræ Senatus, perspecta ejus tot documentis & sanandi morbos & de eorum causis acute judicandi facultate, duumviratum medicum in urbe gerere jussit anno XXXVI.

Tali modo cum non minus dignitate, quam gratia & fortuna crevisset, tanta prosperitate usus valetudinis, ut annos plures medicina non indiguisse, ab qua & consilio abstinebat, & quia potionis medicatas sumere nequibat. Nuper subito nactus est

mor-

morbum, qui tanta vi in omnes artus prorupit, ut die quinto post, quam in lecto se cohibuerat, III. Kal. Junias vitam cum morte commutaret admodum placide. Moriendi enim sensum & celeritas abstulit & ipsa vehementia febris, quæ omnes sensus repente occupaverat ita, ut fere citius conficeretur, quam periculose ægrotare inciperet. Hac ratione Noster pro mortali conditione immortalitatem consecutus est, habiturus etiam immortalitatem famæ, cum ætatis annum LVI. compleisset, satisque sibi, satis forsitan naturæ, verum non satis urbi, non orbi eruditio, non suis, non Vobis, non bonis omnibus vixisset. Immortale Numen supplices veneramur, ut detrimentum illud, quod decessu Viri amantissimi accepimus, provida Patrum Patriæ cura auspicato reconcinnetur & KULMO sufficiatur vir KULMO quam simillimus. Nos vero operam demus, ut quicquid in Optimo illo Viro amavimus, quicquid in ejus doctrina moribusque suspeximus, sempiterna memoria, æmulandi studio, perenni veneratione complectamur.



# INDEX.

Asteriscus numeris præfixus indicat  
Appendicis paginas.

*A.*

**A**bdominis musculorum ab-  
scessus, 379. gravidæ mira  
expansio. \* 63

**A**bies præbet cedriam. 244.  
246

**A**bstum præcavere potest ven-  
tris debita cinctura. 322

**A**bsscessus musculorum abdomi-  
nis. 379

**A**chates ex ligno petrefacto.  
402

**A**cidißima aqua ex regno vege-  
tabili sine fermentatione pa-  
rata. 247

**A**diposi polypi cordis. 359

**A**dstringentium noxa in hæ-  
morrhagiis. \* 41. seqq. 54

**A**eris frigidi & humili noxae.  
\* 102

**A**juga. \* 11

**A**lbis infans parentibus æthio-  
pibus natus. 390

**A**lvi obstrucțio contumax rese-  
rata. 410

**A**lvus adstricta cuivis morbo ac-  
cedens. 382

**A**mygdalarum dulcium oleum  
correctum. 130

*Act. Med. Ph. Vol. IX.*

**A**nasarca cum febre quartana  
duplici in grida curata. 167

**A**natomicum theatrum Hafnien-  
se recens exstructum. \* 250

**A**nginæ diagnosis & prognosie  
107. seqq. remedium 133. in  
pulmonum inflammationem  
metaptosis. 104

**A**ni defectus in puella feces per  
genitalia reddente. 24. 26

**A**nodynorum effectus in spas-  
mis. \* 20

**A**nthelmintica virtus asæ foeti-  
dæ. 41

**A**ntimonii crudi usu interno  
rheumatismus sublatus. 213  
reguli martialis stellæ structu-  
ra & genesis. 253. sulphuris  
aurati vires. 201

**A**ntispasmodica mixtura oleosa.  
131

**A**poplectico-suffocativus affec-  
tus. 286

**A**poplexia cum delirio. 349.  
sanguinea & serosa tertiam  
admittit speciem mixtam. 222  
ex veneris abusu in senio.

**A**poplexiæ historia. 218  
ibid.

99

*Appe-*

# I N D E X.

- Appetitus integer, si non: exce-  
dens, in paralyticis. 220
- Aqua cedriata, vide cedriata  
aqua.
- pugilum, 172; ignea. *ibid.*
- Aqua frigidæ potus reficiens  
& excellens remedium. \* 15
- Aquarum ante partum proflu-  
vium innoxium unde. 313.
- medicatarum Seidschützen-  
sium abusus noxius. 397
- Aquila philosophi. \* 172
- Architatri in Russia definitio. 341
- Arnicæ effectus, 4. florum usus  
in pleuritide, 198; vires æmu-  
latur dulcamara. 132
- Arsenici noxia ad applicatio in fa-  
vo capitis. 165
- Arteriæ læsæ pericula. 178
- Arteriotomia in temporibus ef-  
frenæ cephalalgijæ remedium.. 366.
- Arthritidis cauſa. \* 11
- Aſſæ foetidæ virtus antihelminti-  
tica. 41
- Aſcites a casu ab alto, paracen-  
tesi solutus. 287
- uteri explicatur. 370
- — gravidis mihius no-  
xius. 307
- Aſthma convulsivum curatum,  
370; flatulentum. 45
- Aſtrum septentrionale: ſopho-  
rum. \* 166
- Aurum cum variis partibus con-  
ſensus, 367; irritationis effe-  
ctus atrocissimus, 379; scarifi-  
catio, v. scarificatio aurum.
- Aurum tinnitus a flatibus &  
vermibus quare oriatur. 368
- E.*
- Balsamo de mecha accedens re-  
ſina. 250
- Beccchica mixtura oleofa. 133
- Betæ rubræ succi vires contra  
odontalgiam. 33
- Betulæ oleum nigrum. 252
- Bilis defectus 396; effusio secun-  
dum ætatem varia, 387; piceæ  
quasi substantiæ. 290
- loco reperta aqua in ves-  
cula. 387
- Bingiana forceps. \* 59. 90
- Brachii integri reſolutio in fo-  
tu septimestri contingens. 360
- Brubier, (Joh. Jac.) ejusque in-  
ſtituti fit. mentio. \* 60
- C.*
- Cactus est Cereus. \* 180
- Cadmei socii philosophi. \* 172
- Cajahaba & Cahajaba. \* 180
- Calculi fellei quaæ mala excitent  
\* 32; copiosi reperti. 396
- Calomela est mercurius dulcis  
ſexies sublimatus. 244
- Caloris æſtivi atque hyberni  
vulgo tributi cauſa non eſt  
ſol. \* 292
- Gamæ

## INDEX.

|   |          |
|---|----------|
| Camphora laudatur in variolis.  | 242      |
| Camphoratum virtus in affectibus ex terrore subortis, 171. in pleuritide, 198. 200. in febre acuta.           | 205      |
| Cancrosum tumores cur in glandulis potissimum oboriantur.   | 179      |
| Cancrosum ulcerum indoles diversa.  | 183      |
| Cancrosum ulcus penis & glandulae inguinalis.   | 179      |
| Capitis dolor conf. cephalalgia.  |          |
| Carbunculi minores ex gutta rosacea retrocedente in sero- to prorumpentes.                                    | 413      |
| Carbunculosi menses.  | 373      |
| Cardialgia cum enormi ventriculi sensibilitate indeque nata hectica stomachica.                               | 150      |
| Cardialgia remedium.  | 131      |
| Caries ossis maxillaris ex singu- lari caussa orta.   | 395      |
| Carnes assatæ præ elixis majorum salium copiam submini- strant.   | * 11     |
| Caro vitulina iassa podagram provocat.  | * 11     |
| Carotidis internæ peculiaris canalis osseus observatus.   | 223      |
| Cataracta, ex ophthalmia, incipiens curata.   | * 62. 68 |
| Catarrhem cum podagra vi- cissitudo.  | * 13. 21 |
| Cedria quomodo differat a pice navalii, 245. duplex 246. no-  |          |
| bilior 249. 251. ejus præpa- ratio 244 examen 246. oleum album 247. rubrum 248. fuscum.                       | 251      |
| Cedriata aqua 245. 248. 250. ejus usus mechanicus & medicus   | 251      |
| Cephalalgia ex clavis pedum re- cisis, 364. decennalis per seta- ceum curata, 366. cum vermi- bus complicata. | 377      |
| Cerebri fungus quomodo pra- cavendus, 318. plenus defec- tus in monstro humano.                               | 352      |
| Cerebrum in scorbuticis sem- per integrum & sanissimum repertum.  | 278      |
| Cerei serpentis historia, descrip- tio & character, * 179. fructus matus primus descriptus.                   | * 175    |
| Chalybs sophorum, * 144. seqq. est idem ac magnes. * 155. ejus signum.  | * 168    |
| Chamæpitys.   | * 11     |
| Chamarum rugosarum simula- cra in lapide fissili.   | 405      |
| Chamberlayniana forceps.  | * 59     |
| Claudicante in muliere singula- ria observata.  | 77       |
| Clavi pedum quotannis deci- dentes.   | 235      |
| Clysterum frequentissimum usus soluit herniam incarceratedam.   | 364      |
| 408. alui obstructionem per- tinacem.   | 412      |
| qq. 2   | Col-     |

# I N D E X.

|   |          |  |                  |
|---|----------|--|------------------|
| <i>Collao</i> urbis regni Peruviani inversio.   | * 138    | Dens pisces petrefactus.   | 116              |
| <i>Conceptio</i> sine menstruo fluxu unquam experto, 212. post uteri haemorrhagiam & putridæ materiæ profluvium.                            | 347.     | Dentitio difficilis.   | 201              |
| <i>Conchylia</i> bivalvia in lapide fissili.  | 405      | <i>Dethardingii</i> (Ge.) memoria.                                     | * 227            |
| <i>Contractura</i> sinistri pedis ex super pressis lochiis.   | 163      | <i>Deventer</i> laudatur.  | * 60             |
| <i>Convulsivo-epilepticorum</i> motuum species diversæ.   | 157      | Diæta lactis in podagra.   | * 4              |
| <i>Cor</i> semicartilagineum.   | 357      | <i>Dianæ columbæ.</i>  | * 170            |
| <i>Cordis</i> situs quasi horizontalis.   | 17       | <i>Diaphragma</i> perforatum.  | 17               |
| <i>Cornua Ammonis.</i>  | 404. 405 | <i>Diarrhoea</i> sine noxa puerperæ superveniens.                      | 381              |
| <i>Cosmeticum</i> remedium.   | 27       | <i>Diluvia</i> particularia.   | * 135            |
| <i>Cranii</i> in cavo peculiaris canalis osseus pro transitu arteriæ carotidis observatus, 223. os sium mira conformatio in monstro humano. | 352      | <i>Diluvii</i> universalis documenta.                                  | * 128 130        |
| <i>Crisis</i> anticipata febribim acutam solvens.   | 203      | <i>Dolores</i> externarum partium rebelles e profundioribus ulceribus. | 302 seqq.        |
| <i>Criticorum</i> dierum ratio nostris in regionibus habenda.   | 204      | <i>Dorsi</i> spinæ defectus in monstro humano.                         | 355              |
| <i>Crux</i> duplicata, salis sophici signum.  | * 169    | <i>Draco philosophicus.</i>  | * 172            |
| <i>Cynoglossæ</i> plantæ vires.   | * 19     | <i>Dulcamara arnicæ</i> vires emulatur.                                | * 32             |
| confer. pilul. de <i>Cynoglossa</i> .   |          | <i>Duræ</i> matris in processu sagittali ossiculum repertum.           | 224              |
| <b>D.</b>   |          |  |                  |
| <i>Deglutitionis</i> difficilis remedium:   | 133      | <b>E.</b>  |                  |
| <i>Delirium</i> ex apoplexia.   | 349      | <i>Electrici</i> ignis cauſa.  | 399              |
|   |          | <i>Emplastri</i> de spermate ceti usus peculiaris.                     | 300. compositio. |
|   |          | <i>Empyema</i> sanatum.  | 301              |
|   |          | <i>Epilepsia</i> cursoria, 361. somnifera.                             | 329              |
|   |          | <i>Epilepsia</i> remedia.  | ibid.            |
|   |          | <i>Epileptica</i> in muliere singularia observata;                     | 362.             |
|   |          |  | 235.             |
|   |          | <b>Epi-</b>  |                  |

# I N D E X.

|  |          |  |             |
|--|----------|--|-------------|
| Epileptico - convulsivorum motuum species diversæ.             | 157      | Febris marasmodes curata.  | 48          |
| Equorum ossium medulla interne assumta scorbuti remedium.      | 272      | — putrida puerperarum unde.  | 327         |
| — verrucarum pulveris effetus in epilepsia.                    | 362      | — quartana duplex cum ana-sarca in grida curata.                       | 167         |
| Errhinus liquor Dr. Kozack.                                    | 33       | — quotidiana intermittens cum ictero complicata.                       | 216         |
| Erysipelas ad pulmones rece-dens.                              | 108. 110 | Febrium intermittentum reme-dium utile & necessarium ve-næfictio.      |             |
| Erysipelatis remedium 252. pe-culiaris easus.                  | 182      | Felis figura, idolum.  | 120         |
| Euphorbii plantæ species.                                      | * 180    | Fellea vesicula, vide vesicula fellea                                  |             |
| — — gummi soluti vires contra odontalgiam.                     | 33       | Femoris utriusque articulatio-præternaturalis in claudican-te.         | 236         |
| Expellens remedium aquæ fri-gidæ potus.                        | * 15     | — ossis fractura sine violentia externa, 342. obliqua lethali-s.       | 345         |
| <i>F.</i>  |          |  |             |
| Faciei consensus cum visceribus pectoris atque abdominis unde. | 367      | Fibrarum tensio determinata.   | 8           |
| Fames canina gravissima poda-græ juncta.                       | * 4. 14  | Ficoides americanum Cerei species.                                     | * 179       |
| Febres intermittentes cum ma-cularum eruptione.                | 97       | Fistula ani completa sine fe-tione curata.                             | 390         |
| Febris acuta crisi anticipata quinto die soluta.               | 203      | Flatus unde tinnitus aurium ex-citent, 368. pellens reme-dium.         | 131         |
| — — catarrhalis inflamma-toria pecudum.                        | * 120    | Fluor albus in vetula.   | 375         |
| — — vesiculoso - erysipela-cea.                                | 57       | Fœtus albus parentibus æthio-pibus natus.                              | 390         |
| — — intermittens funesta ex re-giminis vitio.                  | 215      | — octimestris cum secundinis morbosis.                                 | 347         |
| — — malignæ ortus.   | 257      | Foliorum arborum fruticum que simulacris refertus topo-phus albescens. | 403         |
|  |          | Forcipes pro extrahendo fœtu-examinantur.                              | * 76, seqq. |
|  |          | For-   |             |

I N D E X.

|   |               |   |
|---|---------------|---|
| <i>Fœcipis Bingiana</i>                     | præstantia.   | xum & sæpius hæmoptysin                     |
|   | * 59. 90      | experta 365. anasarca & febri               |
| — <i>Chamberlayniana</i>                    | præstantia.   | quartana duplice laborans cu-               |
|   | * 59. 77      | rata 167. cibis salitis & aci-              |
| — <i>Gregorianæ</i>                         | comparatio    | dis abutens quas noxas fœtui                |
| cum <i>Bingiana</i> .                       | * 92          | induxerit. 348                              |
| — <i>Levretiana</i>                         | præstantia.   | Gravidæ abdomen mire expan-                 |
|   | * 59. 76. 83. | sum * 63. hæmorrhagia uteri                 |
| <i>Fossilia Agri Coburgensis</i> , 401.     |               | noxia 19. status summe mor-                 |
| <i>Giengensis</i> , 120. 125. <i>Werni-</i> |               | bosus devictus. 172                         |
| <i>gerodensis</i> . * 126                   |               | Gravidarum fluxus menstruus                 |
| <i>Frigidorum juscūlorum usus.</i>          | 151           | periculosis 322. venter præ-                |
| <i>Fructuum horæorum usus lar-</i>          |               | tumens cingendus. 321                       |
| <i>gissimus</i> . * 8                       |               | Graviditas operosa. * 69 sqqq.              |
| <i>Fulgurum ortus.</i> * 285                |               | Graviditatem & hydropem dis-                |
|   |               | cernendi cautelæ. 315                       |
| <i>G.</i>                                   |               | Graviditatis ineuntis fallax in-            |
| <i>Gemmarum phosphorescentia.</i>           | 398           | dicium 308. peculiare crite-                |
| <i>Genitales circa partes muliebres</i>     |               | rium ex mensium fluxu sæpius                |
| <i>varia singularia observata.</i>          | 227           | & extra ordinem redeunte. 20                |
| <i>Geometriæ campestris novæ</i>            |               | <i>Graminis limo</i> ex inundatione         |
| <i>problemata.</i> 58                       |               | conspurcati noxæ. * 106. 113                |
| <i>Gibbosa puella hujusque mali</i>         |               | <i>Gregoriana forceps.</i> * 92             |
| <i>cauſa.</i> 229                           |               | <i>Gutta rosacea sublata</i> quas no-       |
| <i>Giengensis agri historiæ natu-</i>       |               | xas induxerit 363. retrocedens              |
| <i>ralis subterraneæ specimen.</i>          | 120           | produxit carbunculos minores in scroto. 412 |
| <i>Glandulae inguinalis cancresum</i>       |               |   |
| <i>ulcus.</i> 179                           |               | <i>H.</i>                                   |
| — <i>œdematosis in corporibus</i>           |               | <i>Hæmoptysis in curatione ti-</i>          |
| <i>gypsea materia farctæ.</i> 232           |               | <i>midotatis noxa</i> * 33. definitio       |
| <i>Glirium rex.</i> 336                     |               | * 37. prognosis * 38. exem-                 |
| <i>Grayida semper mensium flu-</i>          |               | pla. * 39. 57                               |

*Hæmoptysis in gravida orta.* 365  
*Hæmorrhagia naris sinistræ ex*  
*qua cauſa* 101. *narium larga,*  
*purpura rubra soluta* 55. *ute-*  
*ri* *gravidae* & *fœtui noxia.* 19  
Hæ-

# INDEX.

- Hæmorrhagiæ enormes non lethales. \*43. seqq.  
 Hæmorrhoidibus ex cœcis ad vesicam translatis ischuria lethalis. 164  
 Hafniense museum naturæ & theatrum anatomicum recens exstructum. \*250  
 Halecis muriæ in passione iliaca vires. 376  
 Hæctea stomachica. 150  
 Hepar mole sua non pari gradum reliquis visceribus augmentum capit. 386  
 Hepatis conformatio mira in monstro humano 354. confessus cum auribus unde 368. laesi signa. — ligamentum suspensorium. 384  
 — lobus præternaturalis. 15  
 Hernia incarcerata sectione curata 12. sine sectione curata 405. scrotalis lethalis. 144  
 Herniarum ex interna caussâ orbitarum salutaris effectus. 145  
 Hydrocele variolis accedens. 243  
 Hydrocephali partus quomodo juvandus. \*85  
 Hydrocephalus post primum ætatis annum lethalis ejusque feôto anatomica. 23  
 Hydropem & graviditatem discernendi cautelæ. 315  
 Hydropico tympaniticorum remedium. 132  
 Hydropis omne genus viam ad lethum sternit. 2183  
 Hydrops ascites, vid. Ascites.  
 Hymenis membranæ peculiaris & paullo rario constitutio. 233  
 Hyosciami vires. \*19  
 Hypochondriaci spasmi undetinnitum aurium excitent. 368  
 Hypochondrii dextri gravissimæ contusionis symptomata. 1  
 Hypochondriorum constrictio in gravidis & puerperis quas noxas inducat. \*322. 325.. 326. 328  
 Hystericæ mulieres difficulter proliferæ fiunt. \*68  
 Hysterici mali remedium. 251  
 Hystricis lapis, vide lapis hystricis.
- II.
- Jamacaru. \*180  
 Icterus lethalis 148. cum febre quotidiana complicatus. 216  
 Jecur, vide hepar.  
 Ignea aqua. \*172  
 Iliacæ passio sine vomitu lethalis 282. ex vermis 376  
 Iliaci vomitus remedium. 131  
 Infantes recens nati cingendi. 319. seqq.  
 Intestini cœci cum appendice vermiciformi & valvula Bauhini defectus 16. ejus processus vermiciformis amplitudo peculiaris. 226  
 Inter-

# INDEX.

- Intestini coli prope rectum inflexiones insolitæ. 235  
 — duodeni amplitudo præternaturalis. 15  
 Intestinum ileum erosum & perforatum 14. in hernia incarcerateda gangræna affectum & curatum 12. ejus ruptura a subita & violenta corporis distensione. 8  
 Ischuria lethalis ex hæmorrhoidibus cœcis ad vesicam translatis. 164  
 Ischuriæ senilis remedium. 132  
 Ivæ arthriticæ usus in podagra. \* 11  
 Juguli dissectio. 203  
 Juscule gallinæ non deplumatæ referata alvi obstructio contumax. 410  
 Jusculorum frigidorum usus. 151  
 K.  
*Kozack* Driserrhinus liquor. 33  
 Krakatiza, Zoophytum marinum. 335  
*Kulmi* (Jo. Ad.) Memoria. \* 295  
 L.  
 Læctis diæta in podagra. \* 4  
 Lapidei polypi cordis. 360  
 Lapidum phosphorescentia. 389  
 Lapis calcarius albus 403. mytulis refertissimus. 404  
 Lapis fissilis cinerei coloris testaceorum bivalvium simulacra exhibens. 405  
 — hystricis ejusque vires medicæ. \* 25. 30  
 Laryngis mirus nexus cum pulmonibus in monstro humano 353. vulnus. 203  
 Legali in foro num medici an chirurgi fides major. 2  
 Lenta febris, conf. tumor singularis.  
*Levreti* forceps. \* 59. 76. 83  
 Lien male affectus ejusque symptomata. 101  
 Lienis naturalis moles & strutura. 293. seq.  
 — tumor saccatus 288. ejusque moles enormis. 291. 295 seq.  
 Lienteria imminentia sedata. 152  
 Ligamentum hepatis suspensum. 384  
*Lima* regionis Peruvianæ subversio. \* 138  
 Lithoxylum Coburgense. 402  
 Lochiorum ex suppressione contractura sinistri pedis 163. defectus aut nimius fluxus unde 326. defectus plenarius in quinque puerperiis. 161  
 Lues bovina in Circulo Prignicensi a. MDCCXLVI. annotata. \* 101  
 Lumbaris regionis ex contusione gravissima symptomata. 1  
 Lumbrici conf. Vermes. 99  
 Lun-

I N D E X.

|  |        |   |          |
|--|--------|---|----------|
| Lumbricorum latorum & curbitinorum specificum antidotum. | 34. 40 | * 209. Richteriana *  | 275.     |
| Lunæ sphæra sophorum.                                    | * 162  | Struviana.  | * 257    |
| <i>M.</i>  |        | Menses carbunculosi   | 373.     |
|  |        | Vividescentes.  | 388.     |
|  |        | Mensium in utero restagnatio- nes.  | 308      |
|  |        | — ad XXVII. ætatis annum defectus hujusque noxæ                           | 366.     |
|  |        | defectus perpetui exempla riora.  | 211      |
|  |        | — ex fluxu sæpius & extra ordinem redeunte graviditatis criterium.        | 20       |
|  |        | — fluxus intercepti & restitu- ti caussa & effectus                       | 363.     |
|  |        | extra graviditatem nullus   | 365.     |
|  |        | in gravidis periculosus.  | 322      |
|  |        | Menstrua moleste excernenti- bus quomodo subveniendum.                    | 328      |
|  |        | Menstruatæ vetulæ.  | 159      |
|  |        | Mercurii dulcis atrox effectus.   | 362      |
|  |        | — sophici delarvati Lib. II.  |          |
|  |        | * 141. seqq. principia *  | 142.     |
|  |        | principiorum in præparatione apparentia signa.                            | * 172    |
|  |        | — vivi cum faccharo triti vi- res contra lumbricos.                       | 36       |
|  |        | Mercurius in cancrosis affecti- bus nil juvat.                            | 183      |
|  |        | Mesenterii glandulæ in tumores duros mutatæ.                              | 235      |
|  |        | Mesplilorum scrupuli copiosius deglutiti caussa lethalis ob- structionis. | 14. seq. |
| Kulmiana *   | 295.   | Nebeliana   |          |
| <i>Aet. Med. Ph. Vol. IX.</i>                            |        | rr  | Metal,   |

# I N D E X.

|  |   |
|--|---|
| Metallorum fal sophicum est magnes sopherum * 158. 172. ejus signum. * 169 | Nautilitæ. 404. 405   |
| Metaptosis morborum 104. ejus exempla plura. 113                           | Nebelii (Guil. Bern.) Memoria. * 209  |
| Mippi, planta. * 180   | Nephriticorum dolor. remedium. 134 * 10   |
| Mixturæ oleosæ polychrestæ. 128  | Nephriticis ex doloribus alvi obstrucțio contumax referata. 410                   |
| Molæ annosæ & prægrandis exemplum singulare. 20                            | Nervorum quinti paris nexus cum intercostali quas partes in consensum trahat. 367 |
| — sanguineæ. 308   | Nicotiana fumo hausta & masticata scorbuti remedium præservativum. 269            |
| Molarum a sarcomate differentia earumque genera. 69. sq.                   | Noduli in partibus musculosis. 370  |
| Mœconii expulsio unde dependet & promovetur. 320                           | Novilunii effectus in paralytico. 221   |
| Monstrum humanum sine collo & sine dorsi spina. 350                        | Nuchæ vulnus cum insigni petoris tumore complicatum. 214                          |
| Morborum metaptosis vid. metaptosis.                                       | O.  |
| Musculi albi. 388  | Obesitas morbosa. 396   |
| Musculosarum partium noduli. 370   | Obstetricum Germaniæ ignorantia accusatur. * 75                                   |
| Museum naturæ Hafniense recente exstructum. * 210                          | Oculi suffusio, v. cataracta. 30  |
| Myrrha laudatur in variolis. 243   | Oculorum vitia emendans remedium. 32.   |
| Mytilis refertissimus lapis calcarius 404. fissilis. 405                   | Odontalgicum remedium. 33.  |
| N.   |   |
| Nævus gravissimus cum septemstri foetu a matre communicatus. 360           | Oedematosis in corporibus glandulæ gypsea materia factæ. 232                      |
| Naris sinistræ hæmorrhagiæ cauſa. 101                                      | Oedematosus tumor pedis scarificatus. 345   |
| Naturalis historiæ subterraneæ agri Giengensis specimen. 120               | Olei animalis Dippelii commendatio  |

# I N D E X.

|   | <i>P.</i>  |
|---|--|
| datio 370. virtutes in epilepsia. 362                                   | Pædarthroceae, vid. Spina ventosa.   |
| Oleosæ mixturæ polychrestæ. 128   | Palatum piscis petrefactum. 116  |
| Oleum amygdalarum dulcium correctum. 130                                | Paragomphosis capitis foetus in partu singularis ejusque administratio. * 63             |
| — betulæ nigrum. 252  | Pariendi difficultas varia. * 74   |
| — cedriæ, v. Cedriæ oleum.  | Partum promoventia remedia. * 63   |
| — templinum præstantius. 250  | Parturientibus sustentatio abdominis utilis. 322   |
| Omentum scirrhosum in hernia. 10  | Parturientium uteri orificii status varius. * 73   |
| Onopordi succi vires. 180   | Partus alterius gemellorum tertio die. 174   |
| Opiatorum usus in hæmorrhagiis. * 55                                    | — instantis signum ex uteri orificii relaxatione incertum. * 73                          |
| Opticæ tabulæ striatæ. 135  | — difficilis remedium. 132   |
| Os frontis ad duorum digitorum latitudinem divisum in fetu. 348         | — dolorum caussæ. * 73   |
| — sacrum cum occipitis osse concretum & dorsi spinæ vires præstans. 355 | Passio iliaca, v. iliaca passio.   |
| Ossiculum in processu sagittali duræ matris repertum. 224               | Pecoribus inserviens remedium prophylacticum. 252  |
| Ossis femoris fractura, v. femoris ossis fractura.                      | Pecudum febris acuta catarrhalis inflammatoria. * 120                                    |
| Ostium corruptio enormous ex scorbuto. 276                              | Pectoris infarctus dentitioni difficili juncta 201. tumor insignis ex nuchæ vulnere. 214 |
| — fractura a levi caussa. 343   | Penis ulcus cancrosum 179. amputatio. 181  |
| Ostraceo - piscis. 119  | Pericardii concretio cum pleura. 277   |
| Ostrearum simulacra in lapide fissili 405                               | Peripnevmonia ex anginæ metaptoxi exemplum. 106  |
| Ovaria in tumores duros mutata. 235                                     | Perpirationis excessus temperatus. * 9   |
| Ovarii conformatio præternaturalis 227                                  | Pesti  |
| Ovulorum sine concubitu exercitio. * 70                                 |  |
|   | rr 2   |

# I N D E X.

|  |  |
|--|--|
| Pesti facile se associat scorbutus<br>269. ejus & scorbuti phæno-<br>menorum comparatio. 270   | Pinus præbet Cedriam. 244.<br>246. 250   |
| Pestis quædam Atheniensis fuit<br>scorbutus. 278   | Piscis ex Orbium genere descri-<br>ptus. 117   |
| Petecharum mendacium histo-<br>ria & a sinceris differentia. 87  | Piscium usus in scorbuto. 268.<br>274  |
| Petrefacta, vide fossilia.   |  |
| Petrefactum, dentem seu pala-<br>tum piscis referens. 116  | Pix liquida & solida quomodo<br>differant. 245   |
| Petrefactionis theoria 121. seqq.<br>* 131   | — navalis quomodo differat<br>a Cedria. 245  |
| Petroselini usus contra mam-<br>marum indurations. 298   | Placenta uterina conf. Secundi-<br>næ.   |
| Pharyngica mixtura oleosa. 133   | — Gemellorum communis.<br>174  |
| Phosphorescentia lapidum &<br>gemmarum 398. ejus caussa.<br>399  | — post partum remanens<br>quomodo tractanda. 323   |
| Phthiseos remedium. 135  | Placentæ situs irregularis caus-<br>æ & sequelæ. * 72. seq.  |
| Phthisi quæ ætas obnoxia. * 49   | Pleuritis periculosa in phthisico<br>fanata 197. per institutam<br>sexta demum die VSnam sub-<br>lata. 199 |
| — juncta pleuritis periculosa<br>fanata. 197   | Podagræ historia * 1. remedium<br>specificum * 23. retrogressæ<br>fatalis effectus. * 32                   |
| Phthisis conf. tumor singularis.   | Polii montani usus in podagra.<br>* 10   |
| — absque notabilioribus sym-<br>ptomatibus letalis 17. quomo-<br>do contagiosa * 120. pulmo-<br>nalis ex febri catarrhali in<br>lue bovina observata. * 106<br>114 | Polus sophorum. * 163  |
| Physica Rudigeri oppugnat.<br>* 283  | Polypi cordis insignes mortis<br>non adeo subitæ caussæ. 281   |
| Pilalæ de cynoglossa laudantur<br>in podagra. * 6. 7. 12. 15. 17<br>26. reprobantur 18. vindicantur.<br>19   | Polypus cordis adiposus 359. la-<br>pideus 360. membranosus.<br>357  |
| Pineæ Moluccianæ sunt grana<br>Ricini. 37  | Potarga quid sit. 340  |
|  | Primarum viarum cruditates<br>unde tinnitus aurium exci-<br>tent. 368                                      |
|  | Pro-   |

# INDEX.

- P**rocessus vermiciformis, v. intes-  
tinum cœcum. 11  
**P**rognosis infida ex timiditate. \* 43  
**P**tyalismus symptomaticus. 53  
**P**uerpera purpura extincta. 18.  
19  
**P**uerperæ post partum cingen-  
dæ. 319. 325  
**P**ugilum aqua sophorum. \* 172  
**P**ulmonum mira conformatio  
in monstro humano. 353  
 — concretio cum hepate 17.  
 cum diaphragmate & pleura.  
277. 282  
**P**urpura extincta puerpera. 18  
19  
 — cum variis symptomatibus  
complicata 373. & cum diar-  
rhœa & cum alvo adstricta fe-  
liciter superata. 381  
**P**urpuræ rubræ eura 408. haem-  
orrhagiâ narium largâ solu-  
tio 55. singularia. 54  
**P**urpuram ad præcavendam vo-  
mitorii efficacia. 56  
**P**ylorus amplius. 15
- Q.*
- Q**uarcum phosphorescens. 398
- R.*
- R**eficiens remedium, aquæ fri-  
gidæ potus. \* 15  
**R**esina, balsamo de Mecha acce-  
dens. 250  
**R**heumatici dolores cum vermi-  
bus complicati. 377
- R**heumatismus interno antimo-  
nii usu sublatus. 213  
**R**ichteri (Ge. Frid.) Memoria. \* 275  
**R**osæ salicium, v. salicum rosæ.  
**R**ubia tinctorum tingit offa. 389  
**R**udera terræ mutationum par-  
ticularium testes. \* 123
- S.*
- S**accharum theæ infusum subi-  
to nigrum reddens. 399  
**S**al Armoniacum philosopho-  
rum. \* 169  
**S**alia arthritidis & pedagræ cauf-  
fa. \* 11. 12. 21  
**S**alicum rosæ 187. variæ excre-  
centiæ. 193  
**S**alisophici metallorum signum  
& differentia a reliquis sali-  
bus. \* 169  
**S**anguinis color unde 389. fer-  
vor temperatus. \* 9  
**S**arcoma uteri notabilis molis  
\* 59. 65. 67. 71. differentia a  
molis. \* 69  
**S**aturnia philosophorum proles. \* 172  
**S**cabiei Ortus 257. retropulsæ  
effectus. 184  
**S**carificatio aurium guttam rosa-  
ceam tollens & surditatem  
temporariam inducens. 363  
**S**celetum monstri humani sin-  
gulare. 356  
**S**cirrhoſæ secundinæ. 347  
**S**cirrho-

# I N D E X.

|                                   |            |                                      |
|-----------------------------------|------------|--------------------------------------|
| Scirrhosum omentum in her-        |            | Sternutatio nimia a scabie retro-    |
| nia.                              | 10         | pulsa. 184                           |
| Scorbuti historia, effectus, præ- |            | Struvii (Ern. Gottlob) Memo-         |
| servatio & cura. 256. seqq.       |            | ria. * 257                           |
| Scorbutica humorum dyscrasia      |            | Suffocativo - apoplecticus affe-     |
| exploditur.                       | 87         | tus. 286                             |
| Secundinæ pinguedine obductæ      |            | Suffusio oculi, v. Cataracta.        |
| & glandulis scirrhosis reple-     |            | Sulphur sophicum. * 172              |
| tæ.                               | 347        | Sulphuris antimonii aurati vi-       |
| — conf. placenta.                 |            | res. 201. 371                        |
| Sedi vermicularis usus in scor-   |            | Surditas temporaria. 363             |
| buto.                             | 265        | Sustentaculorum varius usus.         |
| Sempervivi succi usus noxius in   |            | 316                                  |
| puerpera.                         | 162        | T.                                   |
| Septentrionale astrum sopho-      |            | Tabulæ opticæ striatæ. 135           |
| rum.                              | * 166      | Tellinarum simulacra in lapide       |
| Serpens terreus sophorum.         | * 172      | fissili. 405                         |
| Setaceum cephalalgiam decen-      |            | Terebinthinæ usus in podagra         |
| nalem tollit.                     | 366        | & nephritide * 10. ejusque           |
| Singultus hystericus ex terro-    |            | effectus peculiaris * 16. usus       |
| re.                               | 170        | prophylacticus contra scor-          |
| Solanum scandens, v. Dulcamara.   |            | butum. 275                           |
| Sophorum astrum, chalybs,         |            | Terræ motus universales * 132.       |
| magnes, mercurius, sulphur        |            | seqq. particulares notabilio-        |
| &c. v. Mercurius sophorum.        |            | res. * 134. seqq.                    |
| Spar-Kalch.                       | 403        | — mutationes particulares.           |
| Spinæ ventosæ exempla, cauſſa,    |            | * 123. 126. 129                      |
| & therapia.                       | 206. seqq. | Terrifico ex insomnio singultus      |
| Sputatio largior in podagra.      |            | hystericus. 170                      |
| * 13. 14. 15. 16. 17.             |            | Terroris effectus sedantur cam-      |
| Stercoraceo - urinosum cosme-     |            | phoratis. 171                        |
| ticum & odontalgicum re-          |            | Testacea bivalvia in lapide fissili. |
| med.                              | 27         | 405                                  |
| Sterilitatis feminarum cauſſa.    | * 69       | Theer-Wasser. 245                    |
|                                   |            | Theæ infusum subito nigrum           |
|                                   |            | redditum. 399                        |
|                                   |            | Tho-                                 |

- Thoraces comprimentes dam-  
 nantur. 318. 319  
 Tibiæ fractura lethalis. 175  
 Tilli granorum usus. 37. 40  
 Timiditatis noxa in curatione  
   hæmoptyseos. \*33  
 Tinea capitis retropulsa quas  
   noxas peperit. 329  
 Tophus albescens arborum fru-  
   ticumque foliorum simulacris-  
   refertus. 403  
 Tormina sedans remedium. 131  
 Transpiratio viscerum periphe-  
   rica. 132  
 Tremor universalis ex vermi-  
   bus. 146  
 Tuba Fallopianæ cum ovarii  
   concretæ. 228  
 Tumor singularis malæ sinistræ  
   in phthisi & lenta febri extin-  
   ctis observatus. 393  
 Tussis catarrhalis remedium.  
   133  
 Tympanitico - hydropicorum  
   remedium. 132
- V:
- Variolæ cum hydrocele & urinæ  
   retentione conjunctæ. 242  
 — spinæ ventosæ caussa. 208  
 — verminosæ. 244  
 Variolarum remedium 252. ci-  
   catrices quomodo præcaven-  
   dæ. 27. seq.  
 Venæ umbilicalis situs. 384  
 — sectionis in alvo pertinaci-  
   ter adstricta effectus 376. in  
   febris intermittentibus uti-
- lis & necessaria 378. in hæ-  
   moptysi usus \* 45. seqq. 55.  
 57  
 Venarum jugularium læsio. 203;  
 Venerea lues spinæ ventosæ  
   caussa. 207  
 Venereæ luis ortus. 257  
 Venereum miasma cum aliis  
   morbis complicatum 372. qui-  
   bus modis communicari que-  
   at aliis. ibid.  
 Veneris ex abstinentia nimia ve-  
   sicæ spasmus. 284. abusus in  
   senio apoplexiæ caussa. 222  
 Ventriculi cruditates unde au-  
   rium tinnitus excitent 368.  
   sensibilitas enormis. 150  
 Ventriculus admodum tenuis &  
   pellucidus 395. perforatus re-  
   pertus. 16  
 Ventus septentrionalis provocat  
   podagram. \* 13. 14  
 Vermes aurium. tinnitus unde  
   excitent 368. caussa cephalal-  
   giæ & rheumaticorum dolor-  
   rum 377. passionis iliacæ 376.  
   tremoris universalis 146. in  
   variolis exsiccatis reperti. 244  
   conf. lumbici.  
 Vermium symptomata. 159  
 Vertebrarum omnium defectus  
   in monstro humano. 355  
 Vesicæ spasmus lethalis. 284  
 Vesicatoriorum usus in pleuri-  
   tide. 198. 200  
 Vesicula fellea vacua reperta. 16  
 Vesiculæ felleæ situs 385. extra-  
   ordi-

# I N D E X.

|                                  |            |                                  |
|----------------------------------|------------|----------------------------------|
| ordinaria magnitudo 15.          | 387.       | Umbilicalis vena, v. Vena um-    |
| parvitas.                        | 388        | bilicalis.                       |
| Vesiculæ felleæ duæ in commu-    |            | Umbilici vulnus fanatum. 279     |
| ni hepatis sulco.                | 382        | Vomitorii efficacia ad purpuram  |
| — — calculi copiosi cum          |            | præcavendam. 56                  |
| eorum unico propria mem-         |            | Vomitus frequentioris caussa     |
| brana cincto.                    | 396        | 395. iliaci remedium. 131        |
| — — ductus hepatico-cysti-       |            | Urinæ retentio variolis acce-    |
| ci & cystico-hepatici nulli      |            | dens. 243                        |
| obseruati.                       | 383        | — equinæ vires contra odon-      |
| Vetulæ menstruatæ.               | 159        | talgiæ. 32                       |
| Vin brûlé quomodo paratur *      | 18         | Urinam provocans remedium.       |
| Vinosa diæta in podagra.         | * 22.      | 131                              |
|                                  | 24         | Urinoso-stercoreum cosmeti-      |
| Viscerum transpiratio periphe-   |            | cum & odontalgicum reme-         |
| rica.                            | 132        | dium. 27                         |
| Vitrioli albi usus.              | * 115      | Uteri ascites, v. Ascites uteri, |
| Virulina caro assa podagram      |            | Sarcoma, v. Sarcoma uteri.       |
| provocat.                        | * 11       | Uterus ulcere affectus describi- |
| Ulceræ partium externarum la-    |            | tur. 228                         |
| titantia.                        | 304. seqq. | Vulnerarium remedium. 252        |
| Ulcerum remedium.                | 252        | X.                               |
| Ulcus in genu aliis morbis re-   |            | Xylo-achates. 402                |
| spondens.                        | 381. 382   | Z.                               |
| Umbilicalis funiculi ex ligatura |            | Zoophytum marinum. 335           |
| negligenter facta, hæmorrhâ-     |            |                                  |
| gia.                             | 280        |                                  |




# E R R A T A


Pag. 19. l. 10. temperantibus, p. 42. l. ult. emensus, pag. 81. l. 20. pro b. leg. h. pag. 82. l. 25. pro lfn leg. lfd. p. ead. l. ult. pro gph leg. gpb. p. 84. l. 20. pro fxa leg. fxa, p. 111. l. ult. corrivata, p. 117. l. 22. digested, pag. 137. l. 11. Tab. VI. p. 138. l. 24. Tab. VII. p. 139. l. 7. Tab. VII. ib. l. 31. Tab. VII. p. 140. l. 7. Tab. VI. ib. l. 11. Tab. VII. ib. l. 21. pro numero leg. figura, ib. l. 22. pro num. leg. fig. ib. l. ult. Tab. VII. p. 142. l. 2. Tab. VII. ib. l. 19. pro O n b leg. Oab, ib. l. 26. Tab. VII. ib. l. 32. Tab. VII. ib. l. ult. Tab. VII. p. 143. l. 12. Tab. VII. ib. l. 16. VII. p. 158. l. 3. dat. ib. l. 27. quam, p. 173. lin. 17. post verba : *cinnabar. nativ. depur. ana* Ǝ. sequentia sunt inferenda : Misceantur, & interdum duo vel tria cochlearia exhibeantur. Rec. Aquæ Meliss. c. vino, Carbunc. ana 3ij. spir. lilio. convall. Lavend. ana 3ij. p. 180. l. 25. pro gangrenosum leg. cancresum, pag. 190. l. 23. leg. gallarum, p. 198. l. 30. erumpebat, p. 225. l. 9. hemisphærium, p. 226. l. 1. LVIII. p. 234. l. 23. coalitus, ib. l. 24. confirmantibus, p. 238. l. 11. viris, p. 254. l. 4. Tab. VIII. p. 311. l. 1. afeite, p. 312. l. 10. sanescere, p. 335. l. 8. Magistrum, p. 339. l. 14. Tab. VIII. ib. l. 15. Tab. IX. p. 340. l. 25. Tab. IX. p. 346. l. 17. Tab. VIII. p. 351. l. 21. Tab. IX. p. 354. l. 20. Tab. IX. p. 355. l. 12. Tab. IX. p. 356. l. 2. IX. p. 359. l. 18. Tab. VIII. p. 360. l. 14. Tab. VIII.


## In Appendice.


p. 24. l. 10. animo, p. 85. lin. pen. reliquis, p. 87. l. 3. fusius.





Volum. IX. Act. N. C.  
Tab. I.



















ad Observ. XX. pag. 85

Fig. 1.



ad Observ. XXIII. pag. 116

Fig. 3.





Fig. 4.






Fig. 1

ad Observ. XXIII.  
pag. 119.




Fig. 3.




b.

Fig. 2.


Fig. 4.


b.



ad Observ. XXVI. pag. 137.

Fig. 5.





ad Observ. XXVI.  
Pag. 140.




Fig. 1.

Fig. 3.




Fig. 2.



Fig. 4.





Fig. 4.






Fig. i. Act. N. C. Volum. IX Tab. VIII

ad Observ. Lxxix. pag.  
339.





Fig. 2.




ad Observ. Lxxxv  
pag. 357.

Fig. 3.



ad Observ.  
Lxx. pag.  
254.

Fig. 4.  
ab Observ.  
LxxxI.  
pag.  
346.





ad Observ. LXXIX. pag. 339.

Fig. 1.



Fig. 2




ad Observ. LXXXIV. pag.  
350.

Fig. 3.



Fig. 4.



ad naturum delor. Gründler. Malae.



Fig. 1.




Fig. 14.




Fig. 13.



Fig. 9.





Fig. 12.




Fig. 19.



Fig. 11.

